


VOX CLAMANTIS IN DESERTO,

Sive

ANNUA SPIRITUALIA EXERCITIA OCTIDUANA,

Studioſam præparationem pro adventuro tremendo Judicio ſuadentia,

In uſum

Omnium Religioſorum, præcipuè ſub vexillis glorioſi Patriarchæ Benedicti militantium accommodata, &c.

Conſcripta

â

R. P. ÆMILIANO NAISL,

Monacho Ordinis ejusdem S. P. Benedicti, Profeſſo Exempti Monaſterii Weichenſtephanenſis, prope Friſingam.

[redacted]



RATISPONÆ,

Sumptibus JOH. ZACHARIÆ SEIDELII,

Anno 1722.

[illegible]

in J

Jesto dat hunc libellum

P. Augustino E. C. M. C. ad-

huc Novitio. P. Gabriel E. C.

M. C. V. lu... 1781

REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI AC AMPLISSIMO

DOMINO DOMINO

ILDEPHONSO,

CELEBERRIMI & EXEMPTI MONASTERII WEICHENSTEPHANENSIS ABBATI VIGILANTISSIMO,

CONGREGATIONIS BENEDICTINO-BAVARICÆ PRÆSIDI GENERALI,

TAM ARCHIEPISCOPALIS UNIVERSITATIS SALISBURGENSIS, QUAM EPISCOPALIS LYCEI FRISINGENSIS ASSISTENTI MERITISSIMO.

DOMINO AC PATRI MEO PLURIMUM GRATIOSO, ET OBSERVANDISSIMO, &c. &c.



Reverendiſſime, Perilluſtris,
ac Ampliſſime

DOMINE, DOMINE
PRÆSUL & PRÆSES
GENERALIS.

Domine ac Pater Plurimùm Gratioſe
& Obſervandiſſime, &c. &c.

DIis ac Parentibus omnia debemus: Præſertim verò Parentibus, quos non natura, ſed ipſe Spiritus Sanctus nobis providit; horum namque vigilanti curâ Spiritu vivimus, ſine quo

caro nec prodeſt quidquam. Non carne aut ſanguine, ſed ipsâ inſtitutione divinâ perdocemur, omnem eſſe deferendum honorem, omnem offerendam obſervantiam, omnem referendam gratitudinem iis, quos locò Dei veneramur. Quamobrem, ne ingratis (quibus nulla bellua in terra deterior) & debitæ obſervantiæ oblitis annumerer, in aliqualem ſaltem gratitudinis teſſeram, & ſubmiſſæ venerationis tributum, haſce quantumvis exiguas pagellas ad Tuos venerandos pedes depono demiſſiſſimè, Tuis digniſſimis manibus dedico ſubmiſſiſſimè, Tuis plurimùm gratioſis oculis conſecro devotiſſimè, Domine Plurimùm gratioſe, & Pater obſervandiſſime &c. &c. aut potiùs ceu alter inops Æſchines me ipſum ad Tuos pedes quàm humillimè proſterno, & *quia nihil dignum Te, quod dare poſſum, habeo, itaque dono Tibi* in iſthac opella, *quod unicum habeo, me ipſum & cor meum.* * Quid enim præter me ipſum Tibi offeram in iſta aſcetica elucubratiuncula, cui titulus, *vox clamantis in deſerto?* Si enim hæc vox vox mea eſt? tunc vox corvi eſt, vox inamœna, vox inſuavis, Tuis auribus prorſus indigna. Si

* *Laertius in vitis Philoſoph.*

vox iſta è deſerto cordis mei editur? tunc planè progignitur â terra deſerta, invia, inaquoſa, & non niſi vepribus ac tribulis fœcundâ. Sin porrò è terra aliena allabitur? tunc mihi haud competit ulla de illa diſponendi facultas. Verũ enimverò ſubditi filii eſt, ſe plenè ſubdere ſui Patris judicio. Tuum eſt, Reverendiſſime Pater, diſcernere cauſam meam, diſcernere, an vox iſta vox filii Tui ſit, nec ne? Tuum eſt, diſcernere, an vox iſta prodeat è deſerto, cui Tua gratioſa dignata eſt benedicere manus; ſi enim tua ampliſſimâ benedictione fœcundata hæc vox in lucem publicam ſpargitur, tempore ſuo ſuis haud carebit fructibus lucis, quos unicè tuus indignus præopto filius, â captandis humanis laudibus vel ex eo quoque alienus, ne degenerem â Reverendiſſimo Patre meo, cui humanas laudes venerari inſolitum, audire durum, ob ſua ampliſſima merita pati quotidianum. Neque ego tibi congratulor, Reverendiſſime Pater, quòd tot præconiis exalteris per ora mortalium! quid enim humana laude fallacius? Quid enim eſt laudator, per anagramma niſi adulator? ô quot laudis præcones, præſertim noſtrâ fallaci ætate, ſola ſpes acquirendi parturit? etiam tunc Cicero-

nes

nes pro domo ſua, quando alios Tullianâ ſuadâ commendant.

Non itaque laudum encomia, ſed æqua prudentum judicia ſunt ſolida argumenta magnorum meritorum. In hoc proinde, quâ par eſt, devota humilitate Tibi aggratulor, quòd â primis illicò religioſæ vitæ tuæ incunabulis hucusq; nunquã non fueris permagni habitus in omnium prudentum judiciis. Tanti quippe Te fecit tui Reverendiſſimi anteceſſoris beatæ memoriæ vulgata prudentia, ut necdum Sacerdotio initiatum, vix è Palæſtra Sacræ Themidis Ingolſtadio ad Religioſos noſtros lares reverſum, Te propediem inſtituerit Profeſſorem ad diffundenda in noſtros Religioſos Fratres tum fluenta Sacræ Theologiæ, tum Sacrorum Canonum unà ſimul. Tantus nec minùs mox fuiſti in judicio totius Venerabilis Weichenſtephanenſis Conventûs, ut, poſtliminiò Abbatiâ per mortem Tui Reverendiſſimi Anteceſſoris vacante, Te quamvìs inter Sacerdotes Profeſſione juniorem ac ultimum, inſcripſerit nihilominus præ omnibus majorem, præ omnibus primum, Abbatiali Clavo præ omnibus digniſſimum.

Tantam de Te æstimationem nunquam non habuit ac aluit universa Exempta nostra Congregatio Benedictino-Bavarica, ut jam â primis Tuæ Abbatialis dignitatis annis Te statim ad publicas vocaverit provincias; modò quidem ad provinciam meritissimi Visitatoris, modò iteratò ad provinciam Præsidis Generalis. Et quis sensus de Te Episcopali Frisingensi lyceó? nempe ad tantum florem se consurrecturum nunquam sperâsset, nisi te in perpetuum Assistentem cooptâsset. Sed neque Archiepiscopalis Salisburgensis Universitas tuam pariter assistentiam sibi expetivisset, nisi Te judicâsset talem musarum Apollinem, sub cujus protectionis umbra amplissimam tum studiorum, tum virtutum ac fructuum messem sibi promittere possent; ut reticeam complura etiam dissitorum de Te magnæ æstimationis judicia, quæ Ilias capere nequit. Laudes humanæ sæpe fallunt; ast quis credat, tot ac tantorum de Te concepta judicia falli aut fallere posse? In comperto mihi equidem est, ipso peccato & Tuis laudibus Tibi nihil invisum magis. Verùm æstimare suum, & quidem tantum Patrem, Filio non solùm omnia jura indulgent, sed & identidem imperant; siquidem

dem absque hac filialis confidentia haud consistere valet. Cùm porrò tanta apud tantos de Te vivat æstimatio, quid huic ampliùs addi potest? Addam tamen, & quidem, quod tibi peracceptum fore confido. Addam portam perennis memoriæ, ponam isthanc portam ante ingressum in desertum annuæ recollectinis, ita, ut nemo ingrediatur, hoc libello usurus, in desertum annuæ solitudinis, nisi memor sit Tui in sua solitudine, in suis spiritualibus exercitiis, in suis devotionibus. Veniâ proin jam Tuâ, liceat mihi, hisce paucis benevolum affari lectorem: Tu quisquis spiritualibus exercitiis animum addicturus, hîc, hocque libello comite ingrederis, inspice illicò in fronte fulgentissimum nomen Reverendissimi Domini, Domini ILDEPHONSI Abbatis, hujus memor esto mecum in tuis sacris exercitiis, pro hujus longæva semperque integra sospitate suspiriorum ad cœlum evibrato missilia, ut per viscera Divinæ pietatis in Nestoream ætatem secundùm comunia omnium nostrûm vota conservetur incolumis, ut nunquam non repleatur Divinis benedictionibus atque omnibus prosperitatibus, donec tandem post seras aristas cum exultatione & læ-

titia ſempiterna metat plenam mercedem laborum ac meritorum ſuorum. Ita filiali affectu vovet

Reverendiſſimæ, Perilluſtris ac Ampliſſimæ Dominationis Tuæ &c.

Indigniſſimus & obſequentiſſimus in Chriſto filius

P. ÆMILIANUS NAISL, p. t. Subprior in Weltenburg.

APPROBATIO ET LICENTIA.

NOs Ildephonſus, D. G. Exempti Monaſterii Weichenſtephanenſis propè Friſingam Abbas &c. noſtro, & Congregationis Benedictino-Bavaricæ Nomine hiſce Licentiam facimus, ut Liber Exercitiorum Octiduanorum, Vox Clamantis in deſerto &c. inſcriptus, atque â Conventuali noſtro R. P. Æmiliano Naisl compilatus, in omnium Sacræ illi Recollectioni impenſiùs vacare volentium ſingularem utilitatem typis evulgari poſſit. In cujus rei fidem præſentes manu propria, noſtroque ſigillo munivimus. Weichenſtephanii die 10. Junii 1721.

ILDEPHONSUS, Abbas Weichenſtephanenſis, p. t. præfatæ Congregationis Præſes Generalis.

PRÆ-



PRÆFATIO
AD
BENEVOLUM LECTOREM.

N*E mireris, optime Lector, novum iterum exercitiorum Libellum tuis oculis submitti; Impleri quippe solet illud divinum oraculum:* Faciendi plures libros nullus est finis. *Indies ex variis scientiarum disciplinis multifarii producuntur libri: quidni & ex ascesi, quæ omnium disciplinarum est facilè princeps? Complures ex variis Facultatibus quotannis in lucem prodeunt Theses ad acuenda discipulorum ingenia; quidni & ascesis suas Theses proponat, ad acuendum ac renovandum Spiritum, sine quo viventes mortui nominamur & sumus? En theses ex ascesi tibi optimo corde offero! tuum jam erit, easdem egregiè defendere; non quidem altè*

Eccle. 12. v. 12.

altè clamando, aut acriter disputando, sed in annua solitudine cum silentio assumendo, aure cordis audiendo, ruminando, practicando; non conscientiæ casus proponendo, sed ita te impendendo, ut omnem casum devitare scias. In scholis quandoque de terminis & de nomine vocum disceptatur: En vocem defendendam & ego tibi propono! vocem clamantis in deserto tuæ annuæ recollectionis; quid enim â me, tanquam ab olla vacua, nisi inanem vocem exspectes? Verùm nec tamen vox ista erit inanis, dummodò tua accesserit praxis. Oppugnabunt has Theses mundus, Dæmon & caro, adversarii sanè astuti, fallaces, mendaces: ast macte animo, ne timeas, generosè negato, & vicisti: omnia namque ipsorum argumenta probatione destituuntur, nullo fundamento nituntur. In forma tamen sic respondebis: Diabolo ac mundo te semper pro semper totum negabis, carni autem ita distingues, ut necessaria eidem quidem concedantur, non necessaria verò semper negentur.

Deo autem per plenam reſignationem & tui ipſius abnegationem te ſemper totum concedes, etiam tunc, quando per mentis ariditates & deſolationes tibi adverſari videtur. Nec faſtidio afficiaris, tametſi propoſitiones, ſeu meditationes ſubinde prolixiores occurrant; nullatenus enim hîc præſcribitur, ut omnia de verbo ad verbum aſſumantur, ſed ille optimè defendit, qui fructum plurimum haurit: æqui quippe boniq; conſultum mihi habeo, potiùs peccare nimiâ liberalitate, quàm parcitate, ita nempe incedo, & ut etiam ingenia debilia ſequi non nequeant, & ſemper inveniant, quo citra ſpecialem defatigationem ſe nutriant, ut omnes referant plauſum; non quidem in tubis & tympanis, quemadmodum poſt ſolemniores Theſes ſcholaſticas mos ferre conſuevit, ſed in illo magno univerſalis diſceptationis theatro, ubi unicuique, contra adverſarios noſtros diabolum, mundum & carnem generosè conſtanterq; defendenti laus erit à Deo, quem Sanctum optatumq; plauſum cum primè Sanctus Pater Benedictus intendit,

dum

dum paternè præmonuit, ut omnis præcipuè hujus viæ vir, & sui ordinis Monachus reum se omni hora de pecca- S. Regula cap. 7.
tis suis existimans, jam se tremendo judicio Dei præsentari æstimet, *redditurus rationem, de Servitio Sancto, quod profitetur. Verùm*, quia pauco- S. Regula cap. 49.
rum est ista virtus, *paucorum incessanti memoriâ providere novissima, atque futurum, quasi jam præsens intueri judicium, saltem in hoc præbeamus consensum, ut ad reparandam mentium puritatem quotannis assumamus tempus octo dierum, quibus soli in superni inspectoris oculis constituti, per annua exercitia non tantùm iniquitates & injustitias, sed omnes ac singulas etiam nostras justitias revocemus ad trutinam, trutinaturi & dijudicaturi ad amussim legum ac Regulæ, ne secus quondam, & forsan post pauxillum dierum judicandi condemnemur â justo Judice, qui, cùm acceperit tempus*, Psal. 74. v. 3.
etiam justitias judicabit. Præveniamus proin justum Judicem, & præoccupemus faciem ejus, per religiosa exercitia renovando faciem animarum nostra-

ſtrarum, præmeditando, quid & quemadmodum reſponſuri ſimus de ſingulis actibus noſtris, dum ſubitò, horâque, quâ fortè non putamus, citandi ſumus ad thronum ultionis, ante faciem pavendi Judicis. Ad tractandum hoc prægrandis momenti negotium facem præbebit præſens exercitiorum libellus, quo ut tantò fructuoſiùs utaris, brevem introductionem accipe & vale.





INTRODUCTIO AD SACRA EXERCITIA Seu OBSERVANDA HOC LIBELLO USURIS.

I.



SAcram Solitudinem ingressurus, intuere tempus exercitiorum, tanquam tempus, *magnâ Divinæ institutionis salubritate provisum*, quo *omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus Sanctis diluere*, domui tuæ disponere, deque villicatione tua ad reddendam Deo rationem te expedire satagas. Cogita Sanctissimos viros Benedictos, Romualdos, Guilielmus, Bernardos, Philippos, Benitios & alios sexcentos, in solitudine fuisse mire illuminatos. Recogita, Sacrorum exercitiorum usum â magistris spiritualibus tot præconiis commendari, S. Leo Serm. 4. de quadrag. S. Regulæ cap. 49.

â summis Pontificibus plenariis indulgentiis honorari, tot miris conversionibus â Deo comprobari, ab ipsis cœlitibus, cœlitumque Regina nonnunquam etiam per visibiles apparitiones consuaderi, quemadmodum videre est apud Petrem Plennequin, Leonardum Mayr, & alios auctores de hac re tractantes. In pondere sanctuarii expende illud divinum colloquium: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Ecce dies! forsan totâ tuâ vita tibi non ampliùs indulgenda: Ecce tempus, de quo haud immeritò intelligendum venit illud Sacri vatis effatum: *In tempore placito exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tibi.* Fortassis totâ vitâ tuâ nunquam ampliùs tam largum Divinæ gratiæ auxilium tibi mittetur ab alto, forsitan tanta illustratio â Patre luminum tibi nunquam ampliùs offeretur, fortasse tam benevolæ omnipotentis aures tibi nunquam ampliùs patebunt, forsan ab his ipsis Sacris exercitiis dependet tua salus ac tota æternitas.

Tract. de Secessu §. 1. die 31. Julii.

2. Corinth. 6. v. 2.

Isaiæ 49. v. 8.

Forsitan dico, & dum hoc ipsum toties repeto, aliud forsitan huic prorsus contrarium opponi, mihique objici opinor; nempe forsan sum adhuc per multos annos victurus, forsitan alio tempore optabiliorem occasionem, meliorem animi dispositionem habiturus, verùm ô quàm latum intercedit

tercedit discrimen inter ista *forsitan:* nam *forsitan* tuum prægrandi exponit periculo; forsitan porrò meum ponit in tuto, moreque prudentum discrimini tutiora præponit. Illud suadet Diabolus, illusor vaferrimus, istud Christus Magister optimus; semper equidem; præcipuè tamen tempore tam accepto horum exercitiorum, tibi acclamans voce clamantis: *Et vos estote parati, quia, quâ nescitis horâ filius hominis venturus est.* Matth. 24. v. 44.

Nunquam nocuit prævenisse, serò autem venisse fatuas virgines exclusit â nuptiis, summo periculo, immo æternæ maledictioni injecit ficum caruisse ficubus, quanquam tunc necdum erat tempus ficorum. Marc. 11. Væ ergo mihi & tibi, si ipso tempore accepto, ipsis diebus salutis, in ipsis diebus sacrorum exercitiorum permanemus ligna arida? *In arido quid fiet.* Lucæ 23. v. 31. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* ad Galat. 6. v. 10.

II.

Ad præsentia, & quidem ad omnia ac singula, istis præcipuè diebus exercitia te applices, veluti morti vicinus, & jamjam exiturus de carnis ergastulo. *Agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitiâ.* Eccl. 4. v. 33. Lava in te, quod est sordidum, sana, quod est saucium, flecte omne, quod est devium, riga, quod est aridum, fove omne, quod est frigidum,

tanquam jam ascensurus lectum doloris, tanquam jam subiturus ultimam luctam, tanquam jam soluturus commune naturæ debitum, tanquam jam abiturus in terram longinquam, in domum æternitatis, tanquam jam responsurus tremendo Judici, etiam justitias judicanti. Omne exercitium aspice tanquam ultimum, instar obituri mortem pretiosam in Domino, instar virginis prudentis se præparantis ad nuptias. Expurga, exorna, & impingua Spiritum tuum, tanquam eundem jam traditurus in manus Creatoris.

III.

Sacra exercitia tua ipse Deo, Patri luminum, pretiosissimæ Deiparæ, sedi Sapientiæ, Angelicis Spiritibus, tuis specialibus Patronis, aliisque Sanctis instantissimâ oratione commendes, totus propriis viribus diffisus, totum te relinquens ac commendans Spiritui Sancto, qui Christum duxit in desertum. Potissima quippe ariditatum & desolationum causa in meditationibus ac in aliis exercitiis esse solet superba præsumptio, nimiaque confidentia sui; quemadmodum econtra potissima, eaque optima dispositio ad pluviam supernæ irrorationis obtinendam est oratio humiliantis se penetrans nubes. Quò fueris humilior, eô eris fæcundior; aquæ enim è monti-

montibus in valles deſcendunt, & gratiæ Divinæ de Cœlis in humiles; *quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit*, pauperes in proprio ſenſu replens bonis, divites autem apud ſemetipſos dimittens inanes. Pſal. 137. v. 6.

IV.

Animum Sacris exercitiis adjecturus, quælibet alia negotia & occupationes tantiſper non tantùm manu, ſed identidem cogitatione & affectu penitùs relinquas, ductus exemplo Sancti Stephani Ciſtercii quondam Abbatis, qui ad Divinum perſolvendum accinctus officium, ante januam Chori, mox ingreſſurus ſuis dictitabat cogitationibus: *manete hîc poſt januam cogitationes, quoadusque Divinum perſolvero officium: poſtea, ſi neceſſe fuerit, vos reaſſumam:* vel imitare Patriarcham Abraham, omnium credentium Patrem, qui unigenitum ſuum Iſaac juxta præceptum Domini volens immolare in monte, ad radicem montis præcipiens ſuis aſſerebat ſervis: *Expectate hîc cum aſino, ego autem & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Quin immo tanquam nunquam ampliùs reverſurus univerſis tuis negotiis atque occupationibus valedicito; Siquidem & ipſa cogitatio revertendi ad divexandum animum multimodis

Anſelmus Bisling.

Geneſ. 22. v. 5.

dis curis, devotionisque Spiritum impediendum invido Diabolo non modicè servit. Vade potiùs in sacram solitudinem, veluti cum Elia in curru igneo rapiendus de mundo, & tunc, cæteris identidem observatis, Spiritus Domini super te.

V.

Universis, & singulis exercitiis tuæ solitudinis puram intentionem ex intimo corde præmittas; totus namque fructus boni operis dependet ab intentione operantis. Ubi in Sacris exercitiis pura intentio fuerit, ibi *pinguescent speciosa deserti.* Ubi verò hoc abfuerit, ibi *relinquetur vobis domus vestra deserta.* Anima manebit arida, & Spiritus nequam ambulans per loca inaquosa eandem pro sterilitate tædiosam ac otiosam occupabit negotio pessimo. Recede in Sacram solitudinem sicut quondam Sanctus Juvenis Benedictus, soli Deo placere cupiens, nunquam non memor, quòd solum Divinum bene placitum ac major gloria Dei debeat esse ultimus finis ac scopus, ad quem in tua solitudine, in singulis tuis exercitiis collimes, tuæ intentionis oculum dirigas, tuis affectibus tendas. Finis autem proximus esto tuæ Stolæ lotio, conscientiæ plena emundatio, cordis expurgatio, hominis veteris exspoliatio, omnis mundani pulveris abstersio, vitæ renovatio, virtu-

Psal. 64. v. 13.
Matth. 23. v. 38.

virtutum progressio, perfectior cum Deo
animæ unio.

VI.

In Sacra tua solitudine non hujus libelli
auctorem, sed Deum ipsum tibi loquen-
tem attende; neque enim mea hæc vox est,
sed vox est & doctrina, quam locuti sunt
Prophetæ ac ascetæ priores; non offertur
hîc nova doctrina, sed duntaxat repetitur
ore infantis, jam dudum ad Sanctos Dei
homines de Cœlo allata. Non divisus est
Spiritus, sed idem Dominus dives in omnes,
qui olim nobis est locutus in Patribus, jam
idipsum repetit in filiis. Idem Dominus, Lucæ 3.
qui olim locutus per vocem in deserto, per v. 4.
Joannem Baptistam, quo non surrexit ma- Matth. 3.
jor inter natos mulierum, tibi quoque lo- v. 2. Luc. 3. v. 4.
quitur in præsenti libello per illum, quo 5. & 6.
non surrexit minor ac abjectior in massa
mortalium. Idem hic libellus tibi repe-
tit, quod olim Joannes *vox clamantis in
deserto* prædicavit: nimirum: *Pœniten-
tiam agite, parate viam Domini. Rectas
facite semitas ejus. Omnis vallis implebi-
tur, & omnis mons & collis humiliabitur,
& erunt prava in directa, & aspera in vias
planas, & videbit omnis caro salutare Dei.*

Idem hic libellus tibi repetit, quod Be-
nedictus omnium justorum spiritu plenus,
suis Monachis attendendum, statuit, nem-

S. Regul. cap. 7. pe, ut genuinus Benedicti filius *omni hora jam se tremendo judicio Dei præsentari æstimet*, nunquam non memor Bethlehemitici ascetæ de seipso palam contestantis: *quoties diem illum considero, toto corpore contremisco; Sive enim comedo, sive bibo, sive aliquid aliud facio, semper illa tuba terribilis sonare videtur in auribus meis: surgite*

Habacuc 2. v. 3. *mortui, venite ad judicium. Veniens venit, & non tardabit.* Beatus, qui est semper paratus, occurrere ei. Idem tibi hic libellus repetit, quod quondam tuus Magister Christus ad Sanctam Brigittam asseruit,

Libr. 4. Revelat. cap. 127. videlicet: *Ille est Monachus Benedicti, qui plus obedit Regulæ quàm carni, qui nec in habitu, nec in moribus alicui placere desiderat, nisi Soli Deo; qui quotidie mori desiderat, & parat se ad exitum de hoc mundo, & sollicitus est, quomodo reddat rationem de Regula Benedicti.* Eadem est vox clamantis in deserto, qui dimissis nonaginta no-

Lucæ 15. vem ovibus in deserto, jam vadit ad illam, jam vocat illam, quæ perierat. Audi pro-

Prolog. S. Regul. Lucæ 19. v. 42. & 43. in ovis errabunda vocem Pastoris: *Ausculta ô fili præcepta Magistri. Et quidem in hac die*, in his exercitiis, *quæ ad pacem tibi, quia venient dies in te*, quibus audien-

Lucæ 16. v. 2. dum tibi: *Redde rationem villicationis tuæ,*

4. Reg. 20. v. 1. *jam enim non poteris villicare. Morieris enim tu, & non vives.*

VII.

VII.

Sis constans ac perseverans in assumpta semel temporis distributione, singula exercitia absque confusione suo ordine peragens, nihil intermittens ex tædio, nihil mutans ex curiositate, nihil turbatus, neque pusillaminis, tametsi forsan ariditates, aut tentationes, aut aliæ indispositiones interveniant; *Sed exspecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum & sustine Dominum.* Psal. 26. v. 14. Plerumque enim ubi primi dies quasi sicci decurrunt, posteriores perseverantibus eo uberiori consolatione succedunt. Tracta debito tempore cum Patre Spirituali, nequaquam quidem de rebus impertinentibus, sed de iis duntaxat, quæ tum fructum, tum impedimenta exercitiorum & animæ statum concernunt. Clama ad Dominum tum precum suspiriis, tum discretis pœnitentiæ operibus, præcipuè actibus humilitatis, mitte ad Cœlum similià devotionis jacula: *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me; quoniam inops & pauper sum ego.* Psal. 85. v. 1. *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* 1. Reg. 3. v. 9. *Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua. Domine non confundar; quoniam invocavi te.* Psal. 33. v. 17. & 18. *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Cant. 2. v. 14.

Audiatur vox turturis, & vox Spiritûs

Sancti in sterili terra cordis mei, ut ficus arida proferat grossos suos; & ego peccator dignos pœnitentiæ fructus. Quod porrò ipsam temporis distributionem concernit; eandem quilibet vel juxta usitatam sui instituti consuetudinem, vel juxta suam commoditatem sibimetipsi pro sua devotione ordinare potest. Ut verò saltem aliquam facem, huic libello exercitiorum conformem, etiam in hac parte subministrem, apud nostrates in monasteriis, ubi matutinum manè media quartâ celebratur, & præcipuè in novitiatu sequens temporis distributio observari consuevit.

1. Die præcedenti præmittitur manè locò ordinariæ meditationis meditatio Præparatoria.

2. Offertur Sacra communio pro felici successu Sacrorum exercitiorum, cæterùm per diem vel convenienti lectione vel exhortatione excitatur animus, & animatur Spiritus ad Sacra exercitia sese applicandum. Relegi etiam possunt hìc præmissa.

Completorium

3. Mediâ septimâ recitatur privatim completorium ex officio canonico, & relegitur meditatio pro die sequenti.

Cursus.

4. Horâ septimâ recitatur matutinum cum laudibus ex cursu Mariano pro die sequenti, tempore residuo legitur sacra Regula prout præscribitur.

5. Me-

5. Mediâ octavâ per quadrantem consideratio vespertina. Considera-tio.

6. Tertio quadrante usque ad horam octavam examen generale.

7. Horâ octavà, preces consuetæ brevis visitatio venerabilis, quies in Domino.

Pro reliquis diebus.

1. Manè mediâ quartà matutinum cum laudibus in choro. Mat.

2. Post matutinum, reliquis expeditis, lectio præscripta ex libello de imitatione Christi. Lect.

3. A mediâ sextâ usque ad mediam septimam prima meditatio. Meditat.

4. Mediâ septimâ per quadrantem annotatio fructûs. Annotatio.

5. Tertio quadrante ad septimam Prima privatim ex officio canonico, & dispositio ad missam. Prima.

6. Horâ septimâ missa, sub qua etiam â fratribus saltem spiritualiter quotidie communicatur. Gratiarum actio &c. Missa.

7. Post mediam octavam, vel tertio quadrante recitantur privatim horæ minores ex officio canonico. Horæ minores.

8. Ab horâ octavâ usque ad mediam nonam lectio spiritualis. Lectio.

9. Mediâ nonâ per quadrantem annotatio fructus ex lectione. Annotatio.

10. Ter-

Meditat. 10. Tertio quadrante præparatio ad secundam meditationem.

11. Horâ nonâ usque ad decimam meditatio secunda.

Annot. 12. Sequitur per quadrantem annotatio fructûs.

Examen. 13. Quadrantem post decimam examen particulare.

14. Mediâ undecimâ frugalis refectio corporalis.

15. Post refectionem devota visitatio venerabilis.

Respiratio. 16. Respiratio in silentio, vel collatio cum Patre spirituali usque ad tertium quadrantem primæ.

17. Tertio quadrante usque ad plenam

Visitatio. horam primam visitatio venerabilis.

Cursus. 18. Horâ primâ horæ minores cum vesperis & completorio ex cursu Mariano, & si quid temporis restat usque ad mediam secundam, poterit precibus privatis recitandis impendi.

Lectio. 19. A mediâ secundâ usque ad mediam tertiam lectio spiritualis.

Annot. 20. Per quadrantem annotatio fructûs.

21. Ultimus quadrans impenditur vel

Præparat. pro præparatione ad annualem confessionem, vel hâc jam peractâ, pro futurâ vitâ meliùs & perfectiùs instituenda.

Vesperæ. 22. Horâ tertiâ vesperæ in choro decantandæ.

23. Fi-

23. Finitis vesperis dispositio ad tertiam meditationem.

24. Tertio quadrante ad quartam per Meditat. horam tertia meditatio.

25. Tertio quadrante usque ad quintam Annotat. annotatio fructûs.

26. Horâ quintâ sobria cæna.

27. Brevis visitatio venerabilis. Visitat.

28. Respiratio in silentio usque ad mediam septimam.

29. Mediâ septimâ completorium ex officio canonico privatim & reliqua uti die præcedenti, & sic reliquis diebus, nisi jejunia aut alia impedimenta intercurrant, quæ, quemadmodum facilè prævidentur, sic etiam facilè exiguâ mutatione corriguntur. Verùm hæc scripta sint, nihil præscribendo, sed solùm modum aliquem distributionis, libello conformem, insinuando. Cæterùm ordinet sibi quilibet, prout in Domino visum fuerit, meique peccatoris maximi in sua devotione meminisse dignetur.

ORA-

ORATIO PRÆPARA-TORIA,

Sive

Pura intentio meditationibus, examinibus singulisque aliis exercitiis attentè ac devotè præmittenda.

ECce Domine Deus, summum ac infinitum bonum, unicum centrum animæ meæ, creator cœli & terræ, Rex infinitæ majestatis, potentiæ sapientiæ & bonitatis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus! Ego creatura tua vilissima, indignissima, ingratissima, & omnium infima; ego, qui nihil sum, nihil habeo, nihil possum, nihil scio, nisi in momenta singula deficere, errare, & peccare, venio ad te, quia tu vocas me, ut adimpleam sanctissimam voluntatem, gustum, & beneplacitum tuum, cupio, & intendo ex toto corde meo tibi in hac meditatione (vel consideratione, lectione, examine &c.) tantam laudem & gloriam tantum honorem, obsequium, gustum ac beneplacitum exhibere, quantum tibi de factò præstant omnes Angeli, & Sancti tui in cœlis, omnesque justi in terra: quantum tibi præstant, atque præstare possent omnes homines, omnesque creaturæ existentes, & possibiles: immò quantam tibi præstitit, etiam-

etiamnum præſtat, atque in æternum præſtabit ſacratiſſima humanitas Domini mei Jeſu Chriſti, & Beatiſſima Virgo Maria Mater ejus dulciſſima; idque ex puro erga te amore, quia tu ita vis, quia ita tibi placet, & quia infinitè dignus es, Deus meus & omnia! Ecce Domine nihilum ego, & creatura tua indigniſſima! quid me vis facere? Fiat voluntas tua beneplacens & perfecta in me, adjuva me, & miſerere mei propter gloriam nominis tui, ut complaceam tibi Deus meus, Amen.

O Jeſu dulcis Magiſter, & Pater luminum, Deus totius conſolationis, in manus tuas Spiritum meum, meque totum commendo, præſertim iſtam meditationem (vel lectionem vel examen) & ultimam horam vitæ meæ.

Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis, nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.

PRACTICA RECOLLECTIO ANIMI
Ante
Meditationem, & alia exercitia per diem frequentiùs mente volvenda.

ECce anima mea, *Magiſter adeſt, & vocat te. Præparare in occurſum Dei tui,* Joann. 11. v. 13. Amos 4. v. 12.
veni citò cum Magdalena pœnitente ad ſeden-

dendum ſecus pedes Domini, & audiendum verbum illius.

Hebræ. 4. v. 12. & 13. Ecce attendit te & tua ipſe *diſcretor cogitationum, & intentionum cordis, & non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus, omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo orationis.*
Geneſ. 28. v. 17. Ecce, *quam terribilis eſt locus iſte*, quandoquidem non ſolùm in loco ſancto, ſed in ipſo fonte omnis ſanctitatis Deo, ſicut piſcis in aqua, exiſtis;
Actor. 17. v. 18. *In ipſo enim vivimus movemur, & ſumus.* Vide itaque qualem ipſi omnis ſanctitatis Auctori, intimè præſenti debeas reverentiam? Qualem tanto docenti Magiſtro attentionem? Qualem ſupremo præſenti Domino obedientiam ac ſubmiſſionem? O immenſe Deus meus, & omnia! Ergo ne tu in me? & ego in te? Sanè dilectus meus mihi, & ego illi.
Cant. 2. v. 16. *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus.*
Cant. 7. v. 10. *Veni dilecte mi.* Intende mihi Deus meus! ego intendam tibi.

Meditatio præparatoria.

Pridiè ante ipſa ſacra exercitia (præmiſſis pro lectione ſpirituali ex lib. 3. de Imit. Chriſti cap. 1. 2. & ex lib. 1. cap. 20. manè locò meditationis ordinariæ devotè expendenda.

Præludium: En tibi anima mea! vox de cœlo ad te: *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.*

Osee 2. v. 14. Vox est Pastoris, ovem errantem quærentis. *Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes. Exodi 23. v. 21.*

Punctum Primum.

Considera, te vocari ad audientiam supremi Regis, certè non propter tua merita, sed ex singulari favore ipsius Regis, specialique gratia. Et quidem ad audientiam, integro octiduo tibi indulgendam. O quanta dignatio! Nam quis ille Rex? & quis tu? *Ecce plus quàm Salomon hic!* & tu non solùm millies vilior Reginâ Sabâ, quam Salomonis sapientia de finibus terræ attractam stupore replevit, sed quâvis quoque deterior *testâ de Samiis terræ.* Ecce hic plus, quàm Rex Assuerus, cujus conspectum Regina Esther, incredibilis pulchritudinis mulier expavit; & tu, cujus vita velut pannus menstruatæ, non expaves in conspectu Dei Regis magni, & terribilis super omnes Deos? Verumtamen, *noli metuere;* extendit enim hisce diebus super te auream virgam suæ clementiæ, ut parcat tibi judicaturus orbem terrarum in virga justitiæ. *Ego sum frater tuus* (inquit) *noli metuere. Accede igitur, & tange Sceptrum* oblatæ clementiæ, admitte in cor tuum amorem monentis fratris, ut effugias iram condemnantis Judicis.

Matth. 12. v. 42.

Isa. 45. v. 9.

Esther 15. v. 10.

Esther 15. v. 12.

Esth. loc. c.

Esther. 15. v. 14.

B *Pun-*

Punctum secundum.

Exod.9. v.5 En! tibi anima mea! *Cras faciet Dominus verbum istud in terra*, tractaturus tecum de negotio omnium maximo, omniumque maximè necessario; nempe de tua perfectione, à qua tua vocatio, æterna salus majorque gloria Dei dependet.

Psal. 147. Psal. 82. Emittet verbum suum, & sicut qui comburet sylvam vitiorum, liquefaciet glaciem cordis tui, illuminabit opaca mentis condensa, atque novum in te accendet desiderium, pede velociori currendi in via purgativa ad majorem animi puritatem, in via illuminativa ad majorem virtutum soliditatem, in via unitiva ad majorem ac perfectiorem cum Deo summo bono unionem. Ecce hi sunt nobilissimi fines sacræ solitudinis, tam præstantes sacra exercitia germinant fructus, tam mirabiles operantur effectus, ut unica subinde ad illa seria applicatio mutet hominem in virum alterum, in virum perfectum, in virum sanctum. O si & in me, & in te tales producerent effectus! producent omnino, si his proportionata fuerit applicatio, fervor ac desiderium, si semen in terram bonam ceciderit, si ignis linum,

Isa.42. v. 3. jam quasi præ desiderio sanctitatis fumigans invenerit; Nam *linum fumigans non*

Ps. 36. v. 6. *extinguet* sacra solitudo, sed *educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem.* *Pun-*

Punctum tertium.

Inſpice vitam tuam, ecce homo! & opera ejus, & innoteſcet animo tuo, annua exercitia maximopere tibi eſſe neceſſaria. Inſpice infirmitates tuas, ut, his cognitis, ames medicinam. Inſpice miſerias, ut quæras medelam. Certè *animæ veſtræ ſitiunt vehementer*: currendum eſt ad fontem. Eccli. 51. v. 32. Multifariam mundano pulvere ſordidâſti veſtimenta tua, properandum eſt ad lavacrum, Spiritus tuus per varia diſtractus non parùm intepuit, recurrendum eſt ad ignem. Animus tuus per ſuos inordinatos affectus cum filio prodigo quaſi *peregrè profectus eſt in regionem longinquam.* Lucæ 15. v. 13. Redeundum eſt ad Patrem, renovandus eſt Spiritus, reformandus ſenſus, reſumendæ vires Sancti propoſiti, ſuccingendi lumbi, roboranda genua debilia, calceandi pedes; *grandis enim tibi reſtat via* ad religioſam perfectionem. 3. Reg. 19. v. 7. Multa adhuc tibi deſunt, ad Religioſum omnibus numeris abſolutum. Quare *ingredere, & includere* per hoc octiduum *in medio domus tuæ.* Ezechiel 3. v. 24. *Intra in cubiculum tuum*, everre domum tuam & accende lucernam. Matth. 6. v. 6. Tracta cum Patre luminum de negotio negotiorum. *Lectio veſpertina ex Regula erit Prologus.*

CONSIDERATIO VESPERTINA
De
Pretioſitate animæ.

NOſce teipſum, æſtima animam tuam unicam adeò pretioſam, ut illi omnia mundi regna, omnes theſauri, omnes divitiæ comparari nequeant. *Quid enim prodeſt* Matth. 16. v. 26. *homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Ambulâſtine hactenus ſecundum hanc ſententiam? Præpoſuiſtine animam tuam ſemper regnis ac mundo univerſo? Nunquam illam, margaritam tam pretioſam projeciſti in ſterquilinium momentaneæ voluptatis? Nunquam vendidiſti diabolo? Nunquam illam expoſuiſti æternæ damnationis periculo? Cuſtodiviſtne illam hucusque ut pupillam oculi? Coluiſtine illam ut vineam electam? Exornâſtine illam, ut templum Spiritûs Sancti? Matth. 16. v. 27. *Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis.* Et tunc requiret animam tuam de manibus tuis,

PRO

PRO
PRIMA DIE OBSERVATIONES.

1. PRima dies, quam feriam ſecundam eſſe ſuppono, ſpecialiter dedicabitur Spiritui Sancto.

2 Singula hujus diei exercitia ſpecialiter offerentur tum pro propria illuſtratione, præſertim in myſteriis fidei cognoſcendis, ac firmiter credendis, tum pro ſummo Pontifice, totoque venerabili clero.

3. Teſſera ſpecialis pro ſingulis exercitiis hac die erit: age, quod agis, fortaſſe enim gratia finalis, totaque æternitas ab hac actione dependet. Vel unicus radius minùs perfectè poſitus, multùm nocet, dum æternitati pingitur.

4. Aſpirationes frequentiores erunt ad Spiritum Sanctum. v. gratia: Veni Pater pauperum, veni lumen cordium, accende lumen ſenſibus, infunde amorem cordibus.

5. Ante meditationem pro lectione Spirituali accipietur de imitatione Chriſti, ex lib. 1. cap. 4. de Doctrina veritatis, & ex lib. 4. cap. 18. quòd homo non ſit curioſus ſcrutator.

6. Meditatio prima erit de fide. Secunda de tranſitu ad æternitatem, tertia de gratia vocationis.

7. Lectio matutina de fidei defectibus corrigendis. Pomeridiana de habendâ futurorum memoriâ.

8. Examen particulare de conversione morum & religiosa modestia.

9. Lectio vespertina ex sacra Regula capùt quartum de instrumentis bonorum operum.

10. Consideratio vespertina de cavenda curiositate, & repellendo spirituali tædio.

MEDITATIO I.

DE FIDE.

Punctum 1. De gratitudine pro dono fidei. 2. De exercitio. 3. De probatione ejusdem.

Præludium.

Act. 1. SIc mentem tuam collige, ac si cum Apostolis collectus, & in cænaculo positus exspectares adventum Spiritûs Sancti, docentis te omnem veritatem.

Punctum I.

Psal. 147. v. 20. Profectò *non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Non omnibus datum donum fidei, quod tibi donatum, & quidem sine tuis meritis, sine tuo labore, sine tua applicatione, adhuc infanti quondam in sacro baptismate. Ubi ergo gra-

gratitudo tua pro tanta gratia? O quàm miser, quamque infelix esses! si inter infideles natus, aut educatus fuisses! nam placere Deo nullatenus posses; quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Æternam damnationem nequaquam effugeres; quoniam, *qui non credit, jam judicatus est.* Ubi ergo gratitudo tua? ubi est gratitudo pro tam copiosa instructione in mysteriis fidei? pro tot, tamque commodis occasionibus clariorem credendorum sibi notitiam comparandi? O quot fideles tali occasione carent! talem instructionem habere non valent! *Judicia sua non manifestavit eis.* En! *vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Ubi est ergo gratitudo? revolvistine hæc hactenus grato animo? benedixistine Patri luminum pro tanto lumine? exhibuistine grata Deo opera pro tantâ gratiâ. Cave deinceps ingratitudinem; nam fidem meretur amittere, qui negligit pro collatâ fide se gratum ostendere.

Hebr. 11. v. 6.

Joann. 3. v. 18.

Psal. 147. v. 20.

Luc. 8. v. 10.

Punctum II.

Considera habitum dari propter actum, & fidem â Deo infundi propter exercitium, & quidem, non propter exercitium languidum, non propter exercitium tepidum; nam ubi fides languet, ibi charitas friget: sed propter exercitium fervidum, propter exer-

exercitium vivum, quo in fide nihil hæsitatur, quo mysteria, fidei tam firmiter, tam vivaciter, tamque reverenter & humiliter creduntur, ac si ea ipse Deus præsens jam ore ad os nobis loqueretur. Istud fidei vivum, & vix non assiduum exercitium petit quidem Deus ab omnibus fidelibus, præcipuè tamen â Religiosis. 1. Quia Religiosi potissimùm, & quasi continuò occupantur in exercitiis religionis & cultu Divino, ast Deum nemo benè colit, nisi qui per vivam fidem benè de eo sentit. 2. Quia profitentur perfectam obedientiam, quæ supponit vivam fidem adhibendam divinæ scripturæ dicenti: *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* (Lucæ 10. v. 16.) 3. Quia tenentur tendere ad Evangelicam perfectionem, sed fides est lumen illuminans, ne errent in via, est lucerna lucens, ne offendant in nocte. Nam *qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso, justus autem in fide sua vivet; & omnia opera ejus in fide.* (Hab. 2. v. 4. Ps. 32. v. 4.) Ampliùs & ampliùs per crebros vivæ fidei actus accende istud lumen fidei in corde tuo, suspirans cum Apostolis ad auctorem fidei JEsum: *adauge nobis fidem.* (Lucæ 17. v. 5.)

Punctum III.

Vosmetipsos tentate, si estis in fide; ipsi vos (2. Cor. 13. v. 5.)

vos probate. Probatur autem fides tribus:
Primò operibus bonis; *Sicut enim corpus* Jacob. 2.
sine Spiritu mortuum est, ita & fides sine v. 27.
operibus mortua est. Ille etenim vere credit, S. Greg. ho-
qui exercet operando, quod credit. Fides cum mil. 26. in
bonorum operum fructu fides Christiana, Evangel.
fides sine bonis operibus fides diabolica;
quandoquidem & Dæmones credunt. Nec Jac. 2. v. 19.
mireris hoc dictum; nam radius est Afri-
cani luminis asseverantis: *cum dilectione* S. August.
fides Christiani, sine dilectione fides Dæmo- de civit.
nis. Secundò probatur fides per patien- Dei.
tiam in adversis ac tribulationibus: nec
enim gratis hortatur Apostolorum Prin-
ceps: *ut probatio vestræ fidei multò pretio-* 1. Petr. 1.
sior auro, quod per ignem probatur, inve- v. 7.
niatur in laudem & gloriam & honorem in
revelatione Jesu Christi. Aurum probat
fornax, fidem Christiani tribulatio. Au-
rum non est, quod in igne splendorem de-
perdit, nec fides veri Christiani, quæ tem-
pore tribulationis fluctuat. Salamandra
in flammis nutriri fertur, & fides in Chri-
stum inter adversa augetur. Tertiò proba- Rom. 4.
tur fides constantiâ in tentationibus. *Cre-* v. 3.
didit Abraham Deo, & in tentatione inven-
tus est fidelis. In sinu Abrahæ aliquando Eccli. 44.
dormire anhelas? filius ac strenuus imi- v. 21.
tator Abrahæ esto, non recedens, neque
fluctuans in fide, etiam cùm tenteris, sed

ſemper fidelis Deo, qui faciet quoque cum tentatione proventum, ſicut ſcriptum eſt: *Beatus* Vir, qui ſuffert tentationem, quoniam *cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.*

Jacob. 1. v. 12.

BONA PROPOSITA.

Ex hac meditatione ad augmentum fidei acquirendum concipienda.

1. QUotidie, quamprimùm lumen diei aſpexero, Deo devotiſſimas ex intimo cordis rependam grates pro donato mihi fidei lumine.

2. Quotidie frequentius deteſtabor cum compunctione cordis meam ingratitudinem, & ſocordiam, dolens ſcilicet, quòd hactenus tam raro actus fidei elicuerim, tamque parùm donum fidei æſtimaverim.

3. Ante omne opus ſtudebo elicere actus vivæ fidei, indubitata & firma videlicet fide mihi ante mentis oculos ponens, Deum eſſe ubique præſentem, omnia opera noſtra attendentem, omnium bonorum remuneratorem, omnium malorum vindicem, ſummum creaturæ rationalis bonum ultimum noſtrum finem, in quem unicè omnes noſtri actus ſunt referendi.

4. Per diem ſæpius, præſertim ſub oratione

tione, pro ſingulis Catholicæ fidei veritatibus promptiſſimè me offeram ad quælibet tormenta, ac martyria ſuſtinenda, præcipuè pro illis fidei articulis, in quibus credendis majorem difficultatem, gravioresque tentationes experior.

5. Crebriùs per diem eliciam actus deſiderii, ut omnes gentes, omnesque populi veritatem fidei agnoſcant, ex toto corde ſuſpirans cum Propheta: *confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Pſal. 66. v. 6.*

6. Frequentiùs per diem ad quælibet tormenta ſuſtinenda me offeram pro quâlibet infideli anima, ut eam miſerator Dominus lumine veræ fidei colluſtrare dignetur.

7. Singulis tentationibus contra fidem ſine mora generoſè reſiſtam, captivans omnem intellectum meum in obſequium fidei, cogitans, quia *judicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſa, nullo modo* humanæ ſcrutationi vel debili mortalium judicio ſubjicienda. Dominus locutus eſt, & ad credendum ſatis eſt. Eccleſia columna veritatis ita ſentit, de veritate dubitari non poteſt. Pſal. 18. v. 3.

8. Cum tentatis in fide ſemper habebo commiſerationem; nec intermittam pro occaſione fluctuantes in fide verbis veritatis

tis confirmare, ac pro illis meas preces offerre.

9. Sanctæ fidei nostræ mores ac vitam meam pro viribus in omnibus conformare studebo.

10. Sanctorum Apostolorum festa, & his præmissa jejunia diligentissimâ observatione, & speciali cultu venerabor, ut ipsi ut pote fidei principales satores mihi fidei robur, & constantiam â Domino impetrent.

11. Pariter in hunc finem quoque Sanctis Martyribus qui pro fide vitam & sanguinem dederunt, magnam venerationem pro occasione in omni loco exhibebo.

LECTIO SPIRITUALIS Tempore matutino diei primæ.

ARGUMENTUM

Deus justus Judex accuratam exiget rationem de cujuslibet fide.

INitium salutis fides, & â fide auctor fidei Jesus suum ordietur Judicium. De fide ferme potissima disceptatio erit in valle Josaphat, quia potissima mortalium peccata, potissima animarum damna, ex neglectu & defectu fidei subintroierunt in orbem terrarum. Judicabit scrutator cordium, ac Domi-

minator gentium populos infideles, *qui fuerunt rebelles lumini, & non crediderunt verbo ejus.* O quantus horum erit numerus! Judicabit apostatas, ac deficientes â fide. O quàm horrendum istos exspectat judicium! *Melius enim erat illis, non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est Sancto mandato.* Judicabit consummator fidei suos identidem fideles! Judicabit identidem Religiosos, qui quidem crediderunt in nomine ejus, haud tamen fide tam perfectà, qualem ab eis exigebat ipsorum Professio. His proinde præcipuè ultimis vox clamantis in deserto per præsentem discursum acclamat, erudiens eos, qualis fidei lucerna sit tenenda in manibus, quique fidei defectus sint potissimùm corrigendi?

Jobi. 24. v. 13. Psal. 105. v. 24.

2. Petr. 2. v. 21.

Et ecce! conqueritur ipse auctor fidei asseverans: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Qualem verò fidem postulat Dominus? Qualis fides præcipuè â nobis Religiosis exigetur in Judicio tremendo? Procul dubio fides saltem ut granum sinapis. Nam *si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Ecce, non major fides exigitur, quàm granum sinapis. *Quod minimum quidem est omnibus seminibus*, & tamen valde dubi-

Luc. 18. v. 8.

Matth. 17. v. 19.

Matth. 13. v. 32.

dubito, utrum tantâ præditus sis fide? & forsan ipse dubius hærebis, si credis Cornelio à Lapide, asserenti: *Granum sinapis est Ecclesia, præsertim primitiva*, conformiter illis verbis Domini: *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Nam *sæpè in sacro eloquio regnum cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur.* Ecce talem fidem oportet nos habere, sicut granum sinapis, qualem habuit primitiva Ecclesia. O quàm viva illa fuit, quam excitata! quàm generosa! quàm zelosa! quàm intenta fructibus bonorum operum, quàm parata ad quælibet toleranda pro Christo, vidisses Apostolos gaudentes in contumeliis, superabundantes gaudio in tribulatione. Vidisses Andream crucis patibulum cum jubilo â longè salutantem, Stephanum lapides torrentis dulces reputantem, Paulum in resecto jam capite adhuc saltantem. Laurentium inter ardentes prunas jocantem. Vidisses sub Trajano tyranno quàm plurimos Christianos *omnes ad martyrium gaudentes accedere.* Vidisses sub *Diocletiano innumerabilem tunc Christianorum omnis sexûs & conditionis multitudinem alacri animo martyrium subiisse.* Vidisses sub Valeriano & Galieno Christianos tormenta & martyria *magnis clamoribus expetere.* Vidisses generosas illas tres sorores Fidem, Spem, & Charitatem,

In Matth. c. 13.
Matth. 13. v. 31.
S.Gregor. homil. 12. in Evangel.
Spondanus ad annum 102.
Idem ad annum 302. ad annum 261.

tem, Fidem virginem duodecim annorum, in flagellorum grandine, in mamillarum abscissione, in ardenti sartagine, & denique in capitis resectione semper intrepidam. Spem virginem decem annorum in nimbo flagrorum, in furno succenso, in capitis avulsione semper impavidam, Charitatem virginem novem annorum, suspensam, flagellis concisam, ardenti fornaci immissam, & demum capite plexam, nunquam tamen non hilarem, nunquam non paratam ad majora tormenta. Vidisses Agnetem puellam tredecim annorum, quæ *ad supplicii locum læta successu, gradu festina virgo processit &c. Mirentur viri*, erubescant Religiosi, qui forsan vix tam hilari mente sustineant religionis jugum, vix ita læto animo suscipiant castigationis aut correctionis remedium, sicut hæ, & sexcentæ aliæ teneræ virgines properârunt ad mortis supplicium. Planè his haud sumus infirmiores naturâ, sed solùm languidiores fide. Ast unde tantus in primitiva Ecclesia fidei fervor? Unde tantus nostrâ ætate fidei languor? Unde tanta in fide differentia inter prima ac nostra ultima sæcula? Nempe primi Christiani recenti adhuc tenebant volvebantque memoriâ mirabilia, quæ Christus fecit, & omnia magnalia Dei, per prædicationem Evangelii disseminata in orbem. In mysteriis fidei erat

Leonard. in calend. Marian. 30. Septemb.

S. Ambros. lib. 1. de Virg.

erat ipsorum assidua cogitatio, assidua exercitatio, assidua de illis dissertatio. Nostra autem tempestate, reperire est quandoque Christianos, qui integro subinde die vix semel cogitant, se esse Christianos. Cogitatio de fidei mysteriis apud nonnullos est rara, exercitatio rarior, locutio rarissima. Hic itaque languor ac fidei defectus â quolibet, præsertim â viro religioso corrigendus est ex Regula sancti Patriarchæ Benedicti, capite 7. cujuslibet Religiosi animum ita convenientis: *Timorem Dei sibi ante oculos semper ponens, oblivionem omnino fugiat, & semper sit memor omnium, quæ præcepit Deus, qualiter contemnentes Deum in gehennam pro peccatis incidunt, & vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est, animo semper revolvat.* Cavenda est oblivio credendorum, memoria excolenda est crebris fidei actibus, exercenda fides Sanctis meditationibus, exercenda devotis Scripturarum lectionibus, exercenda Divinis colloquiis, ad imitationem Sanctæ Cæciliæ, quæ *virgo gloriosa semper Evangelium Christi gerebat in pectore, & non diebus, neque noctibus â colloquiis Divinis & oratione cessabat.* Nam *cito fides inexercita languescit, & crebris otiosa tentatur incommodis.* Exercenda est fides â quolibet Christiano, præcipuè â quovis Religioso operibus ac fidei fructibus. Ita, ut de eo verificetur illud: *Omnia*

Breviarium die 22. Novembr.

S. Ambros. super Psal. beati im̃aculati.

Psal. 32. v. 4

opera

opera ejus in fide. Quid enim juvat gladius ad latus, nisi instante certamine evaginaveris illum? & quid prodest fides, nisi tempore tentationis fortiter Diabolo resistas in fide, assumendo, & veluti scutum apponendo veritates fidei omni tentationi, ita, ut ceu generosus victor, omniumque tentationum triumphator canere queas: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* 1. Joann. 5. v. 4.
Quæ utilitas lucernæ in manibus, nisi ambulans ad illius lumen tuos direxeris gressus? & quid gloriaris in fide, nisi operaris ex fide? Si operaris solùm ex naturali rationis dictamine? Vel ex solo ductu ac directione acquisitæ scientiæ? Vel ex quadam humana, aut politica prudentia? Vel ex mera consuetudine, vel ex propriæ voluntatis gustu? Vel ex alio naturali appetitu? Vel omnino ex cœco sensualitatis pruritu? *Justus ex fide vivit*, & non ex naturali dictamine. Ad Gal. 3. v. 11.
non ex humana prudentia, non ex naturali gustu. Quid autem est ex fide vivere, nisi ex fide operari? Sicuti enim vivere est actus vitæ exercere, sic etiam vivere ex fide, est operari per fidem, & ex viva fide, & imitari illos, *qui per fidem vicerunt regna, operati sunt* justitiam, *adepti sunt repromissiones.* Hebr. 11. v. 33. Quæ utilitas grammatico in sua grammatica, nisi ad ejusdem regulas formaverit suas compositiones? & quæ utilitas Christiano

ſtiano in ſua fide, niſi ſuos actus ſuamque totam vitam ad doctrinam fidei, veluti ad unicam tutam operandi regulam inſtituerit? Non operari ex fide eſt in primis principiis Chriſtianiſmi errare, tamque parum prodeſt fides Chriſtiano, non operanti ex fide, quàm parum oculus videnti & non ambulanti in lumine. Cave ſis itaque, ne fidem tuam pretioſam minam ponas in ſudario, & ne â tremendo Judice aliquando audire cogaris: *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam? & ego veniens cum uſuris exegiſſem utique?* Oſtende mihi fidem tuam. Ubi eſt lucrum fidei? ubi fructus? ubi opera? ubi actus? ubi augmentum? ſecunda cauſa languoris in fide, ſeu diſcriminis ratio inter fidem primitivæ Eccleſiæ & moderni ſæculi eſt diſpar æſtimatio. Nam apud primos Chriſtianos fides ſummè æſtimabatur, omnibus ſcientiis, omni proſapiæ, opibus ac regnis anteponebatur. Memoriâ aſſiduè volvebatur illud: *Non enim judicavi, me ſcire aliquid inter vos, niſi JEſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Ex abundantia cordis erumpebat illud: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri JEſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Audiebatur illud ſanctæ Agathæ: *Multò præſtantior eſt Chriſtiana humilitas & ſervitus, regum opibus ac ſuperbiâ,*

Luc. 19. v. 23.
Jac. 2. v. 18.
1. Corint. 2. v. 2.
Ad Galat. 6 v. 14.
Breviarium die 5. Februar.

perbiâ, pluris pendebatur cum Ludovico sanctissimo Galliarum Rege, nomen Christiani, quàm titulus regis. Olim tituli, magna nomina, sceptra & regna, sanguis ac vita & omnia sunt data, ut cimelium fidei servaretur illæsum, conformiter illi Divino oraculo: *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JEsu Christi Domini mei.* Phil. 3. v. 8. Hodie verò repleta est terra scientiis, & evacuata est fide, quilibet magnificat sua, iste suam scientiam, ille suam prosapiam, alter suam potentiam, alius fortunam & rerum affluentiam, ac fides Christi, per Apostolos, Spiritu Sancto de cœlis instructos prædicata, tot miraculis confirmata, tam profuso Sanctorum martyrum cruore subscripta in multorum oculis ac mentibus eviluit. Quisquis itaque hucusque de fide justo minorem æstimationem habuisti, defectum ejusmodi quantociùs corrigere ne differas; nam non solùm regnum, sed etiam fides de gente in gentem transfertur, juxta illud Christi Domini: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Matth. 21. v. 43. Deificum quippe Sanctæ fidei lumen meretur amittere, quisquis illud dignè æstimare non discit. Revocetur ad considerationis lancem ille discursus Divi Augustini apud Patrem Michaelem â Sancta Catharina ita differentis: *Audistis* Vol. 3. Tractatione 6. erud. 1.

dictis ab initio usque ad hanc diem, quòd multæ generationes pertransierunt, quæ omnes sine cognitione Dei & pretio suæ redemptionis in interitum sempiternum delapsæ sunt, quando tibi hanc gratiam largitus est, quam nullus eorum percipere meruit. Sed nunquid tu fortior? nunquid sapientior? nunquid nobilior? nunquid omnibus illis dignior fuisti? qui hanc præ omnibus illis specialem gratiam sortiri meruisti? quot fortes, quot sapientes, quot nobiles, quot divites ibi fuerunt, & tamen universi relicti, & abjecti perierunt. Quid prodesset tibi tua scientia, tuum ingenium, tua talenta? si unus ex illis fuisses, aut esses? & certè esses ex illis, si Catholicâ fide careres. Nihil scit, qui fidei veritates ignorat, & nihil docet, quisquis plebem in fidei articulis rudem ac ignarum relinquit. Econtra sat doctus, sat dives, sat nobilis est, quisquis bonus Christianus est. Quod probè perpenderunt nobilis ille Juvenis Astion, & Epictetus presbyter; hi enim â Judice Latroniano interrogati, unde domo? ex qua stirpe? aut ex qua essent provincia nati? repetitis vicibus nihil aliud responderunt, nisi: *Nos Christiani sumus, & Jesum Christum Dominum nostrum profitemur, in cujus potestate cuncta habentur. Fides religionis Catholicæ lumen est animæ, ostium vitæ, funda-* men-

In vitis Patrum lib. 1.

mentum salutis æternæ. *Hanc nobis velut magnam lampadem, Christus adveniens errantibus viam monstraturus, exhibuit, per quam possit Deus ignotus requiri, quæsitus credi, creditus inveniri.* Fides est illa alta sapientia, cui non possunt contradicere omnes adversarii nostri. Illud lumen, quo dispelluntur ignorantiæ tenebrarum, *origo justitiæ, sanctitatis caput, devotionis principium, religionis fundamentum.* Fide nulla scientia est in veritate certior, nulla in suis principiis securior, nulla quoad objectum suum sublimior, nulla quoad finem suum sanctior, nulla quoad documenta purior, nulla imbecilli humanæ intelligentiæ ad intelligendum aptior, nulla ad illuminandum intellectum præstantior, nulla ad honestè vivendum utilior, nulla Christiano homine dignior; nec est Christiani nomine dignus, qui fidem Christianam non æstimat. Tertia causa languoris in fide, sive ratio discriminis inter fidem primitivæ Ecclesiæ ac moderni sæculi est nostra curiositas, ac superbia intellectûs tardantis credere, quod nequit capere; nam primi Christiani redigebant omnem intellectum in obsequium Christi, scientes quoniam eloquia Domini justificata in semetipsis, modò verò â fide non pauci deficiunt, scrutantes scrutinio, similes superbis Pharisæis, ad quos Dominus

Eusebius Emisenus de symbol.

S. Joannes Chrysost. serm. de fide &c.

Joa.5. v.44 nus ait: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam abinvicem accipitis.* Quasi diceret, qui gloriatur in sapientia sua, non est aptus

1.Corint.1. v. 19.& 20. ad gloriam fidei. *Scriptum est enim; perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor hujus sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* Non quidem ex hoc inferendum est, sapientes aut doctos â fide excludi, sed humiliandam atque abnegandam esse prudentiam rationis, ut inveniat locum authoritas solius dicentis. Nam *quod intelligimus aliquid, rationi debemus, quod autem credimus, au-*

Tertullian. lib. de præscriptionib. *thoritati. Cedat curiositas fidei, cedat gloria humanæ sapientiæ ac rationis saluti.* Quid enim miserabilius? quid debilius nostra fide? nisi esset securior ac certior debili humanæ rationis acumine? Præterea (ut ex sancto

lib. de moderanda disput. Gregorio Nazianzeno loquar) *Nihil fide nostra iniquius fingi posset, si in eruditos tantùm, dicendique facultate, ac logicis demonstrationibus excellentes caderet.* Tum, quia Deus foret manifestè acceptor personarum, tum quia malè provideretur indoctis, qui suam fidem neque firmare, neque adversùs sapientes defendere possent. Et quid Deo nostro miserabilius, si non posset majora facere, quàm ratio humana attingere? vel quomodo opera Dei possent di-

ci

ci mirabilia, si nec quidem humano captu forent majora? homo homini narranti credit, etiam ea, quæ nunquam vidit, & cur Deo non credat, sua dicta tot prodigiis confirmanti? cuilibet in sua arte credendum esse, dicimus, quantò magis Deo, qui in sua dispositione non fallitur. Multa quandoque discipulus â suo audit Magistro, quæ non capit, ast tamen credit, & Deus non sit tantæ authoritatis apud mortales, quantæ magister apud suos discipulos? quantæ Pythagoras, apud suos Scholares? qui nunquam ausi sunt dictorum â suo magistro indagare rationem, sed tota firmaque ratio ipsorum erat authoritas dicentis: unde omne ortum dubium adinvicem hisce paucis verbis solvebant: *Ipse* (nimirum Pythagoras noster magister) *dixit.* Nota hæc, ô Christiane, & dic similiter in omni tentatione, in omni curiositate intellectûs, in omni pertinacia judicii infestante, pro articulo fidei, pro omni fidei mysterio: Deus dixit, & satis: rationem verò investigare superfluum, inutile, ac præsumtuosum. *Auctoritas ergo præbet fulcimentum fidei, & fides assentit auctoritati. Utrumque verò per Christum est, propter quod & splendor & verbum dicitur, quia mentem per fidem illuminat, & veritatem per doctrinam ostendit.* Credendum est Deo, credendum Ecclesiæ

S. Laur. Justinian. in ligno vitæ cap. 3.

Catholicæ, uti parvuli credere solent Patri & Matri; nam *nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Fides vestra non erit firma, nec Deo accepta: Imitemur illum puerulum in vita sancti Romani martyris. Cum Romanus Martyr, jussu Asclepiadis Præfecti crudelissimis torqueretur tormentis, omnem admovebat arietem, ut judicis animum emollire, atque ad agnitionem veritatis adducere posset, inter alia fortissima & manifestissima fidei argumenta eidem suadens, ut saltem ex infante innocentissimo, omnisque doli & mendacii experte (quem tunc temporis mater Christiana mulier adstans suis gestabat in ulnis) veritatem Catholicæ fidei interrogando edisceret. Et hem tibi infans, qui totâ suâ vitâ necdum vel verbum lallaverat, primitùs ab ipso Romano interrogatus, clarâ & distinctâ voce exclamat: *Christus est verus Deus, Christus est verus Deus,* & cum judex totus attonitus ad infantem, *quis te ita edocuit?* adjecit is; *me mater, matrem autem Deus.* O vocem! ô infantem longe dignissimum, quem omnis Christianus imitetur, semper suis tentationibus contra fidei mysteria, semper suo tardo ad credendum intellectu, semper pertinaci judicio suo, ac scrutandi appetitui dicens: Illud, istud mysterium, hunc fidei articulum, &

Matth. 18. v. 3.

Vincentius Bellovar. specul. hist. cap. 17.

& omnes alios ita indubius credo, quia me ita docuit mater Ecclesia, Ecclesiam verò Deus, efficiamur proinde sicut iste infans, sicut parvuli, & *demus aliquid Deum posse, quod nos fateamur, investigare non posse.* S. August. Tract. 12. in Joann.
Quarta radix languoris in fide est ipse defectus radicationis, & negligentia in pensiculandis motivis credibilitatis, qui defectus ut eô patentius deprehendatur, pensiculatè notandum, ad actum fidei Theologicæ duos actus intellectûs concurrere. Primus, quo judico ac credo, hoc vel illud esse de fide, & â Deo revelatum. Secundus, quo veritatibus ipsis â Deo revelatis firmum assensum præbeo. Primus actus necdum est assensus fidei Theologicæ, quia non innititur auctoritati Dei revelantis, quod ad fidem Theologicam requiritur, sed tantùm virtuti prudentiæ, adducenti & proponenti motiva, quibus intellectus convincitur ad credendum, hoc vel illud esse de fidê, esse â Deo revelatum. Unde aliud est, ratione investigare, an veritates â Deo revelatæ ita se habeant? an res sit possibilis? an infallibilis? aliud verò inquirere rationes & motiva, quibus intellectus trahitur ad credendum, hoc, vel illud esse fide Divinâ tenendum. Prius est præsumptuosum, pessimum, Diabolicum, siquidem *judicia Domini vera justitia in semetipsa,* & minimè humanæ dis- Ps. 18. v. 10.

cussioni aut prudentiæ subjecta, credendum enim est propter auctoritatem Dei dicentis, & non propter persuasionem rationis. Posterius verò (servatâ tamen cujuslibet capacitate) prudentissimum, sanctissimum, & ad fidem Theologicam profundè radicandam saluberrimum; non enim est fides nostra imprudentium, citò, sine ratione, ac cœco modo credentium, sed summè prudentium, summè sapientium. Catholicæ fidei adhærere summa sapientia, â Catholica fide recedere, vel huic non accedere summa stultitia est. Licèt quippe ipsa fidei mysteria â Deo revelata nobis appareant obscura, quia humanâ ratione altiora, sunt tamen evidenter credibilia, cùm sit tam evidens, solam fidem Catholicam, & nullam aliam ab ipso Deo summè veraci esse revelatam, ut nemo prudens majorem evidentiam postulare queat, ut Apostolus asseverare non dubi-
AdGalat.1. v. 8. tet: *Licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelicet vobis, præterquam, quod Evangelizavimus vobis, anathema sit.* Nam quid Deus pro confirmatione suæ fidei debuit ultra fa-
Heb.1. v.2. cere, & non fecit? *Locutus est nobis in filio.* Misit de cœlo Spiritum Sanctum, ut doceret nos omnem veritatem, confudit sapientes hujus mundi per rudes piscatores, superavit potentissimos tyrannos per inermes discipulos, convertit mundum per paucos

Apostolos. Fidem nostram indubitatam facit vel ipsa doctrinæ puritas, credentium unitas, Ecclesiæ authoritas, vaticiniorum impletio, continua summorum Pontificum in sede Petri successio, scripturarum oracula, Sanctorum Patrum testimonia, sacrorum conciliorum concordia. Fidem nostram probat ac testatur tota natura tot multifariis prodigiis, tot myriades martyrum proprio dato sanguine ac vita, tot millia confessorum suo generoso mundi contemptu, ac vitæ sanctitate. Veritatem fidei nostræ denique fateri coguntur ipsi adversarii, ipsi inimici nostri, ipsi dæmones, jam ex idolis, jam ex obsessis, jam aliis modis. O sancta fides Catholica! cui te comparabo, cui te assimilabo? mehercle sicut non est similis in Diis Deo nostro, sic etiam non est similis in omnibus sectis fidei Catholicæ, nulla secta vel unicam notam veræ Ecclesiæ vel unicum testimonium ex enumeratis potest ostendere: medius fidius *magna insania est Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, Dæmones confitentur.* Quis, credibilitatis hisce motivis æquâ lance trutinatis, non videt, Catholicam fidem nec diabolicum nec humanum posse esse inventum? sed esse necessariò opus excelsi, opus omnipotentis. Nam

Picus Mirandula Epist. 1.

Nam Diabolus idola non destruit, sed erigit. Princeps tenebrarum non illuminat orbem, sed occæcat, obscurat. Hostis malignus non seminat triticum virtutum, sed zizania vitiorum. Superbus cacodæmon non docet humilitatem Christi, sed fastum mundi. Mundus non pugnat, minùs vincit inermi manu, sed potentiâ, scuto, gladio & bello. Mundus non confundit simplicitate, sed astu & dolo, humanæ adinventiones non sunt, paupertatem amare, divitias contemnere, honores fugere, contemptus appetere, propriam carnem odio habere, in persecutione gaudere &c. hæc & similia proinde, charissimi, nobiscum benè expendamus, ut in fide Catholica altè radicemur, ut altè radicati possimus in fide confirmare fratres nostros, & tanquam veri Israelitæ, viri Benedicti in fine Mundi pro catholica Romana Ecclesia stare ac certare fidelissimè. Corrigamus omnes fidei defectus, excutiamus fidei torporem, legamus, loquamur, meditemur de mysteriis fidei, exerceamur in fide, ut illuminemur, & accendamur, semper parati ad reddendam de fide nostra rationem. Ad asseverandum cum Richardo â Sancto Victore: *Utinam attenderent Judæi, utinam Pagani, cum quanta conscientiæ securitate pro hac parte ad Divinum judicium poterimus accedere.*

Lib. de Trinitat.

Non-

Nonne cum omni fiducia Deo dicere poterimus: Domine si error est, â te ipso decepti sumus. Nam ista tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi â te fieri possunt, & certè â summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita, cum summa attestatione probata, te ipso cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis.

MEDITATIO II.

De Transitu ad æternitatem.

Punctum 1. Certò incertâ horâ moriendum & migrandum est. 2. Comparendum coram tremendo Judice. 3. Sententiam semel latam sequetur æternitas immutabilis.

Præludium.

SIc mentem tuam collige, tanquam hâc horâ migraturus de præsenti Sæculo. *Transmigra in montem sicut passer*, & vide, Psal. 10. v. 1.
ubi ponas nidum tuum? an in cœlis sursum? an apud inferos deorsum? alterutrum enim erit necessarium?

Punctum I.

En vox de sursum tibi! *unde venis, & quo vadis?* corpus de terra formatum est, Spiritus â Deo inspiratus est, illud terra rur- Judic. 19. v. 17.

ſum ſumet, & hunc Deus ſibi reddendum
Iſaiæ. 38. v. 1. exiget. *Diſpone Domui tuæ, quia morie-
ris tu.* Sed quando? *neſcitis diem, neque*
Matth. 25. v. 12. *horam. Sed dies Domini*, repetentis animam
1. Theſſal. 5. v. 2. tuam, *ſicut fur in nocte, ita veniet. Mo-
rieris tu.* Sed quo in loco? oportet te,
S. Regul. cap. 4. *mortem quotidie*, & in omni loco *ante ocu-
los ſuſpectam habere.* Umbra enim eſt mors, quæ ubique ſequitur mortale corpus, & in omni loco inſidiatur, quaſi leo, in ſpelunca ſua, ut rapiat vitam.

Morieris tu. Sed quomodò? quo morbo? quâ corporis diſpoſitione? in quo ani-
Eccle. 9. v. 12. mæ ſtatu? omnia ſunt incerta: Nam *ſicut
aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur*
1. Theſſal. 5. v. 3. *homines in tempore malo. Cùm enim dixerint, pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor parturienti in utero habenti, & non effugient.* Grandis ars benè mori: Pauci addiſcunt hanc artem ſatis, neque momento diſcitur æternitatis aditus, ſed diſcendum ſemper, quod practicandum ſemel, & ſecundâ vice repetere non licet. Mors eſt vitæ echo. Canendum ergo benè bonis actibus, ut bona reſpondeat echo; vivendum ſanctè, ut ſequatur *pretioſa in conſpectu Domini mors San-*
Pſal. 115. v. 15. *ctorum ejus.* Velut â facie colubri fugiendum â peccato, ne apprehendat nos *mors*
Pſal. 33. v. 22. *peccatorum peſſima.* Gratiæ ſemper agendæ

Deo,

Deo, quod hucusque tam clementer pepercerit â morte animabus noſtris. Nam ubi, eheu! jam eſſemus, niſi patientia Dei nos hactenus exſpectâſſet ad pœnitentiam? quare patientiâ Dei ne abutaris ultra.

Punctum II.

Unde venis? & quò redis? Venis non longè, quia pauci ſunt dies vitæ tuæ, & vadis in terram longinquam, in domum æternitatis, nunquam inde exiturus, nunquam ad præſentem vitam rediturus, vadis ad populum, quem nunquam noviſti, ad judicem, quem nunquam vidiſti, videbis mirabilia in altera vita, terribilia in circuitu throni, in quo ſedebit Deus ultionum Dominus. Apparebis in conſpectu Creatoris, ac Redemptoris tui, ſed quo in habitu? an in ſtola candida? an in veſte nuptiali? an in veſtitu deaurato circumdatus varietate? talis enim amictus exigetur in Religioſo, ſcilicet aurea charitas, diſtincta pretioſis omnium virtutum lapillis. Portaberis ad tribunal Chriſti, ſed â quo? an in manibus Angeli tutelaris? an porrò in unguibus cacodæmonis? ille ſcilicet te ſiſtet Judici poſt mortem, cujus conſiliis obſecundâſti in vita. Vox exibit de throno, interrogaberis â Judice de vita tua, an illa fuerit verè Chriſtiana? an verò ſemipagana? an religioſa? an mundana? in

Geneſ. 16. v. 8.

an vitæ Chriſti ? an moribus politicorum ſimilior ? an ſecundùm regulam ? an ſecundùm vocationem ? an ſecundùm acceptas gratias ? Et quid reſpondebis ad omnia ? quid ſi reſpondere nequiveris ? nonnè obmuteſcentem condemnabunt te opera tua ? Conſidera vias tuas, & vide, quo vadas ? inſpice opera tua, & attende, quid agas.

Punctum III.

Tempora mutantur, at non æternitas. Modò te adhuc mutare potes, aſt in æternitate nequaquam ampliùs, nihil ampliùs in æternitate poteſt corrigi, nihil ampliùs emendari, ſed ubi navis animæ in morte appulſa fuerit, ibi in æternum hærebit, in quam partem arbor ceciderit, in illa per omnem æternitatem jacebit, nec revocabitur ampliùs lata ſemel ſententia. O æternitas! O æternitas! O æternitas! cùm ſis tam longa, tam immenſa, tam certò, tamque citò omnibus mortalibus adventura, attamen tam raro es in ipſorum memoria. O cæcitas mortalium! *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* *Nec revertetur ultra.* *Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Utinam cum Davide annos æternos in mente haberent. Utinam tam prudentes eſſent filii lucis, quàm filii hujus ſeculi! utinam tanto ſtudio ſibi compararent divitias æternas, quanto

Eccle. 12. v. 5.
Job. 7. v. 10.
Deut. 32. v. 29.
Pſal. 76. v. 6.

to isti perituras, tanto ardore sitirent delicias sempiternas, quanto isti momentaneas, tanto conata appeterent exaltari in æternitate, quanto isti in tempore. Sæpe proinde tandem ô homo insipiens, prospice tuæ æternitati, vide, qualis velis esse per omnem æternitatem? an miser? an felix? an dives? an inops? an honoratus? an despectus? an parvus? an magnus.

BONA PROPOSITA
Ex hac
Meditatione.

1. NOvissima mea, ad quæ propero, semper ante oculos habere satagam.

2. Omnes meas confessiones, omnes sacras communiones, eâ industriâ, eâ præparatione, eâ devotione, eoque fervore peragam, ac si quælibet harum re vera foret ultima. Unde ante quamlibet præterea sacram communionem faciam quoque intentionem sumendi eam per modum ultimi viatici, casu quo forsan interea â præsenti vita subitò avocarer.

3. Examen tam particulare, quàm generale tam accuratè semper obire studebo, ac si actu ad reddendam de omnibus actibus meis rationem ipsi tremendo Judici sisterer.

4. Singulis noctibus, antequam pedem

ſtrato inferam, ſemper petam benedictionem â Beatiſſimâ Virgine ac Filio ejus, tanquam jamjam abiturus in terram longinquam, ſicque devotè in lecto me recolligam tanquam jamjam obdormiturus in Domino, ac Spiritum meum commendaturus in vulnera Chriſti.

5. Ante omnem voluntariam cogitationem, ante omne verbum, vel opus ſemper mihi ingeminare conabor: Ecce & hoc ipſum adducetur in Judicium. Eſtne tale, quod potiùs Judicis gratiam, quàm iram mereatur?

6. Omne opus, omneque exercitium ita explere allaborabo, ac ſi ab illo ſolo tota mea æternitas dependeret.

7. Creberrimè, præſertim ſingulis ſaltem horis ultimam meam horam Chriſto pro me in Cruce mortuo, ejusque Sanctiſſimæ Matri devotè & contrito corde commendabo.

8. Frequenter devotiſſimas referam Deo gratias, quòd mihi hactenus tantâ miſericordiâ pepercerit, nec me toties impræparatum improviſè citaverit ad judicium.

9. Pro agonizantibus frequentes fundere, & offerre preces contendam.

10. Si per obedientiam licet, moribundis aſſiſtere, eosque conſolatione confortare, mihi cordi habebo, &c.

EXA-

EXAMEN PARTICULARE

De

Converſione morum & religioſa modeſtia.

1. AN vitam tuam, actiones ac mores ſecundùm Sacram Regulam, ac alias ſalutares conſtitutiones inſtituas?

2. An alias laudabiles conſuetudines & obſervationes tui monaſterii cuſtodire ſatagas.

3. An hominum ſecularium familiaritatem fugias? & an â Sæculi actibus te facias alienum?

4. An Parentes, cognatos & notos in Sæculo relictos oblivioni tradideris?

5. An ſtudeas vitia extirpare, carnem domare, & in omni cordis, corporiſque puritate Deo ſervire?

6. An ſtudeas odiſſe, quod ante fuiſti, & amare, quod ex vi ſtatûs, ac vocationis tuæ eſſe debes?

7. An in Choro, & in omnibus Divinis omnes Cæremonias, & ritus reverenter obſervare ſoleas?

8. An non ſolùm tuis ſuperioribus, ſed ſingulis quoque patribus, ac confratribus debitam reverentiam exhibeas?

9. An veſtes tuæ mundæ, & cum religioſa decentia ſemper ſint debitè compoſitæ?

10. An juxta Sacram Regulam aſpectus tui ſint ſemper in terram defixi, aliique ſenſus debitè cuſtoditi?

11. An (ubi cum proximo tractandum) tum in verbis, tum in ratione & modo loquendi ædificationi & modeſtiæ ſtudeas, cavens omnem inordinatum riſum, omnemque motum & geſtum minus decentem?

12. An denique in omni converſatione, ac in cunctis tuis actionibus religioſam maturitatem & gravitatem conjunctam cum humilitate obſerves?

LECTIO SPIRITUALIS
Pro
Tempore pomeridiano. Argumentum: Futura proſpicienda.

NOndum orbis adoraverat Romam, cùm quoddam exiſteret regnum, cujus incolæ non niſi extraneo regale ſemper conferre Sceptrum, non niſi unico anno eum ſuſtinere in throno, quo finito ſuum unius anni Regem omnibus exſpoliatum & nudum in horridam quandam inſulam, & durum ablegare exilium ſolebant.

Succeſſère in iſthoc regno reges invicem plures, toto ſui regni anno jucundati, gloriati,

ti, epulati, toti suis regiis deliciis immersi, rati, se faustos atque beatos, stolidi & immemores sui tam brevis regiminis, ac futuri tam longi exilii; donec tandem unus, reliquis prudentior, & futura prospiciens anno regni sui ingentem æris summam, & quæque pretiosa in horridam illam sui futuri exilii insulam clam præmitteret, ut, solio amotus haberet, quò ibi regiè vivere posset. En tibi parabolam ex vita Sanctorum Barlaam & Josaphat desumptam, paululùm quidem aliter, quâm ibi, positam, ut eò palpabiliùs nobis veritatem exponat. Mundus istud regnum est, extranei omnes mortales. *Non enim habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Incolæ in hoc mundo, in isto regno omnes res transitoriæ, hæ offerunt homini deliciarum rosas, sed quamdiù florebunt? offerunt suas fortunas, sed quamdiù durabunt? offerunt honorum ampullas, sed quamdiu subsistent? offerunt se ipsas ad serviendum in hominis usum & fruitionem, sed quamdiu eis frui licebit? *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parâsti, cujus erunt?* Multi in hoc regno sibi invicem jam successerunt reges, & succedent deinceps, quoniam *generatio præterit, & generatio advenit.* Sed quis inter hos sapit cum æterna sapientia verbo & opere præ-

S. Joannes. Damascenus cap. 14. in vit. S. S. Barlaam & Josaphat.

Hebræ. 13. v. 14.

Lucæ. 12. v. 20.

Eccle. 1. v. 4.

Joann. 18. v. 36. prædicante: *Regnum meum non est de hoc mundo?* Gaudium meum non est de hoc mundo: honores mei, divitiæ meæ, deliciæ meæ, oblectationes meæ non sunt de hoc mundo. Isaiæ, 60. v. 9. *Me enim insulæ exspectant*, an fortunatæ, an porrò infortunatæ? incertum manet usque ad tremendum judicium, quod manifestabit abscondita cordium. De hoc, non verò de mundo mihi cogitandum semper. Prospiciendum est in futurum, præmittendæ sunt in illas æternitatis insulas divitiæ bonorum operum, ac quæque prætiosa virtutum. In montibus æternis figendus est hominis cogitatus, præsentia autem ab ipso conculcanda sunt pedibus, 1. Cor. 15. v. 26. vel hoc ipso, quia naturæ auctor Deus *omnia subjecit sub pedibus ejus.* Sic quidem argumentari solent prudentes; ast Psal. 91. v. 7. *vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hoc.* Matth. 19. v. 11. *Non capiunt verbum istud.* Unde operæ precium erit, in præsenti discursu pensiculatè examinare, radicitusque evellere causas, quæ hominem circa sua novissima tam incurium reddunt, quin â memoria ac attentâ æternorum meditatione etiam retrahunt. Et

1. Quidem causa tantæ incuriæ circa nostra novissima censetur defectus vivæ fidei. De æternitate consid. 9. conclus. 3. *Pars magna Christianorum* (inquit Hieremias Drexelius) *etiam Catholicorum gehenna*

henna & cœli æternitatem esse non credunt. Certè aliter viverent, si id verè crederent. Sunt, qui videri velint id credere: verbis ajunt, factis negant. Æternitatem aut nunquam, aut rarissimè cogitant, aut cogitant tantùm, & non perpendunt, non inhærent, non examinant, intellectum & voluntatem non concitant, imaginationi nil imprimunt. Quis credidit auditui nostro? Examine discute fidem tuam, ô Christiane! ô Religiose, credisne, semel mori esse hominis ultimum, supremum, & omnium negotiorum negotium, cui reliqua totius mundi negotia comparata, non sunt nisi futilia somniantium certamina? hocne credis, & tamen ad tantum negotium tam incertâ horâ tam certò aliquando tractandum, te non aliter disponis? reges ante conflictum omni armaturâ sua instruunt castra. Et tu sine bonorum operum apparatu, absque virtutum phalange, absque spirituali armatura properare non times ad ultimam illam, ipsi naturæ terribilem luctam? ad confligendum cum principibus tenebrarum, tanto furore accensis? cum bestiis infernalibus, insidiantibus quasi leo in spelunca sua, ut rapiant pauperem & unicam animam tuam? ad illum grandem conflictum, ubi doloribus circumvallaberis, gelidis sudoribus inundaberis? timoribus conquas-

Isaiæ 53.

ſaberis ? anguſtiis coarctaberis ? tentationum fluctibus agitaberis ? atque undique afflictaberis ? ubi pugna acerrima, mens humana timida, ac ipſa caro tam infirma? ubi victoriâ cecidiſſe, eſt ſempiternum interitum incurriſſe? crediſne hoc Chriſtiane? nauta ſuam navem feris fluctibus maris non credit, niſi eam priùs præparaverit, atque ſulcandis undis comprobaverit aptam; & tunc tuam æternam ſalutem tam incautè absque requiſita præparatione, absque probata vita interminabili æternitatis oceano committes ? ubi naufragio facto, jam in omnem æternitatem nulla ampliùs ad evadendum reſtabit tabula, ſed deſcendes ſicut lapis in profundum ? crediſne hoc ô Chriſtiane ? opifices ante laborem paſſim ſua inſtrumenta præaptant, & ne quidem ruſticus, niſi priùs acuerit, ſuam falcem mittit in meſſem : ergone tu tanti non æſtimas tuæ perennis ſalutis negotium, quanti fœniſex fœnum, & quivis ſcriniarius ſuum laborem ? Vel hiſtrio, ad ſuam perſonam agendam decenti ſe veſtit amictu, omnes ſuos geſtus componit, ſeque totum penſiculatè diſponit, antequam in publicum theatrum procedit, ne forſan locò honoris confuſionem reportet: & tunc etiam hiſtrione deterior ſine probatis moribus, ſine vita, tuam perſonam, tuum ſtatum, tuamque vocationem condecenti ad

magnum

magnum æternitatis theatrum properare non metuis? væ tibi tuæ mortis incuriæ! quid ludes in illa tuæ vitæ ultima ſcena? an comœdiam? an tragœdiam? qualem perſonam ages coram Rege gloriæ, coram tremendo Judice? an perſonam rei? an inſontis? an condemnandi? an ſalvandi? quid reportabis exiturus â Judice? an gloriam perennem? an æternam confuſionem? talem ſcilicet ages perſonam in morte, qualem ſemper probâſti in vita, & metes, quod ſeminâſti. Ubi eſt fides tua ô Chriſtiane? vel non vides, quantâ induſtriâ viator loca infamia latrone declinet? quantâ cautelâ per lubrica viarum incedat? ne lapſante pede in cloacam aut ſcrobem ſerpentum labatur? quantâ curâ avarus ſuum theſaurum in ſcrinio vectibus ferreis obſerato recondat? quàm diligenter poſticæ ſtabulorum claudantur, ne fur nocturnus aſinum aut bovem abducat? Ubi eſt fides tua? ergone tanti non facis tuam pretioſam & unicam animam, quàm quivis obvius ruſticus ſuum bovem vel aſinum? *cujus veſtrum aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum?* & animam tuam è diſcrimine æternæ damnationis, è puteo interitûs, è cloaca tepiditatis, è cœno vitiorum extrahere moraris? abrumpe moras, attende tibi, Lucæ 14. v. 5.

 non

non de perdendo asino, sed de perdenda anima, de perdendo thesauro æternæ gloriæ agitur: agitur de cavenda infernali scrobe, de stygia cloaca, è quâ, lapso tibi semel in eam, ad superas repedare auras nunquam licebit. Lubricâ viâ, quam infernales prædones quaquà obsident, inambulas, ambulandum cautè non enim de crumena, sed de anima diripienda agitur. De cavendo incendio gehennæ agitur, cautè attendendum etiam ad minimas scintillas, etiam ad minimos defectus, ne neglecti sive per incuriam, sive per contemptum struant graviorum criminum rogum, & excitent ignem inextinguibilem. Ubi est fides tua ô Religose! Saltem amodò succinctus plena fide, & quasi jam ad extrema deductus, seriò te præpara ad æternitatem cum illo Monacho, qui (beato Elimaco narrante) diutiùs perquam tepidè, & æternæ salutis suæ oppidò incurius vivebat, donec gravi morbo correptus in ecstasin raperetur, â qua post horam ad se reversus, cunctis Patribus â se recedere jussis, perangustæ se inclusit cellulæ, ibique januâ cellæ obstructâ, mansit inclusus integros duodecim annos, nemini quicquam loquens, solo pane & aquâ victitans, adeò meditationi æternorum immersus, *ut nunquam* (verba sunt Joannis Climaci) *jam vultum im-*

In Scala Paradisi gradu 6.

immutaret, ſed ſemper ſic attonitus perdurans vim lachrymarum ferventium tacitus perfunderet. Usque ad ultimam ſuæ vitæ horam, quâ appropinquante, effracto muro, januam cellæ tandem aperiri fecit, ingreſſisque fratribus valedicens, hoc unum pro memoriæ teſſera reliquit: *Ignoſcite mihi; nemo, qui revera mortis memoriam agnoverit, peccare unquam poterit.* Ecce hic antea tepidus Monachus totum in alium virum mutatus eſt, quia æterna & hominis noviſſima vivâ fide credidit, aſt credidit, quia in raptu mirabilia vidit. In alterum virum indubiè & tu mutaberis, ſi pari fide annos æternos in mente habes; raptum quidem ſimilem noli exſpectare, ſed ſufficiat tibi illud Chriſti dictum: *beati, qui non viderunt & crediderunt.* Joann. 20. v. 29.

Secunda noſtræ incuriæ cauſa eſt, quod noviſſima noſtra non conſideremus uti jam jam vicina, ſed veluti adhuc procul diſtantia; credimus quidem, nos omnes aliquando morituros, vix tamen reperitur, qui non ſperat, ſe adhuc diù victurum. De futuro judicio nobis quidem ineſt fides, de præparatione verò ad illud necdum ulla cura. Parata juſtis præmia, & reprobis æterna ſupplicia cum Eccleſia Catholica quidem confitemur, periculum autem illorum amittendorum, & iſtorum nobis tam prope

pè impendentium non attendimus. Est porrò hic error duplici consideratione corrigendus. Imprimis quidem nunquam è memoria tua elabi sinas, varios esse mortis casus, & incertam ultimam humanæ vitæ horam, testante id Divinâ Scripturâ, probante quotidianâ experientiâ, confirmante tot historiarum casuumque copiâ, *si non venissem & locutus fuissem eis*, (inquit Christus ipse futurus Judex) *peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Nisi â Christo Domino de incertudine ultimæ horæ tam paternè præmoniti fuissemus, excusatione excusans fortasse aliquis dicere potuisset, se mortem tam inopinatam non prævidisse, horam mortis tam incertam esse, se nescivisse, nunc autem quis excusationi locus? cùm Christus ipse venturus Judex ubique clamet: *Videte, vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit. Vigilate ergo, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. Et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, quando revertatur â nuptiis, ut cùm venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ ventura sunt, & stare ante filium hominis. Si ergo non vigilaveris, veniam*

Joan. 15. v. 22.

Marc. 13. v. 33.

Matth. 24. v. 42.

Matth. 25. v. 13.

Lucæ. 12. v. 36.

Luc. 21. v. 36.

Apocal. 3. v. 3.

ad

ad te tanquam fur, & nescies, quâ horâ veniam ad te. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conservos suos; manducet autem, & bibat cum ebriosis: veniet Dominus servi illius in die, quâ non sperat, & horâ, quâ ignorat, & dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis, illic erit fletus & stridor dentium. Vigilate ergo, nescitis enim, quando Dominus domûs veniat: an sero? an mediâ nocte? an galli cantu? an mane? ne cum venerit repentè, inveniat vos dormientes: quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate. Ideò & vos estote parati: quia qua nescitis horâ, filius hominis venturus est. Estote parati, quia, quâ horâ non putatis, filius hominis veniet. Pœnitentiam age, si quò minus? veniam citò. Ecce quot præmonitiones ex ipso Dominico ore! *beati* proinde *servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Ecce! non dicit paremini, vel præparate vos, sed: *estote parati. Propter quod inexcusabilis es ô homo*, qui tot repetitis Salvatoris præmonitionibus commonefactus, ad exitum ex hac vita te præparare, vel unicâ adhuc horâ differs, qui non solum tot intempestiva & repentina fata legis ex libris, sed identidem quasi quotidie inaudis ex variis casibus, non tantùm sæcularium, sed

Matth. 24. v. 48. & sequent.

Marci 13. v. 36. & 37.

Matth. 24. v. 44.

Lucæ 12. v. 40.

Apocal. 2. v. 16.

Lucæ 12. v. 37.

Rom. 2. v. 1.

ſed & Religioſorum, quòd iſte apoplexiâ tactus ſubitò è vivis ceſſerit, quòd ille alio morbo inopinatò extinctus, alter caſu è vita ſublatus, & alius manè in lecto jam mortuus fuerit inventus. En tibi præmonitiones! Præmonitio eſt illud, toties â te lectum ex aureo libello de imitatione Chriſti: *Cùm manè fuerit, puta te ad veſperum non perventurum, veſpere autem facto, manè non audeas tibi polliceri.* Nam Deus, *qui pœnitenti veniam ſpopondit peccati, diem craſtinum non promiſit*, quemadmodum id luculentum facit terribilis illa hiſtoria, â Sancto Gregorio magno relata. Vir quidam nobilis, Chriſaurius nomine, lingua ruſticâ, alioquin etiam Chriſorius dictus in provincia Valeria degebat, homo aliàs dives, ſecundùm ſæculum prudens, & rebus gerendis aptus, ſuperbiâ verò tumidus, avaritiæ deditus, carnis voluptatibus immerſus, ac variis vitiis oppletus. Hunc ergo, nihil minùs ſuâ morte tunc ſuſpicatum inopinus morbus invadit, ingraveſcit languor, accreſcit dolor, deficiunt vires, ultima hora approximat infernales larvæ ad extrema deducto in viſibili forma ſe ſiſtunt, quibus viſis, ille ore expalleſcere, totis artubus contremiſcere, gelidum ſudorem è toto corpore emittere, lamentabili voce inducias poſcere, filiumque ſuum, Maximum nomi-

Libr. I. cap. 23.

S. Gregorius. homil. 12. in Evangel.

ne,

ne, ad se adsciscere. Festinatò accurrit Maximus, qui postea Monachus nostri ordinis, insolito ægrotantis clamore turbata advolat familia, infernalia spectra vidit quidem præter moribundum nemo, horum tamen præsentiam, tum ex pavore, tum ex conturbatione, tum ex multifariis horrendis agonizantis gestibus perspicuè conjecêre omnes: vertit, revertitque se infelix Chrisaurius de latere ad latus, jam oculos gyrans regyransque versus parietem, jam adstantes terrifico vultu contuitus, ingenti ejulatu post complures terribiles gestus adrumans: *Inducias vel usque manè: inducias vel usque manè.* At verò incassum; etenim his verbis vix completis, infaustam animam propediem exhalans, ad tartara misit. En præmonitio ad nostram cautelam, ut reddamur alieno periculo cauti. *Semper* S. Gregor. loc. cit.
ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam possumus prævidere. Ecce hunc ipsum diem, de quo loquimur, ad inducias conversionis accepimus. Quapropter adhuc hodie *convertere Israel ad Dominum Deum* Osee 14. v. 2.
tuum. Deinde 1. tametsi de longiori vita certi essemus, nihilominus novissima nostra veluti jamjam præsentia intueri deberemus, tum, quia Spiritus Sanctus id Divinis Scripturis nobis inculcat, tum, quia sacra Benedicti Regula nostraque Professio id postulat.

ſtúlat. Et quid ſibi vult tam mirabilis Di-
Joel.1.v.15 vinæ Scripturæ loquendi modus? *Propè eſt dies Domini* (inquit Joel Propheta) *& vaſtitas à potente veniet. Tempus enim propè*
Apoc.1.v.3 *eſt. Juxta eſt dies Domini magnus, juxta eſt velox nimis: vox diei Domini ama-*
Sophon. 1. v. 14.& 15. *ra, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ &c.* Quomodo dies Domini, dies extremi judicii tibi juxtà ô Propheta? cùm interea jam tot ſæcula abiê-
1.Joann. 2. v. 18. rint? *Filioli,* ait Joannes dilectus Chriſti diſcipulus) *noviſſima hora eſt, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, nunc Antichriſti multi facti ſunt, unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt.* Et quomodò noviſſima hora tempore Sancti Joannis, cùm hactenus jam mille ſexcenti, & ultra, anni effluxerint, nec tamen usque in hanc horam reperiatur, qui crederet, jamjam ultimam conſummandi ſæculi inſtare horam? Nempe Prophetæ Sancti & â Deo illuminati futura, ac noviſſima hominis uti jamjam præſentia intuebantur, ſicque nobis conſideranda eſſe, hujuscemodi modo loquendi innuere volebant. *Juſtorum mens* (inquit Sanctus Gregorius)
Lib.8.Moral.cap.13. *ſemper ſolicita venturo exanimi intendit. Omne enim quod agunt, metuunt, dum cautè conſiderant, ante quantum Judicem ſtabunt.*

bunt. Sic ſanctus Job ſingulis diebus exſpectabat mortem, ac ſe parabat ad reddendam Deo rationem, uti palam eſt ex illis ipſius verbis, ad Deum miſſis: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, exſpecto, donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi.* Sic & David Rex teſtatur de ſe ipſo dicens: *Annos æternos in mente habui, & meditatus ſum cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam Spiritum meum.* Sic Sanctus Pater Benedictus in aurea ſua Regula præſcribit, ut Monachus *reum ſe omni hora de peccatis ſuis exiſtimans, jam ſe tremendo judicio Dei præſentari æſtimet.* Non ait vir ſanctus, ut monachus ſuam mortem, & judicium aliquando futurum aſſiduâ mente revolvat, ſed ut veluti rem ád jam præſentem contueatur, ſeque tremendo judicio Dei jam præſentari exiſtimet: hoc quippe propriè ad monachum Benedictinum pertinet, ipſo Chriſto expreſſis verbis ad ſanctam Brigittam dicente: *Ille eſt Monachus Benedicti, qui plus obedit Regulæ, quàm carni; qui nec in habitu, nec in moribus alicui placere deſiderat, niſi ſoli Deo, qui quotidie mori deſiderat, & parat ſe ad exitum de hoc mundo; & ſolicitus eſt, quomodo reddat rationem de Regula Benedicti.* Hoc eſt Religioſæ ſuæ vocationi invigilare, & Religioſæ obtinendæ perfectioni ſtudere; ſiquidem

Job. 14. v. 14.

Pſal. 76. v. 6. & 7.

Cap. 7. S. Regul.

Lib. 4. revelat. c. 127.

(teſtante magno Antonio) *ut evadamus perfecti , duo tantùm nobis ſunt neceſſaria : credere quòd hodie primum incepimus Deo ſervire : Deinde hodiernam diem eſſe vitæ noſtræ ultimam.* Verùm ſubeſt adhuc alia ratio uſurpantis Divinæ Scripturæ tam mirabilem loquendi modum, ut nimirum nobis ad mentem revocans iſthoc loquendi modo , noſtrorum annorum brevitatem, noſtram corrigeret fatuitatem.

Tertia. Siquidem noſtræ circa noviſſima noſtra incuriæ radix & ſumma fatuitas eſt, quòd miſeri mortales ſuos pauxillos annos, & vitæ dies veluti longiſſimum temporis ſpatium reputare , immo ſub titulo perpetui inducere non dubitent. O deplorandam inſaniam ! non ſolùm ſæcularibus ſed multis etiam Religioſis communem ! durum eſt (inquiunt) ab iſtis vel illis perpetuò abſtinere, durum, perpetuò ſub uno Prælato ſtare, talibus confratribus convivere, ita perpetuo tractari, ſic perpetuò includi, perpetuò vexari; perpetuò ſe abnegare, carnem mortificare, contra tentationum phalanges pugnare. Sed ediſſere amice, quamdiù illud tuum perpetuum durabit? forſitan cum Aloyſia, uxore Thomæ Mori aſſeris : *Facilè viginti annis, ô te inſipidum temporis cenſorem*, cum eodem Thoma Moro ex Hieremia Drexelio tibi reſpondeo: *Si viginti millia,*

Conſid. 7. de æternit.

millia annorum dixisses, aliquid tu quidem dixisses, & videri posses cum ratione insanire. sed hæc ipsa viginti millia annorum ad æternitatem quid sunt? modicum, & breve quid, punctum, momentum, nihilum. O quàm longè aliter sancti de tempore senserunt: *Dies peregrinationis vitæ meæ* (inquit Jacob ad Regem Pharaonem) *centum & triginta annorum sunt, parvi & mali.* Ecce, centum & triginta annos sanctus Patriarcha parvos, seu paucos dies reputat, & tune viginti vel adhuc pauciores annos, aliquid perpetuum dictitare non ambigis? non est hæc locutio scripturæ. *Breves dies hominis*, ait Jacob & Paulus: *Tempus breve est. Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies.* Triginta tres annos Christus Dominus pro nostra salute impendit, in laboribus ac doloribus semper, & nihilominus amarissimam passionem suam horam duntaxat vocavit: ergone ego vitam meam in servitio Dei audebo longam, immo perpetuam appellare? Si enim (teste magno Gregorio) tempus ab adventu Domini usque ad finem mundi unica tantùm hora censetur, si de gentilibus undecimâ horâ, id est in novo testamento ad fidem vocatis dicitur: *Hi novissimi unâ horâ fecerunt*, quid ergo erit noster labor in cœnobio? momentaneus, brevissimus,

Genes. 47. v. 9.
Jobi 14. v. 5.
1. Cor. 7. v. 29.
Genes. 29. v. 20.
Homil. 19. in Evang.
Matth. 20. v. 12.

puncti instar. *Nullus labor durus*: ait Doctor Bethlehemiticus) *nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur.* Nescit adhuc, quid sit æternum, quisquis in vita præsenti censet aliquid esse

S. Gregor. lib. 15. Moral. c. 19.

longum. *Omnis longitudo temporis vitæ præsentis punctum esse dignoscitur.* Et omne temporis spatium â condito mundo, â lapsu diaboli usque ad extremum judicium, non nisi modicum dicitur:

Cap. 12. v. 12.

Væ terræ & mari (inquit Joannes in sua Apocalypsi) *quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet.* Nam quando Diabolus in terram descendit, nisi quando de cœlo corruit? & quale illi in terra nocendi tempus, nisi illud omne, quod â primo condito homine usque ad ultimũ decurrit? sed nihilominus hoc tantũ ipse modicum ad nocendum recogitat; ad nostram certè confusionem in extremo judicio, quib9 nostri pauxilli anni ad pœnitendum ac merendum tam longi, & vix non perpetui videntur. Confundere ô Christiane â Diabolo, & disce â Christo illam auream Doctrinam, quam apparens Christophoro Caro Societatis Jesu, assiduè mente volvendam

Tob. Lohner in Bibliotheca manuali tom. 3. trit. 20.

in hæc verba dedit. *O æternum! ô momentaneum! ô longum! ô breve! præterit enim figura hujus mundi*, & humana tempora sicut dies hesterna, solaque æternitas longa est, jamque vicina. Quar-

Quarta causa â novissimorum memoria multos retrahens est futilis timor, incurrendi melancholiam, vel mentis tristitiam; haud quippe adeò raros reperies, quibus consimilia in ore: per meditationem novissimorum hominem reddi melancholicum, involvi tristitiâ, nullâ ampliùs in hoc mundo posse affici lætitiâ. O præclaros Christianos! scilicet si pagani, ac spem non habentes ita loquerentur, ex parte sustinendum foret: in ore Christiani, & præsertim in ore Religiosi hujuscemodi intolerabilia sunt. Vel enim es paratus ad moriendum, Deoque reddendam rationem? vel non? si prius? quæ causa melancholiæ aut tristitiæ ex consideratione mortis ac meditatione æternitatis? nunquid captivus tristis efficitur, dum suam liberationem jam vicinam recogitat? nunquid viator melancholicus redditur, dum dulci patriæ propinquare se meminit? nunquid sponsa in mœstitiam ruit? dum futuras suas nuptias jam propinquas recolit? desperabundo, & omni spe destituto tristis est memoria mortis; *qui autem de sua spe, & operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus judicem sustinet, & cum tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit.* Sin posterius? fac ut prapareris: *Minus enim jacula feriunt, quæ prævidentur.* Et nemo pru-

S.Greg.homil. 13. in Evang.

S.Gregor. hom. 35. in Evang.

dentum triſtatur, dum de præcavendo periculo monetur, ſed gaudet, quod ſuæ ſorti, præmonitus, proſpicere queat. Neſcio an ſimilis ſit ſtultitia huic; ſua noviſſima timere, & tamen de illis nolle cogitare? nunquid per oblivionem evitabis mortis Judicium? *fac nunc, quod tunc facere velles, & benè ſecurus eris. Ut benè moriaris ſemel, morere ſemper.* Imitare ſanctum Laurentium Juſtinianum, qui in ultimo agone conſtitutus ita Dominum affatus: *Hunc diem ſemper ob oculos habui, tu ſcis, mi Domine Jeſu.* Nunquid hic Sanctus, nunquid Sanctus Hieronymus, nunquid Arſenius, nunquid ſexcenti alii melancholici, qui ſemper vivâ memoriâ memores erant noviſſimorum ſuorum? nunquid triſtis & melancholicus ille ſenex in vitis Patrum, qui morti vicinus usque tertiò ridere ſolitus, cauſam ſui riſûs circumſtantibus fratribus ſcire cupidis reſpondit: Primò *riſi, quia omnes timetis mortem: ſecundò riſi, quia non eſtis parati: tertiò verò riſi, quia de labore vado ad requiem.* Nempe *ridebit in die noviſſimo*, qui ſemper paratus exſpectat noviſſima. O quàm horribili econtra timore ac triſtitiâ incertam ille æternitatis adibit aleam, cui jam vel ipſa duntaxat ejusdem memoria incutit timorem! ſi terret ſola mortis memoriâ, quantum terrorem aliquando injiciet mors

Lib. 1. de imitat. Chriſti cap. 25.
S. Auguſt. in Pſal. 110.
Surig. 8. Januar.
Heribertus Rosvveydus in vit. Patrum lib. 3.
Proverb. 31 v. 25.

mors ipſa? utique prudentis eſt, dum vacat adhuc, cum Sanctis electis potiùs modò mortem meditari, expaveſcere, ac modicum etiam propterea triſtari ad vitæ emendationem, quàm in extremo vitæ articulo cum fatuis & reprobis præ concenturiato pavore conjici in deſperationem. *Utique melior eſt modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in viſceribus.* S. Auguſt. O ſtultitiam mortalium! qui, ne terrena ac gaudia ſtultorum deſipiant, æterna meditari detrectant. Diſce ô Chriſtiane, vel â Pagano monente: *Effice mortem tibi cogitatione familiarem, ut ſi ita ſors tulerit, poſſis illi obviam exire.* Seneca de naturalib. quæſtionib.

MEDITATIO III.

De Gratia vocationis ad Religioſum Statum.

Punctum 1. De æſtimatione ſuæ Religioſæ vocationis. 2. De periculo ejus, qui finem ſuæ vocationis negligit. 3. Motiva ad ſudandum pro obtinendo ſuæ vocationis fine.

Prælud ium.

Recollige totum Spiritum tuum ad audiendum ſermonem Divini Magiſtri dicen-

Joann. 15. v. 16. centis: *Ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis & fructus vester maneat.*

Punctum I.

Perpende gratiam vocationis, & recogita singula, propter quæ vocatio ad religiosum statum summi æstimari debet. Primum est hujus Statûs altissima dignitas; tum quia Religiosi assiduè quasi occupantur in Divinis decantandis laudibus; tum, quia modernis præsertim sæculis plerumque quoque assumuntur ad regale sacerdotium. Quid hoc duplici honore dignius? Prius est Angelis proprium, posterius Angelicis functionibus sublimius. 2. Quia Religiosi speciali ratione contra vitia gerunt bella Domini, perque sua Religiosa vota contra præcipuos humani generis hostes, carnem scilicet, mundum & Diabolum ad singulare certamen descendunt. 3. Quia in Religioso præcipuè Statu conservatur, & continuatur adhuc vita primitivæ Ecclesiæ, in

Act. 5. v. 32 qua *credentium erat cor unum, & anima una &c. & illis omnia communia.* 4. Quia vita Religiosa â Spiritu Sancto est instituta ad specialem imitationem Christi, & quasi Angelicam vitam ducendam in terris. 5. Quia Religiosi per suam vocationem liberantur de laqueo venantium, & mille periculis

culis mundi. 6. Quia erepti de duriſſimo Pharaonis imperio, & innumeris vitæ humanæ curis. 7. Quia in Religioſo ſtatu gaudent omni armatura fortium, & uberrimis ſalutis mediis. 8. Quia vocatio ad Religioſum ſtatum non eſt humani beneplaciti, ſed ſpecialis Divini conſilii. Nam *caro & ſanguis non revelavit tibi*, ut nomen tuum huic militiæ dares, ſed Pater cœleſtis, & unigenitus ejus, qui ait: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Nonne hæc magna ſunt? unde promeruiſti? ubi pro his tua gratitudo? ubi digna ponderatio? ubi aſſidua horum recordatio? ubi ad correſpondendum iſtis debita applicatio? Matth. 16. v. 17. Joann. 15. v. 16.

Punctum II.

Videte vocationem veſtram fratres chariſſimi, venire ad eremum, ſumma perfectio eſt, non perfectè in eremo vivere, ſumma damnatio. Cæſarius in admonit. 28. Vide vocationem tuam ô Religioſe, longè enim graviori obligatione ad perfectè vivendum gravaris in cœnobio, quàm anachoretæ in eremo, tum propter fundatorum liberalitatem, quâ vivis, tum propter ſuperiorum ſolicitudinem, quâ nutriris, tum propter communem Ordinis benedictionem, quâ potiris, tum propter commodiſſimam benefaciendi occaſionem, & abundantiſſima perfectionis media, qui-

 bus

bus circumdaris. Attende vocationem tuam ô Monache, alta eſt, ſancta eſt, & propterea non communem, ſed ſublimem
Gloſſa. virtutem ac ſanctitatem â te exigit. *Nam altior profeſſio virtutis altiorem debet tenere viam vivendi.* Minimè tutus es, tametſi
Lucæ 18. v. 11. illud Phariſæi adimpleas: *Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, injuſti, &c.* Sed omnino neceſſe eſt, ut vita tua ſæcularium converſatione tantò ſit ſanctior, quantò Sta-
Matth. 5. v. 20. tus tuus reliquis audit perfectior. *Et niſi abundaverit juſtitia veſtra plus, quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ab arboribus exigit Deus, ut quælibet earum producat fructus ſecundùm genus ſuum, ab hominibus autem, ut quivis ipſorum germinet juſtitiam & perfe-
Matth. 22. v. 12. ctionem ſecundùm Statum ſuum. *Amice, quomodo huc intrâſti?* quâ intentione religioſum habitum aſſumpſiſti? qualem profectum in tuo religioſo tyrocinio poſuiſti? quomodo hactenus ambulâſti? feciſtine uvas? vel labruſcas?

Punctum III.

Finis religioſæ vocationis religioſa perfectio, ad quam ut totis conatibus enitamur, motiva ſubſtant plurima, quorum 1. ipſa gravis obligatio, quà ſecundùm veriſſimam Theologorum ac aſcetarum ſententiam quivis

vis Religiosus perfectionem suo Statui propriam sibi procurare tenetur. 2. Ipsa perfectionis excellentia; quia Religiosa perfectio est illa pretiosa Margarita, pro quâ comparandâ danda sunt omnia,& impendenda talenta universa. 3. Animæ nobilitas, si enim caro, paulò pòst futura esca vermiũ vestium colatur nitore, quantò magis immortalis, ac pretioso Christi sanguine redempta anima perornanda est vestimento justitiæ, & omni Spiritualis perfectionis cultura. 4. Ingens æternæ gloriæ pondus; *Corona aurea, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.* 5. Ingens Ecclesiæ utilitas. *Melior est enim unus timens Deum, quàm mille filii impii.* Et plùs prodest tum suo ordini, tum Ecclesiæ Dei unus perfectus, quàm multi imperfecti ac tepidi. 6. Vanitas eorum, quæ te â studio perfectionis vel retrahunt, vel deterrent, ò imbellis miles! converte oculos tuos in exemplum archistrategi Christi, in exempla tot Sanctorum, macte virtute esto, & nolito aut propter inanem laboris timorem, aut propter momentaneam delectationem tuis hostibus æterno ludibrio fieri.

Breviarium

Eccle. 16. v. 3.

BONA

BONA PROPOSITA
Ex
Præſenti Meditatione.

1. PRo vocatione mea ad Religioſum Statum Deo frequenter gratias agam.

2. De meo ordine ſemper magnam æſtimationem alere ſatagam.

3. Sanctiſſimam Deiparam, ſanctum Patrem Benedictum & reliquos ordinis Sanctos crebris implorabo ſuſpiriis, ut ipſorum interceſſionibus, usque ad finem vitæ in meâ vocatione perſeverem, atque dignam tam ſancto ordine ætatem agam.

4. Indefeſſum proficiendi deſiderium in me fovere connitar, crebrò cum ſancto Bernardo mihi ingeminans: *Amice ad quid veniſti?* quid tibi quondam propoſuiſti? Sta tuis promiſſis, ne cadas promiſſionibus Chriſti.

5. Bonum ordinis mei, tum ſanctis orationibus, tum bono exemplo, tum aliis pro mea poſſibilitate modis promovere conabor.

6. Ab omnibus iis, quæ vocationem meam non condecent, ſemper me totum alienum habebo.

7. Econtra verò nihil unquam negligam eorum, quæ meam vocationem con-

de-

decorare, ac ejus obtinendo fini conducere noſcuntur.

CONSIDERATIO VESPERTINA.

De Cavenda curioſitate, & repellendo ſpirituali tædio.

TEntatus eſt Jeſus in deſerto â Diabolo; nec aliud tibi exſpectandum in tua ſolitudine. Duobus porrò modis ſacra exercitia primis mox diebus impugnare prurit; videlicet aut curioſitate, & æquò altiora ſcrutandi cupidine, aut immiſſo Spirituali tædio. Prius, ut intellectum implicet, labore fatiget, & obſcuret. Poſterius, ut voluntas tepefiat, indureſcat, & areſcat, mentem ab exercitiis avertat, ac ad aliena convertat. Huic utrique obviandum eſt illo monito Divi Petri dicentis: *Sobrii eſtote, & vigilate.* Quare *noli plus ſapere, quam oportet ſapere*, ſed ſcito *ſapere ad ſobrietatem.* Eſto interim contentus micis, quæ cadunt de. menſis contemplantium, & cibabit te Dominus tempore ſuo pane vitæ & intellectûs. Vigila, ora, excita voluntatem tuam, ne dormiat præ tædio; nam & ipſe Chriſtus Dominus vigilavit, & oravit, dum cæpit tædere.

1. Petr. 5. v. 8.
Roman. 12. v. 13.
Eccli. 15.
Marc. 14.

SECUN-

SECUNDA DIE OBSERVATIONES.

1. SEcunda dies, nempe feria tertia, uti ſuppono, dedicabitur ſpecialiter almo Patri Benedicto, & omnibus Sanctis ordinis noſtri.

2. Singula hujus diei exercitia ſpecialiter offerentur tum pro impetranda puritate propriæ conſcientiæ, tum pro bono totius ſacri noſtri ordinis.

3. Teſſera ſpecialis pro ſingulis exercitiis hac die erit: Deus tuum amorem ex hac actione colligit: quantus fervor, tantus amor, oſtende ergo hac actione, quantùm illum ames, qui te tantùm amavit in cruce.

4. Aſpirationes frequentiores erunt: Excita Domine in Eccleſia tua Spiritum, cui beatus Pater Benedictus Abbas ſervivit, ut eodem nos repleti ſtudeamus amare, & quod amavit opere exercere, quod docuit &c

5. Mane ante meditationem pro lectione ſpirituali de imitatione Chriſti ex lib. 1. cap. 24. de judicio & pœnis peccatorum. Item ex lib. 2. c. 6. de lætitia bonæ conſcientiæ.

6. Meditatio prima de horrore peccati mortalis. Secunda de peccato veniali. Tertia de tepiditate.

7. Lectio matutina de confuſione peccato-

catorum in extremo judicio. Pomeridiana de justitiis judicandis, & cura minimorum.

8. Examen particulare de puritate & fidelitate conscientiæ.

9. Lectio Vespertina ex sacra Regula erit caput 48. de opere manuum quotidiano, & caput 49. de observatione quadragesimæ. Item caput 50. de fratribus, qui longè ab oratorio laborant, aut in via sunt.

10. Consideratio Vespertina de æstimatione, & observatione sacræ Regulæ.

MEDITATIO I.

De Horrore peccati mortalis.

Punctum 1. De natura peccati. 2. De effectibus peccati. 3. De æquissimo odio peccati.

Præludium.

Recollige Spiritum tuum ad audiendam vocem Spiritûs Sancti tam sanctè monentis: *Fili peccâsti? non adjicias iterum, sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur, & quasi à facie colubri fuge peccata.* Eccli. 21. v. 1. & 2.

Punctum I.

Cave, ne aliquando peccato consentias, & pra- Tob. 4. v. 6.

prætermittas, præcepta Domini Dei nostri. Nam peccatum est summum ac infinitum malum, summo ac infinito bono Deo privativè oppositum, sicut tenebræ sunt oppositæ luci, ac mors opponitur vitæ. Est omne & unicum malum, sine quo nullum malum. Est injuria Sanctissimi Dei, est offensa supremi, æternique Regis, est contemptus altissimi Domini. Est odium ter optimi Numinis. Est tantum malum, quantum bonum est ipse Deus infinitè bonus. Peccatum facit animam rebellem suo factori, creaturam suo Creatori: minatur excidium omnipotenti; Illudit sapientiæ æternæ: Irridet justitiam Tonantis, pessumdat bonitatem infinitam: Postponit rei abominabili, ipsique nihilo omnes perfectiones Divinas, affectat annihilare Divinam Majestatem; occidit Verbum incarnatum, crucifigit Salvatorem Mundi, ostentui habet ipsius amarissimam Passionem, affligit cor Deiparæ Virginis, tristitiam parit Angelis, chariorem sibi habet Diabolum ipso Spiritu Sancto Paracleto; hunc enim corde expellit, & illum corde recipit: præfertque demum miserias Diaboli, ac pœnas inferni promissionibus Christi. O homo, quid fecisti, dum peccâsti; cogita, quis ille,
Ps. 47. v. 1. quem offendisti? Nonne *magnus Dominus,*
Ps. 46. v. 3. *& laudabilis nimis? Dominus excelsus terribilis,*

ribilis, Rex magnus super omnem terram. Cogita, quis tu? nonne figmentum, & opus manuum ejus? *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Cogita, cur & quomodo Deum offenderis? *Popule mi quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.* Deut. 32. v. 6 Michææ 6. v. 3.

Punctum II.

Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Stipendia enim peccati mors, fructus omnis miseria, finis, interitus, terminus, omnis infelicitatis abyssus. Peccatum unicam pretiosam hominis animam reddit abominabilem, separat â Deo, exspoliat veste nuptiali, tollit vitam gratiæ, aufert jus ad hæreditatem gloriæ, delet ex libro vitæ, privat donis Spiritûs Sancti, relinquit post se vulneratam conscientiam trahit post se æternam damnationem, *qui facit peccatum, ex Diabolo est. Miseros autem facit populos peccatum.* O miseriam! ò stultitiam, ô crudelitatem hominis admittentis in se peccatum mortale! Etenim seipsum extremè odit, quod nec ullum brutum facit, tantum sibimetipsi propriâ sponte malum inferens, quantum nec Diabolus, nec totus infernus, nec omnes creaturæ, nec ipse Deus omnipotens

Isaiæ 1. v. 4. Rom. 6. v. 23. 1. Joan. 3. v. 8. Proverb. 14 v. 34.

potens ipsi inferre posset. Cùm solum mortale peccatum propriâ sponte patratum sit summum hominis malum, nec possit
Thren. 4. v. 3. excogitari huic simile. Profectò *filia populi mei crudelis, quasi Struthio in deserto*, crudelis in Deum, crudelis in propriam animam, tam pretiosam, ut Christus pro ea crudelem subire mortem non dubitaverit.
Jerem. 3. v. 12. Quare tandem ad meliora *revertere aversatrix Israel.*
Joann. 5. v. 14. *Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

Punctum III.

Eccli. 12. v. 7. *Altissimus odio habet peccatores.* *Similiter autem odio sunt Deo impius, & impietas*
Sap. 14. v. 9 *ejus.* Tantùm Deus odit peccatum, quantùm amat seipsum, odit peccatum summè, odit unicè, odit semper, odit necessariò, odit essentialiter, aliàs enim hoc ipso non esset Deus, nec infinitum bonum, nisi infinito odio persequeretur peccatum; hinc major est oppositio inter Deum & peccatum, quàm censetur inter lucem & tenebras; hæc enim oppositio adhuc est finita, illa autem infinita, incomprehensibilis, immensa, æ-
Jerem. 18. v. 13. terna. *Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israel?* diligens id, quod Deus non potest non odisse; necdum vel ad primam mox peccati cogitationem perhorrescis? & quidem tu ô Religiose! Deo Sacrate!

crate! præ cæteris electè? majoribus â Deo gratiis donate? in loco Sancto? in habitu Sancto? *Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* O terribilium omnium terribilissimum! ô infelicitatem Religiosi in statu Sancto peccantis! Similior enim præ cæteris est Diabolo, qui neque in cœlo suum servavit principatum. Similis est Judæ proditori, qui etiam in collegio Apostolorum, etiam in Schola Christi Magister perversitatis evasit. Aperi tandem oculos tuos ô infelix! ingemisce ô columba seducta! reminiscere vocationis tuæ ô cœnobita! utique non ad delinquendum, sed ad pœnitendum venisti? utique hæc Monachi vocatio: *Mala sua præterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipsis malis de cætero emendare.* Certè Religiosus jam apostatare ac perire incipit, ubi peccatum horrere desinit.

Jerem. 11. v. 15.

S. Regul. cap. 4.

BONA PROPOSITA
Ex
Præsenti Meditatione.

1. DE præteritis peccatis frequentes per diem actus contritionis & detestationis eliciam.

2. In satisfactionem meorum peccatorum pœnitentiæ opera in me suscipiam.

3. Propter mea peccata ſtatu meo, loco, ac habitu ſancto me continuò indignum reputabo, & ut talis ab aliis quoque reputer, indeſinenter ſuſpirabo.

4. Crebriùs per dies ſingulos ingentem de omni peccato mortali concipere horrorem ſtudebo, optaturus potiùs mille mortes, immò ipſas inferni pœnas, quàm conſenſurus in peccatum.

5. Quibuslibet tentationibus ſtatim in principio omni poſſibili modo reſiſtere conabor.

6. Occaſiones peccatorum, & quæcunque ad peccatum mortale diſponere ſolent, attentè, & circumſpectè cavebo.

7. Offenſas & injurias, quibus ſanctiſſimus Deus indies afficitur, aſſiduis lacrymis & cum ingenti cordis dolore deflebo.

8. Pro converſione peccatorum, præſertim pro reditu & ſeria pœnitentia apoſtatarum Divinam bonitatem frequenter implorabo.

9. Deprecabor ſæpius altiſſimum pro tentatis, cum eis commiſerationem habens, ut & me Dominus in tentatione reſpiciat.

LECTIO SPIRITUALIS Tempore matutino diei secundæ.

ARGUMENTUM

Confusio in universali judicio erit maxima peccatorum, præsertim eorum, qui peccata sua occultare, & in occulto delinquere amârunt.

Simonides ab Hierone Rege Siculo, quid sit Deus, olim edicere jussus, unius diei spatium ad investigandum poposcit, quo elapso, biduum, post hoc triduum, & ita ulteriùs spatium investigationis prolongando. Causam interrogatus, pro responso dedit, quò diutiùs Deum recogito, eò minùs penetro, eò plura de illo recogitanda reperio. Eodem modo ex opposito discurrendum videtur de peccato, nempè quò diutiùs cogitatur, eò minùs illius horribilis malitia penetratur, eò horribiliora ac iterum horribiliora de eo cogitanda occurrunt, horrenda quidem de peccato mortali è cathedris dicuntur, horrenda in libris leguntur, horrenda docentur in Scholis, nec tamen tam horribilia dici aut scribi queunt, quin de ipso horribiliora dicenda supersint. Solus Deus comprehendit suam infinitam bo-

Cicero l. 1. de nat. Deorum.

bonitatem, & ſolus Deus novit infinitam peccati mortalis malitiam. Quia oppoſitorum eadem eſt ratio. *Si Deum omnino declarare poſſem,* (inquiebat quondam Epictetus Philoſophus) *vel ego Deus eſſem; vel ille Deus non foret.* Et ſi quis malitiam peccati mortalis omnino penetrare poſſet, aut Deus eſſe deberet, aut peccatum offenſa Dei non foret; unde & ſerpens ad Evam dicebat: *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.* Cur hoc? ergone ſcire bonum & malum Deorum proprium eſt? nempe *nemo bonus, niſi ſolus Deus*, neque aliquid malum, niſi ſolum peccatum; ſcire autem quàm bonus ſit Deus, & quàm horrendum ſit malum peccatum, non humanam, ſed Divinam ſcientiam arguit. Hinc fuit illa lamentatio cujusdam Sanctæ Virginis, quæ (Cornelio â Lapide referente) morti vicina, in iſthæc verba cum magnis ſingultibus erupit: diſcedo ex hoc mundo, cum *hac ſola incapacitate, quòd nequeam comprehendere, quomodo creatura poſſit deliberatè committere peccatum mortale contra Creatorem ſuum.* Verùm quæcunque horrenda de peccato ſcriptitantur, quæcunque horribilia prædicantur, â multis nihilominus (proh nefas) parùm attenduntur, parùm curantur, immò exploduntur, exſibilantur, meraque ſpeculativa dictitantur. Quis

Faber in Feſto. S. S. Trinit.

Geneſ. 3. v. 5.

Lucæ 18. v. 19.

Quis ergo miseros mortales, quis præser-
tim Religiosos, quis me & te docebit pra-
cticam cognitionem peccati? quis edoce-
bit nos practicè, quàm horribilis sit omnis
operatio iniqua? *Dies Domini declarabit,* 1. Cor. 3.
inquit, & quasi respondet ad nostrum quæ- v. 13.
situm Doctor gentium. *Cognoscetur Do-* Psal. 9.
minus judicia faciens, & peccatores *vide-* v. 17.
bunt, in quem transfixerunt. Cùm vide- Joann. 19.
rint supremæ majestatis Dominum venien- v. 37.
tem in nubibus Cœli, tunc practico hor-
rore cognoscent, quid sit peccâsse in Deum
altissimum. *Tunc confusio* (ait Angelicus In Suppl.
Doctor) *respiciet æstimationem Dei, quæ* q. 8. ar. 2.
secundùm veritatem est de peccato. Sed nos ad 4.
infaustos! æternumque infaustos si pri-
mùm in illo die horroris practico peccati
horrore concutimur! heu, præveniamus
potiùs horrore horrorem, præveniamus
maturâ emendatione venturum Judicem,
migremus hodie in Spiritu, ac tota men-
tis attentione in vallem Josaphat, tanquam
jamjam coram creatore omniq́ue intelle-
ctuali creatura cunctis manifestatis nostris
actibus comparituri, tanquam jamjam ju-
dicandi. Faxint superi, ut toti mutati ad
meliora redeamus, instar illius militis, de
quo Joannes Holcoth, auctor fide dignis-
simus, sequentia narrat. Duo milites, ad-
invicem sibi perquam familiares, loca Sacra
vene-

veneraturi, in Palæſtinam profecti ſunt: qui ubi vallem Joſaphat tranſibant, unus eorum ad ſuum commilitionem: Sodes repauſemus hoc loco pauliſper, quo conſentiente, inſtar jocantis addebat; *cùm hîc futurum ſit univerſale judicium, hunc mihi locum, hoc mihi ſaxum ſeligam, ut tunc in illo quieſcam.* Et hem tibi! vix hæc verba complevit, ingenti terrore corripi, ore expalleſcere, oculos ad cœlum gyrare, toto corpore ſudare, omnibus membris contremiſcere, ſemianimem ad terram corruere vidiſſes, nec fuit vacuus eo hic terror, procul dubio ab alto immiſſus; nam ſpiritu reſumpto, ad propria redux totus mox evaſit mutatus in alium, totus emendatus, totus pœnitentiæ operibus immerſus, totus à riſu, & vanitate mundi alienus, cum metu ac tremore operans ſuam ſalutem, cum pavore ſemper memor futuri Judicii. Sic quidem illi etiam jocus ad ſeria profuit, nobis autem ſerius præſens diſcurſus proſit ad ſerium ac practicum peccati horrorem, in animis noſtris radicandum. Et quis non perhorreſcat, quis non contremiſcat, quis non abominetur peccatum, in pondere Sanctuarii ſecum expendens vel ſolam confuſionem, vel ſolam ignominiam, quâ in univerſali illo judicio facies impiorum implebuntur? Solam peccatorum confuſionem tibi charorum

chariſ-

chariſſime in præſenti diſcurſu perpendendum propono. *Nam ſupplicium omnium gravißimum eſt opprobrium, & confuſio ſempiterna.* Propono tibi, vel dixerim potiùs, proponit tibi Divina Scriptura univerſale judicium ſub imagine triſtis & atræ noctis, ſub comparatione horridæ tempeſtatis. *Dies Domini* (inquit gentium Doctor) *ſicut fur in nocte, ita veniet. Dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis. Dominus in tempeſtate, & turbine viæ ejus. Turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum. Stellæ cœli, & ſplendor earum non expandent lumen, obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo*, ſed erit *dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis.* O tempus deſolatum, ſqualli-dum! tetricum! horridum! terrificum! tempus univerſalis judicii! quo *ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo.* Et ecce! ſub iſta rerum caligine ſubitò *venit hora, in quâ omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii. Canet enim tuba, & mortui reſurgent, mors & infernus dabunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant.* Quoniam *intonuit de cœlo Dominus, & altißimus dedit*

S. Baſilius in Pſal. 30.

1. Theſſ. 5. v. 2.

Soph. 1. v. 15.

Nahum. 1. v. 3.

Jerem. 23. v. 19.

Iſaiæ 13. v. 10.

Joel 2. v. 2.

Matth. 24. v. 29.

Joann. 5. v. 28. & 29.

1. Cor. 15. v. 52.

Apoc. 20. v. 13.

Pſ. 17. v. 14.

Joël. 3. *vocem suam : consurgant, & ascendant gen-*
v. 12. *tes in vallem Josaphat : quia ibi sedebo, ut*
Joann. 9. *judicem omnes gentes.* Nam *venit nox,*
v. 4. *quando nemo potest operari : finis venit, ve-*
Ezechiel. 7. *nit finis super quatuor plagas terræ.* Tunc
v. 2. Matth. 24. *virtutes cœlorum commovebuntur,* & congre-
v. 29. gatis universis, *Ipse Dominus in jussu &*
1. Thessal. *in voce Archangeli, & in tuba Dei descen-*
4. v. 16. *det de cœlo,* quemadmodum scriptum est:
Psal. 17. v. *Inclinavit cœlos, & descendit, & caligo sub*
10. & 12. Apocal. 1. *pedibus ejus, & posuit tenebras latibulum*
v. 7. *suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus,*
1. Cor. 15. *tenebrosa aqua in nubibus aëris: Ecce venit,*
v. 52. *cum nubibus,* & tunc *in momento, in ictu*
oculi, in novissima tuba nox sicut dies
Psal. 138. v. 12. *illuminabitur, sicut enim fulgur exit ab*
Matth. 24. *oriente, & paret usque ad occidentem, ita*
v. 27. *erit adventus filii hominis, qui & illumina-*
1. Cor. 4. *bit abscondita tenebrarum, & manifestabit*
v. 5. *consilia cordium.* Et sicut horrida tempe-
stas inopinatò in tenebrosa nocte consur-
gens, sua penetranti fulgurum corruscatio-
ne decussatim omnes mundi plagas illumi-
nat, simulque suo repetino fulgore uni-
versa sub tenebris latentia derepentè reve-
lat, furem quidem in suo actuali furto, ad-
ulterum adhuc in actuali adulterio, scorta-
Matth. 13. torem in suo actuali nefando, *sic erit in*
v. 49. *consummatione sæculi, sicut fulgur coruscans*
Lucæ 17. v. 24. *de cœlo in ea, quæ sub cœlo sunt, fulget,*

ita

ita erit filius hominis in die sua. Ignis ante Psal. 96,
ipsum præcedet suis coruscantibus flammis v. 3.
omnia occulta manifestans, omnia secreta
revelans, abdita cuncta denudans, omniumque
mortalium cogitata, dicta & facta in
lucem producens, & quidem eâ claritate,
eâ vivacitate, eâ exhibitione, eâ præsentiâ
eâque repræsentatione, ac si ipsa abominanda
scelera adhuc in ipso recenti actu
durarent, adhuc ipso recenti actu fierent,
ac si ipso adhuc actu suam technarum telam
texeret dolosus, adhuc ipso actu pudenda
auderet fœtida Venus, ac si ipso adhuc
actu Monachus sua vota nefandè transgrederetur,
suam Regulam protervè prævaricaretur,
suæ juratæ professionis turpiter
oblivisceretur, extra claustra in mundo
& foro suis cogitationibus vagaretur, alienis
negotiis se immisceret, rancorem in
animo foveret, fraternam charitatem violaret,
lites excitaret, suo abdomini litaret,
otio & fabulis vacaret, nugas tractaret,
risus & dissolutiones amaret, rigorem disciplinæ
nausearet, silentium violaret, laxitates
quæreret, superioribus contradiceret,
æquales despiceret, seipsum extolleret, vel
quæcunque demum religioso homine indigna
committeret. *Nibil enim est opertum,* Matth. 10.
quod non reveletur, & occultum, quod non v. 26.
sciatur. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum,

ercituum, & revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam,
Nahum. 3. v. 5. & 6. *& regnis ignomiam tuam. Et projiciam super te abominationes, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum.*
Ezechiel. 16. v. 37. *Nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam.* Videbunt omnem turpitudinem tuam omnes Angeli, omnes Dæmones, omnes beati, omnes damnati, inimici, & amici, Deus ipse, & tu ipse; & quidem quoad omnes circumstantias, quoad loca & tempora, quoad rationem personæ, conditionis, & professionis, quoad omnes etiam secretissimas intentiones, & singulas peccati formalitates, nam Deus *illuminans mirabiliter à montibus æternis illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.*
Psal. 75. v. 5.
1. Cor. 4. v. 5. Videbunt peccatoris turpitudinem tantâ cognitionis claritate, quanta est ipsa malefactorum abominatio: sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.
Psal. 138. v. 12. Si tamen possibile est, quod aliqua creatura deformitatem vel unius peccati venialis penetrare satisque agnoscere queat.
Innocentius tertius de contem. mundi libr. 3. cap. 16. *O quantus erit pudor in peccatoribus? quanta confusio, cùm eorum nefandissima crimina cunctis erunt liquida & manifesta.* Ululabunt quidem miseri præ confusione horribili.
Osee 10. v. 8. *Et dicent montibus: operite nos, & collibus: cadite super nos.*

Sed

Sed frustra: auditâ novissimâ tubâ, *latere erit impossibile*. Comparendum est coram sedenti in throno, ipsi montes & petræ resonabunt. *Lapis de pariete clamabit: confundantur omnes iniqua agentes, & erubescant ex omnibus, quæ fecerunt*. Frustra ejulabit alius: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus*. Nam nemo poterit abscondi in die illa, quando *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit, ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida, nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni. Advocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum*. Comparendum est in loco judicii cunctis mortalibus, *& non erit fuga eis. Si descenderint usque ad infernum* (ait ipse omnipotens Judex) *inde manus mea educet eos, & si ascenderint usque in cœlum, inde detraham eos, & si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos, & si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos. Cuncta, quæ fiunt adducit Deus in judicium; omnes enim stabimus ante tribunal Christi*, in conspectu Angelorum, & universa rationali creatura. *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ: tot agminibus Angelo-*

S. Anselm. libr. de emilit.
Habacuc. 2. v. 11.
Psal. 24. v. 4.
Ezechiel. 43. v. 11.
Jobi. 14. v. 13.
Psal. 49. v. 3.
Jobi 26. v. 6.
Psal. 49. v. 4.
Amos 9. v. 1.
Amos 9. v. 2. & 3.
Eccle. 12. v. 14.
Rom. 14. v. 10.
S. August. in Medit. cap. 4.

Angelorum patebunt universa scelera mea, non solùm actuum, sed etiam cogitationum, simulque locutionum. Tot judicibus inops adstabo, quot me præcesserunt in opere bono. Coram tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt benè vivendi exemplar. Tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus; Séque imitandos justis de-
Psal. 111. *derunt actionibus.* Tunc *peccator videbit, &*
v. 10. *irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.*
Videbit seipsum denudatum, cunctis manifestatum, undequaque confusum & opprobriis oppletum, videbit Patrem omnis bonitatis, quem offendit, Deum totius majestatis, quem contempsit, regem gloriæ, cui illusit, vultum irati Judicis, quem irrisit, vulnera Christi, quæ inflixit, Sanguinem Salvatoris, quem vilipendit, Deiparam magnam Dominam, quam sibi inimicam fecit, beatorum gloriam, quâ se privavit, Dæmonum larvas, quibus obedivit. Videbit bonum quod amisit, malum quod commisit, pulchritudinem promissam, quam despexit, peccati deformitatem, quam dilexit, occasiones bonas, quas neglexit, perditionis foveam, quam sibimetipsi struxit, æternam felicitatem, quam recusavit, perennem miseriam, quam amavit, coronam decoris, quam noluit, confusionem, quam retulit, tempus, quod perdidit

perdidit, infaustam æternitatem, cui se vendidit. *Peccator videbit & irascetur* contra Deum, cujus coruscante fulgore ita denudatur, contra Sanctos, â quibus confunditur, contra Dæmones, â quibus irridetur, contra creaturas, quibus fuit abusus; *irascetur, & dentibus fremet* in seipsum, quod tantam suis actibus malis confusionem sibi pepererit, dentibus fremet in suam carnem, cujus turpi pruritui se subdidit, in suum ventrem, quem velut idolum coluit, in suum palati appetitum, cui velut Domino obedivit, in suam linguam, cui velut indomito equo fræna laxavit, in suos sensus, quibus omnem libertatem indulsit, in suam animam, quæ rebus tam abjectis se subjecit, suam salutem neglexit, tot peccatis se polluit. Dentibus fremet, tabescet, & erubescet sua peccata, quæ in confessione ex pudore reticuit, quæ excusando diminuit, aut circumscribendo palliavit. Erubescet suam vesaniam, quâ lumen intelligentiæ abjecit, suam malitiam, quâ contra omnipotentem rebellavit, suam hypocrisin, quâ aliis placere studuit, erubescet suos titulos, quos ex fastu admisit, suas laudes, quas intendit, suas commoditates, quas quæsivit, sua talenta, quæ malè impendit, omnia erunt confusione plena; quoniam *in operibus manuum suarum* Psal. 9.
com- v. 17.

2.Matth.5. v.7. *comprehensus est peccator.* Et *confusionem accepit.* Heu quis poterit stare in tanta confusione? quis poterit sustinere extremam illam confusionem? Nam *si nostrum* S. Chrysost. homil. 48. ad popul. *cujusque crimen occultum huic modò confessui innotesceret, nonnè fieret, ut ille interire potiùs ac terram dehiscere, quàm tam multos peccati sui testes habere mallet? quid igitur tum nobis fiet miseris, cùm omnia orbi universo palàm facta, in tam aperto, tamque illustri theatro denudata, hominum partim nobis cognitorum, partim incognitorum* S. Augustinus in meditat. cap. 39. *oculis subjicientur? Væ mihi misero! cum venerit dies judicii, & aperti fuerint libri conscientiarum: cùm dicetur ad me: Ecce homo, & opera ejus. Quid faciam tunc Domine Deus meus, cùm cœli revelabunt iniquitatem meam, & adversum me terra* Amos 1. v. 2. *consurget?* Quando *Dominus de Sion rugiet, & cognoscetur Dominus judicia faciens.* Psal. 9. v. 17. *Deus meus* jam nunc *confundor, & erubesco* 1. Esdræ 9. v. 6. *levare faciem meam ad te. Toto die verecundia mea contra me est, & confusio faciei* Psal. 43. v. 16. *meæ cooperuit me*, dum vel solùm ad memoriam revoco, quod de Reccaredo Angliæ rege lego.

Venatione quodam die cum suis proceribus se forsan recreabat Rex Reccaredus; cumque oculis notatam feram concito cursu avidiùs insequeretur, subitò à suis abstrahi,

huc

huc illucque vagari, in denſa ſylvarum incidere, longè aberrare, jam conſilii inops, & neſcius, quò ſe verteret? quò exitum è ſylvis quæreret? quò clamore vel humanam aurem attingeret, donec tandem ſub ſeram noctem diu errante pede nemus egreſſus, atque, neſcio, quo genio ad vile tugurium cujusdam fabri ferrarii delatus ſit, ubi fores pulſare, rogare, inſtare pro nocturno hoſpitio. Admittitur quidem poſt multas preces; oſtio recluſo, incognitus Rex, ſalutatur verò inurbanè, tractatur ruſticè, excipitur ab ipſo fabro non ſolùm verbis agreſtibus, ſed etiam uno alterove colapho: tacet, diſſimulat rex hæc, & plura usque ad auream auroram, quâ annunciante diem, ad ſuum regiam revertitur, ac paulò poſt incivilem ſuum hoſpitem ad ſe accerſi jubet, illum, ut coram comparuit, non, niſi his paucis affatus: *agnoſcis me?* Et hem tibi! Faber hac regis auditâ voce, velut fulmine tactus actutum ad terram prolabitur, parumque abfuit, quin præ confuſione ac pavore in funus abiêrit. Hei mihi! ſi Rex Reccaredus duabus duntaxat præfatis voculis aſtanti malè morato fabro tantum incuſſit terrorem, qualis confuſionis horror, qualis horroris rhomphæa meam miſeram penetrabit animam, quando ad tribunal tremendi Judicis adductus, in-

tuentibus, & attendentibus universis mortalibus cunctisque Spiritibus tam cœlestibus quàm infernalibus â sedenti in throno auditurus sum: agnoscis me? agnoscis Majestatẽ, quam offendisti, gloriam, quam despexisti? bonitatem, quam injuriâ affecisti? Si milites ad capiendum Dominum missi auditis duobus duntaxat verbis: *Ego sum*, præ timore *abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram, ego quò ibo?* quò ruam? quò abscondar? ubi tremendus Judex intonuerit: *Ego sum Jesus, quem tu persequeris.* Si illi, qui regem gloriæ non cognoverunt, ad unicam vocem ejus præ pavore terram lingere festinârunt, quis pavor? quis horror mihi & tibi in novissimo die, ubi cognoscetur Dominus judicia faciens. Si Regina Esther, fœmina incredibilis pulchritudinis, conspecto sui sponsi Assueri vultu, præ pavore in terram collapsa est, quis horror? quis pavor animam peccatricem propter sua peccata incredibilis deformitatis invadet? visis ardentibus oculis irati Judicis, auditâque terribili voce de throno tonantis: *hæc fecisti, & tacui. Existimâsti inique, quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam* universas iniquitates tuas. *Confundere, & porta ignominiam tuam*, agnoscisne modò turpitudinem, quam dilexisti, opera iniquitatis, quæ fecisti? ito, dele-

Joann. 18. v. 6.
Genes. 37. v. 30.
Actor. 9. v. 5.
Psal. 49. v. 21.
Ezechiel. 16. v. 52.

delectator in illis. Væ nobis misellis in illa die confusionis, *Ego enim* (ajebat olim Thamar ad Amnonem fratrem) *ferre non potero opprobrium meum.* Et quomodo sustinebimus confusionem nostram, increpationem tremendi Judicis, qui subindè increpationem hominis, objurgationem superioris vix æquo animo ferimus? Utinam saltem hâc horâ, hoc die talem conclusionem nobiscum faceremus, qualis fuit illius Monachi, de quo ex Ruffino in vitis Patrum sequentia narrantur. Juvenis quidam meliori spiritu ductus, nugivendo mundo terga dare secū decreverat, quod sanctum propositum, ut eò reverentius ac pietati conformiùs executioni mandaret, rem cum matre sua tractatum ivit. Dissuadebat, obstrepebat, resistebat ista, nec tamen acquiescebat ille, iterum iterumque ingeminans: *Salvare volo animam meam.* Valere proîn jussâ matre, abiit, & Monachum induit, si tamen verè talem induit, qui ad tempus sub habitu Monachi perquam tepide ac negligenter vixit, donec, matre interea defuncta, & ipse gravi quidem morbo corporis, sed saluberrimo animæ corriperetur, raptus enim per mentis excessum ad tribunal tremendi Judicis, inter alios judicandos & propriam matrem cernit, quâ conspectâ, expavescit, ac ob-

2. Reg. 13. v. 13.

Ruffinus apud Rosvveydum libr. 3.

ſtupeſcit tepidus Monachus, obſtupeſcit & mater hiſce eum adinſtar increpantis affata: quid eſt hoc, *fili? & tu in locum hunc condemnatus, juſſus es venire? ubi ſunt ſermones tui, quos loquebaris dicens: ſalvare volo animam meam.* Quibus auditis jam confundi, jam perterrefieri Monachus ignavus & ignarus, quid reſponderet matri, ad ſe porrò è raptu reverſus, priſtinæque valetudini propediem reſtitutus jam alios præferre mores, excuſſo torpore, rigidam pœnitentiam, ſuam admiſſam negligentiam diù noctuque lacrymarum imbribus deflere, nec ab ullo unquam adduci potuit, ut fletui & aſperitati vitæ vel modicè temperaret, ſemper pro reſponſo ore promens: *Si improperium matris meæ ſuſtinere non potui, quomodo Chriſti & Sanctorum Angelorum ejus adverſum me confuſionem potero in die judicii ſuſtinere?* Sic concludendum eſt, ſic animus ſeriæ emendationi adjiciendus eſt, præſertim tempore ſacræ ſolitudinis; quoniam *vox exultationis & ſalutis, vox clamantis in deſerto: dirigite viam Domini.* Aſt vox tonitrui in rota, in judicio illo terribili, in quo rotabuntur, & trutinabuntur in ſtatera juſtitiæ omnes totius mundi caſus, nemine ampliùs patrocinaturo, ſed cunctis etiam ſanctis impios incuſaturis, contra iniquos conclamatu-

Pſal. 117. v. 15.

Joann. 1. v. 23.

Pſal. 76. v. 19.

maturis: *Erubescant impii, & deducantur in* Psal. 30.
infernum, operiantur sicut diploide confusione v. 18.
sua. *Sileat omnis caro à facie Domini.* Psal. 108.
Sileant Theologorum speculationes, sileant v. 29.
argumenta, simpliciter infinitam peccati Zach. 2.
malitiam minuere intenta, *quia Domi-* v. 13.
nus locutus est: perdam sapientiam sapien- Abdiæ v. 18.
tium, & prudentiam prudentium reprobabo. 1. Cor. 1.
Omnes enim veritates absque argumenta- v. 19.
tione in luce clarescent. *Abyssus abyssum* Psal. 41.
invocat, & veritas veritatem clarificabit. v. 8.
Erubescet luna, & confundetur sol coram Isaiæ 24.
splendore veritatis & ad veritatem peroran- v. 23.
tis: Privationes sunt passivorum, ejusdemque ordinis privatio est, cujus ordinis forma, quâ privat: coram splendore veritatis ad veritatem respondentis, peccatum est in affectu privatio esse divini, quoad omnes titulos ordinis simpliciter infiniti. Coram immensa gloria æterni Judicis ex sua infinita sapientia cum omni judicio creato concludentis: ergo peccatum mortale est malum simpliciter infinitum, dignum infinitis cruciatibus, igne, qui nunquam extinguetur, verme, qui nunquam morietur; pudore, qui nunquam minuetur. Silebunt tunc defensiones, omnes excusationes, omnes palliationes, omnia effugia
à facie Domini, quia venit, quoniam venit
judicare terram, judicabit orbem terræ in Psal. 95.
equi- v. 13.

æquitate, & populos in veritate sua. Confundetur â veritate ſimulatio, politia pudefiet, hypocriſis ignominiâ implebitur.

Habacuc. 3. v. 6. *Aſpexit, & diſſolvit gentes* (inquit Propheta Habacuc de venturo Judice) ô horror, dum vel hoc ſolum audio; nam ſi unicus Judicis aſpectus diſſolvit gentes, ſi unicus Divinitatis radius ad detegenda univerſa abdita rerum, ſi unicus veritatis intuitus ad confundendam omnem calliditatem mortalium, ſi unica è Divino oculo emiſſa ſcintilla ad confutandam omnium ſapientum aſtutiam ſufficit, qualis pudor, qualis tremor miſerum peccatorem inceſſet? cùm cœperit impleri illud Divinum oraculum: *occuram eis quaſi urſa, raptis catulis, & diſrumpam interiora jecoris, eorum, & conſumam eos ibi quaſi leo.* Planè non erravit ille ſenex in vitis Patrum, dicendo. *Si poſſibile eſſet in adventu Dei poſt reſurrectionem præ timore interire animas hominum, omnis mundus moreretur â terrore atque formidine. Quale eſt enim videre cœlos ſciſſos, & Deum revelatum cum ira & indignatione, & militias innumerabiles Angelorum, & totum ſimul hominum genus intendere?* quamobrem chariſſime, agnoſce hanc diem viſitationis tuæ, quæ ad pacem tibi, morem gere voci *clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.* Præveni con-

Oſee 13. v. 8. apud Rosvveydum libr. 3.

Marci 1. v. 3.

confusione confusionem, & *pro anima tua* Eccli. 4.
non confundaris dicere verum. Munda te v. 24.
ab occultis tuis, ab illis scilicet peccatis,
quæ forsan ex rubore tacuisti, forsan ad
conservandam apud tuum confessarium bo-
nam existimationem excusâsti, vel speciosis
circumlocutionibus obscurâsti, vel confictis
prætextibus minuisti: melius est enim co-
ram uno homine confusionem sustinere
momentaneam, quàm in tremendo judi-
cii die coram universis gentibus indui con-
fusione perenni. Ut omnes cœlites te ament,
non confundaris confusionem æternam
avertere, confundaris autem semper, con- Ephes. 4.
fusione digna committere. *Surge, qui* v. 14.
dormis, & exsurge à mortuis. Diei resur-
rectionis memor esto, & illud Divinum hor-
rendum, atque terribile imaginare judicium. Evagrius apud
Adduc ad medium repositam peccatoribus con- Rosvveydum libr.
fusionem, quam passuri sunt in conspectu Chri- 3. in vit. Pf.
sti & Dei, & coram Angelis, & Archan-
gelis, potestatibus, & universis hominibus,
sed & supplicia omnia, ignem æternum, ver-
mem immortalem, tartarorum tenebras, &
super hæc omnia dentium stridores, & timo-
res, & tormenta. Adduc etiam bona, quæ
sunt justis reposita, fiduciam ante Deum Pa-
trem, & Christum ejus filium, coram An-
gelis, & Archangelis & potestatibus, atque
omni plebe; regnum cœlorum, & dona ejus,
gaudium & requiem. Utrorumque horum

commemorationem habe apud te; & super judicia quidem peccatorum ingemisce, plora, vestire luctuum imagine, metuens, ne & tu ipse in his corruas; super bona verò justis reposita gaude, exulta, & lætare. Et his quidem frui festina, ab illis verò effici alienus. Vide, ne obliviscaris aliquando.

MEDITATIO II.

De Horrore peccati venialis animæ ingenerando.

Punctum 1. Per peccatum veniale non Domino, sed Diabolo via paratur. 2. Deus ad justam displicentiam, ac indignationem provocatur. 3. Horrorem peccati venialis Sancti inculcant, & efficaces veritates consuadent.

Præludium.

Matth. 6. v. 6. INtra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito. Ut aperto mentis oculo, eâ claritate peccati venialis deformitatem agnoscas, quâ eam beata Catharina Genuensis perspexit, dum disseruit: *quando mihi concessum fuit intelligere, quàm pavescenda sit umbra minimi actûs, qui sit contra Deum, nescio cur è vivis non excesserim? Si hæc sola, sola inquam, obscura visio, quæ non nisi momentanea fuit, diutiùs durâsset,*

In vita ipsius cap. 24.

râsset licèt corpus habuissem prorsus adamantinum, interiissem.

Punctum I.

Considera, per quodlibet peccatum veniale Diabolo viam sterni ad ingressum cordis; quia *peccatum veniale per se disponit ad mortale*, quo mortali scilicet, admisso, animam occupat, & ingreditur Satanas. Nam *naturâ comparatum est, ut maxima peccata ex minoribus ac levioribus ortum trahant.* Et multiformiter quidem venialia ad mortalia disponunt. 1. Quia *diminuunt inclinationem ad virtutem.* 2. Quia augent inclinationem ad vitia, & opera mala, quæ repetitis venialibus haud dubiè ita invalescet, ut occurrente graviori tentatione, sine specialissima Dei gratiâ, nec â delicto mortali abstineat; præsertim, cùm 3. Ad venialium incautos Diabolus majorem accessum acquirat, justè Deo suas speciales gratias talibus subtrahente, sive (ut Sanctus Isidorus loquitur) *Judicio autem Divino in reatum nequiorum labuntur, qui distinguere sua facta minora contemnunt.* 4. Quia *peccata venialia diminuunt fervorem charitatis*, & reddunt animam tepidam. 5. Quia per venialia *retardatur affectus hominis, ne promptè feratur in Deum*, sed pronus ad bonum proprium redditur. 6. Quia *peccata venialia actus virtutum corrum-*

S. Thomas 12. q. 88. art. 1. ad 3.

S. Isidorus Pelusiota.

S. Thomas 1. 2. q. 51. art. 1.

Libr. 2. Cent. cap. 19.

S. Thomas 3. part. q. 79. art. 4.

Idem 3. parte q. 87. art. 1. Idem 1. 2. q. 89. art. 1. in cap.

Ludovicus Granat. in duce Pecсat. libr. 2. p. 1. cap. 12.

S. Thomas 3. p. q. 87. ar. 1. ad 1.

corrumpunt, & impediunt, efficiuntque hominem ad Spiritualia exercitia tædiosum. 7. In gradu *suo resistunt Spiritui Sancto, & impediunt operationem illius in nobis.* Unde *debet homo habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda : aliàs enim esset ei periculum deficiendi.* Immò propositum *sola mortalia vitandi* (juxta Sanchez, & alios Theologos) *est peccatum mortale, quamvis contemptus desit: quia tale propositum objectum in se continet apertissimum mortaliter peccandi periculum.*

Tom. 1. in decal. l. 1. cap. 5. n. 4.

Punctum II.

Considera, Deum contra hominem, præsertim Religiosum, venialiter peccantem ad justam displicentiam & indignationem commoveri. 1. Propter turpissimam maculam, quam peccans venialiter contrahit. Nam peccata venialia *animam velut quibusdam pustulis; & quasi horrendâ scabie replent, deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius cœlestis sponsi, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.* 2. Quia Deus per quodlibet peccatum veniale magnâ offensâ, grandi injuriâ, & ingenti contemptu afficitur; siquidem peccatum veniale solùm respectu mortalis ad distinctionem leve dicitur, alioquin cum beata Catharina Genuensi tenendum est, *apud Deum nullum peccatum posse dici minimum,*

S. Cæsaria Arelat. homil. 8. ad populum.

Cap. 10. in ejus vita

&

& ne quidem magnum, sed maximum, cùm sit contra summam ipsius bonitatem. Immo *omne peccatum habet quandam infinitatem, etiam veniale*, uti id Nicolaus Lanucius ex Suarezio, & aliis gravissimis Theologis probat, hoc solo discrimine posito, quòd mortale peccatum sit malum simpliciter infinitum, veniale verò malum infinitum secundùm quid, his accedit. 3. Justam Dei indignationem contra venialiter peccantem quasi in immensam adaugens, quòd tanta offensa, tanta injuria, tantusque contemptus in tantum Dominum fiat ab homine creatura vilissima, â subdito in Regem, â mendico in benefactorem à filio in parentem, ab ægroto, in medicum, â factura in factorem, â Religioso, â persona sacra, in loco sacro, post tantam contractam sanctè vivendi obligationem, post tot acceptas gratias, intuente purissimo omnipotentis oculo, erubescente custode Angelo, annotante vafro dæmone. *Si ergo de virtute in virtutem vultis ascendere, semper timete in singulis minimis Deum offendere. Non debetis considerare quàm parva sit res, quam contra prohibitionem facitis, sed quantum malum sit inobedientia, quam pro parva re incurritis.*

Opusculo 16. cap. 3.

S. Anselmus Epist. 6. ad Monach. Cistrenses.

Punctum III.

Disce horrorem venialis peccati â Sanctis:

ctis : disce à Sancto Ignatio Lojola dicente: *Nulla, vel humanæ quantæcunque felicitatis, vel propriæ mortis conditione propositâ adducar unquam, ut culpam, licet venialem tantùm, decernam admittere.* Nec mireris hanc dictionem; nam cum Sancto Dorotheo tenendum est, *longè melius esse, & corpus, & omnia corporea perire simul, quàm lædi animam in re etiam minima.* Sanctæ Theresiæ assentiendum est, *majus malum posse advenire ab uno peccato veniali, quàm à toto simul inferno, cùm hæc ipsissima sit veritas.* Unde sapienter Joannes â Jesu Maria præcipuè tyrones apprimè instrui cupit, *vel in minima culpa plus mali ac deformitatis inesse, quam in universis cruciatibus inferni.* Minimum enim malum culpæ majus est omnibus malis pænæ, meliusque foret sine peccato veniali Christum rursum cruci affigere, quâm cum peccato veniali â crucis tormentis redimere; nec dubium, quin omnes Sancti optarent potiùs, sine peccato in infernum descendere, vel in suum nihilum redire, quàm cum peccato veniali in cœlo regnare. *Audite* hæc *insulæ, & attendite populi*, qui mavultis peccatis venialibus Deum altissimum contemptui habere, quàm otiosum sermonem, nugas, & facetias omittere. Præsertim attendite ô vos Sacerdotes & Religiosi; Siquidem *inter sæculares*

Serm. 20.

Cap. 25. in vita.

Isaiæ 49. v. 1.

lares nugæ, nugæ sunt, in ore Sacerdotis S. Bernardus libr. 2. de consid. cap. 13.
blasphemiæ.

BONA PROPOSITA
Ex
Præsenti Meditatione.

1. NEc ullum deinceps peccatum leve æstimabo, semper cum Sancto Hieronymo non tam quantitatem imperii, quàm imperantis dignitatem attenturus. Epist. 14. ad Celantiam.

2. Singulis diebus ad minimum bis singulos meos etiam minimos nævos per diligens examen inspiciam, annotabo, cum meis propositis conferam, & detestabor.

3. Pro negligentia in vitandis peccatis venialibus cum consilio Patris Spiritualis mihimetipsi discretas pœniténtias injungam.

4. Cum Sancta Paula Romana etiam minima peccata veluti maxima crimina saltem per lachrymas cordis frequenter deplorare studebo.

5. Post quodlibet admissum veniale statim conabor actum perfectæ contritionis elicere, & illud rursus delere.

6. Cognita peccata venialia ad majorem meam confusionem in confusione diligentissimè exponam.

7. Omnes peccatorum venialium occasiones pro mea possibilitatè cautè declinabo.

8. Cre-

8. Crebriùs per diem horrorem ac odium adversus omne etiam minimum peccatum concipiam, ut sic per frequentatos actus habitualem omnis peccati horrorem acquiram.

9. Præsertim verò majori ac frequentiori odio accendar contra ista vel illa peccata venialia in specie, in quæ sæpius labi consuevi.

10. Ad acquirendum perfectum omnis peccati horrorem certas mortificationes ac orationes tum benignissimo Deo, tum Sanctis Patronis meis quàm devotissimè quotidie offeram.

EXAMEN PARTICULARE.

De Fidelitate, & puritate conscientiæ.

1. AN nunquam solitus fueris, peccata graviora in confessione tacere? vel ex alio defectu confessiones sacrilegas facere?

2. An defactò nunquam vel ex verecundia, vel ex stulto timore aliquod peccatum etiam leve in confessione advertenter taceas, aut palliatione minuas?

3. An studeas tentationibus statim in principio generosè & constanter resistere, omni-

omnique conatu laborare, ne vel unquam conſcientiam tuam graviori peccato commacules?

4. An ſatagas etiam minima peccata, & omnes imperfectiones omni poſſibili modo præcavere?

5. An poſt peccatum etiam veniale, vel quemcunque, licèt minimum, defectum commiſſum protinus ſentias remorſum? ac per contritionem conſcientiam mox iterum purificare feſtines?

6. An tuo Patri Spirituali cum omni filiali confidentia fidelis & ſincerus exiſtas?

7. An tentationes, malas inclinationes, modum pugnandi, proficiendi, & ſimilia eidem abſque ſimulatione detegere ſoleas?

8. An nunquam ſupereris â Dæmone, conante â manifeſtatione conſcientiæ te retrahere, & impedire, incutiendo tibi vel verecundiam? vel averſionem? vel timorem, ne res detecta â Patre Spirituali vel in malam partem accipiatur? vel propaletur?

9. An ſcrupulis, ac dubiis fundamento carentibus non inordinatê inhæreas? ſed conſcientiâ tuâ fideliter revelatâ, cæterùm de Deo in bonitate ſentias per omnia conſiliis Patris Spiritualis humiliter acquieſcens?

10. An continuò, in quantum eſt poſſibile, præſertim tempore orationis, cogitatio-

tationibus vanis, ſcrupulis, & quibuslibet rebus diſtrahentibus rejectis, internæ recollectioni, mentis ſerenitati, ac tranquillitati animi ſtudeas?

LECTIO SPIRITUALIS
Pro
Tempore pomeridiano.
Argumentum:

Pſal. 74. v. 1. DEus juſtus Judex in particulari judicio leget tibi textum: *cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo.*

Varias hic textus ſuſtinet interpretationes; ſive, ut aptiùs loquar, complures in ſe continet ſenſus. Et 1. Quidem ſecundùm litteram poteſt intelligi de ipſo Rege Davide, ita, ut ſenſus ſit: Ego Rex Iſraël aſſumam mihi certum tempus ad decernenda juſta ac Sancta; & *docebo iniquos vias* Pſal. 50. v. 15. *tuas*, verùm hic ſenſus nihil facit ad præſentem materiam. 2. Applicatur textus prædictus Chriſto Domino in ſuo primo adventu, ita, ut ſenſus ſit: Ego unigenitus æterni Patris, Deus verus de Deo vero, per meam incarnationem adventurus in tempore judicabo, ac reprobabo juſtitias Phariſæorum, ſtatuamque quaſi novam juſtitiam, nova mandata daturus mundo, & meos

meos edocturus fideles: *nisi abundaverit* Matth. 5.
justitia vestra plus, quam Scribarum, & Pha- v. 20.
risæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.
Ast neque huic sensui hîc inhærendum.
3. Intelligitur citatùs textus de secundo adventu Christi judicaturi vivos & mortuos, tam justitias, quàm injustitias, tam opera bona, quàm mala, posteriora quidem ad sumendas debitas pœnas, priora autem ad tribuendas majores laudis ac gloriæ coronas, *ut referat unusquisque propria* 2. Cor. 5.
corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. v. 10.
Porrò nec iste sensus nostrum scopum attingit; nam justus propter suas justitias non metuit, sed *lætus judicem sustinet, &* S. Grego-
cùm tempus propinquæ mortis advenerit, de rius homil.
gloria retributionis hilarescit. 4. Dici potest, 13. in Ev-
adductum textum loqui de justitiis falsis, & angel.
viis justis duntaxat in propriis oculis, de quibus illud Divinum oraculum: *Est via*
quæ videtur homini justa, novissima autem Proverb.
ejus deducunt ad mortem. At neque de his 14. v. 12.
justitiis nobis hîc sermo; hæ enim justitiæ sunt justitiæ impiorum, justitiæ reproborum, mihi autem hodie discursus cum justo, cum Religioso, cum electo, uti piè in Domino confido. 5. Per justitias intelligimus vitam, actiones, & vias, per quas etiam justi ac pii non raró solent incedere, quas subinde etiam viri docti, & Magistri in

Scholis vix reprehendunt, aut adeò apprehendunt, ſed potiùs quandoque juſtificant, excuſant, juſtitiisque annumerant; quales juſtitiæ ſunt in ſæcularibus, neminem lædere, â culpis gravioribus abſtinere, in Religioſis ſua vota religioſa, ac majora ſuæ Regulæ inviolata ſervare, cæterùm minima parùm curare, Divinas inſpirationes non multùm attendere, opera ſupererogatoria, majorem in ſpiritu perfectionem, & promotionem Divini honoris facilè negligere, pretioſum tempus minùs utiliter expendere, ſua talenta haud ſatis fructuoſè impendere, ſententias benigniores, & plus æquo libertati faventes eligere. Hæ proinde juſtitiæ ſunt propriè hujus & hodierni noſtri diſcùrſûs, de his quippe juſtitiis etiam viros Religioſos, etiam juſtos ac probos duriſſimum immò terribile judicium exſpectat, non quidem in noviſſimo die, licèt enim in illo furoris die tremendus Judex reprobis etiam minimos nævos ad majorem ipſorum confuſionem ſit exprobraturus, minimè tamen in univerſali illo judicio ſuos
1. Cor. 4. v. 5. confundet electos, ſed electorum *tunc laus erit unicuique à Deo:* confundet autem in judicio particulari, ibi nemini parcet oculus ejus, neque juſtis, neque Sanctis, ſed univerſæ juſtitiæ â minima usque ad maximam trutinâ examinabuntur, an habeant pondus

pondus ad pondus, ac debitam proportionẽ Isaiæ 10.
ad æternæ gloriæ coronam. *Non secundum* v. 3.
visionem oculorum judicabit, neque secundum
opinionem nostram putatas nostras justi-
tias justas pronunciabit. O quâm metuen- Isaiæ 64.
dum est, ne *quasi pannus menstruatæ uni-* v. 6.
versæ justitiæ nostræ tunc reputandæ sint ab
eo, qui etiam *in Angelis suis reperit pravi-* Job. 4.
tatem. Ergone (inquis fortasse) apud Chri- v. 18.
stum tremendum Judicem nihil valebit il-
lud juridicum? de minimis non curat præ-
tor. Miraberis forte me respondentem?
apud Deum idipsum vel maximè valere,
à Deo minima omnino dissimulari, mini-
ma non curari, atque per præfatum juridi-
cum in suo Judicio fatuos mortales vel
maximè judicatum & confusum iri. Ast
desine mirari isthoc dictum meum: *Non* Isaiæ 55.
enim cogitationis meæ, (ait ipse Dominus) v. 8. & 9.
cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, viæ
meæ; Sed *sicut exaltantur cœli à terra, sic*
exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & co- Isaiæ 5.
gitationibus vestris. Vos *dicitis malum bo-* v. 20.
num, & bonum malum, ponentes tenebras
lucem & lucem tenebras, existimantes ter-
rena magna, & cœlestia quasi exigua, in-
jurias vobis illatas apprehenditis veluti gra-
ves, culpas verò in Deum vestrum com-
missas æstimatis leves, jacturam lucri tem-
poralis magni facitis, quasi nihili detri-

 men-

mentum lucri ſpiritualis, maculam vel unicam in vultu erubeſcitis, labeculas porrò conſcientiæ quaſi nihili ducitis. Non ſic viæ meæ: mihi pro minimo eſt omne terrenum, pro maximo omne æternum, mihi major nauſea ex minima labecula humanæ conſcientiæ, quàm ex omnibus materialibus immunditiis univerſæ terræ. Cogitationes meæ & judicium meum, hominem majorem jacturam feciſſe, dum minimum actum virtutis negligit, quàm dum regnum & ſceptrum perdit. *Quid enim*

Matth. 16. v. 26. *prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* quæ commutatio totius mundi pro minimo gradu æternæ gloriæ, qui per omiſſionem vel minimi boni operis negligitur?

ſal. 74. . 1. *cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo.* Hei mihi Domine *non intres in judicium*

Pſal. 112. v. 2. *cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.*

Pſal. 51. v. 8. *Videbunt juſti, & timebunt*, & qualis tunc timor mihi? qualis tunc timor tibi, qui forſan minima non curâſti, leves transgreſſiones non caviſti, leves defectus non correxiſti, parva peccata parvi pendiſti? tunc enim *mirabitur, &*

Iſaiæ 60. v. 5. *dilabitur cor tuum* in timorem, cognoſcens cognitione mirificà, veriſſima ſenſiſſe beatam Catharinam Genuenſem, dum dixit:

In vita ipſiꝰ cap. 24. *adeo jam mihi terribilis apparet vel umbra ſaltem*

ſaltem venialis peccati, ut videatur mihi, quòd Deus multò minorem ipſi inferno horrorem indiderit. Tunc videbis, nec militum Bernardum exceſſiſſe, dum ſcripſit: *Diſcite ex hoc fratres juſtum judicem Deum, non modo quid fiat, ſed & quo animo fiat conſiderate & cavete deinceps, ne quis parva reputet, quamlibet parva ſcienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde ſuo: Levia ſunt iſta, non curo corrigere: Non eſt magnum, ſi in his maneam venialibus, minimisque peccatis. Hæc eſt enim, dilectiſſimi, impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum Sanctum.* Nec eſt, quòd arbitreris melli-fluum Patrem, per hyperbolen fuiſſe locutum, aut perconteris forſan, quomodo in venialibus manere, venialia in corde ſuo levia dicere, levia æſtimare, poſſit eſſe blaſphemia in Spiritum Sanctum? Nam Deum eſſe immiſericordem, & injuſtum, in corde credere, ex corde dicere, utique eſt blaſphemia in Spiritum Sanctum, atqui Deum immiſericordem, & injuſtum eſſe credit, quisquis peccatum aliquod abſolutè & ſecundûm ſe leve eſſe credit, cùm omninò certum ſit, quòd Deus, propter leves duntaxat culpas tam gravibus, tamque horribilibus purgatorii cruciatibus, & quidem in ſuos electos, in ſuos chariſſimos filios, in ſuas dilectiſſimas ſponſas animadvertens, juſtus

Serm. 1. in converſ. S. Pauli.

justus ac misericors esse non possit; quis enim justum aut pium illum appellaret parentem, qui in suum dilectum filium propter parvam noxam igne, ac gladio desæviret? quis clementem; quis justum, quis è diverso non potiùs injustum, crudelem, sævumque tyrannum dicturiret illum sponsum, qui suam amicam, sororem, charamque sponsam propter levem duntaxat nævum horrendis carceribus includeret, flammis adjiceret, omnisque generis tormentis pertorqueret? quis autem Catholicorum ignorat, culpas etiam veniales, & quidem in Dei filiis, in animabus justis, in charissimis sponsis horribilibus purgatorii pœnis expiari? pœnis omni præsentis vitæ cruciatu severioribus. *Mallet enim quilibet viventium omnes, quæ hîc videntur pœnæ, ac tormenta, & si illas experientiâ nesciret pœnas, usque ad finem mundi, omnibus his simul sine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam hucusque singillatim pertulerunt, quàm unâ die in inferno, sive in purgatorio minori, quæ illic habetur, pœna torqueri.* Quemadmodum Sanctus Cyrillus, vel quorundam opinione, alius antiquus apud Sanctum Augustinum testatur, se audivisse hæc ipsissima â quodam mortuo per saccum Divi Hieronymi ad vitam resuscitato. *Purgatorius ignis durior est, quàm*

Apud S. Augustinum Epist. 206. tom. 2.

quàm quod possit pœnarum in hoc sæculo aut accidere, aut sentiri, aut excogitari, inquit S. Cæsarius Arelat. homil. 8. quinimò, uti Sancta Maria Magdalena de Pazzis per raptum edocta affirmat: *omnia tormenta, quæ passi sunt martyres, sunt tanquam amœnus hortus respectu eorum, quæ infliguntur in purgatorio.* In vita parte 2. cap. 13. pag. 169.

& hem in hunc ignem mittuntur electi Dei propter veniales etiamnum culpas. *In vitis Patrum legitur*) ait Sanctus Antonius) *pro hujusmodi levibus quosdam probos viros ad Purgatorium deputatos. Et aliqui quidem pro delectatione, quam habebant in cantu; alii pro nimia solicitudine in ædificiis etiam Ecclesiasticis, alii pro studio curioso gentilium.* Part. 1. ait: 5. cap. 5. SS. 2. causa 3.

Nonne acceptus erat Deo Sanctus Severinus Archiepiscopus Colonicensis? nonne acceptus S. Udalricus Episcopus Augustanus? Et nihilominus propter culpas duntaxat veniales cum multis aliis viris Sanctis juxta gravissimos auctores sævissimos Purgatorii sustinuerunt cruciatus. Manet igitur certissimum, aut nullum peccatum absolutè & in se posse leve credi, aut Deum debere injustum ac crudelem dici. Posterius est manifesta blasphemia in Spiritum Sanctum, ergo prius tenendum, atque cum Sancto Bernardo aliisque Sanctis Patribus sentiendum, nullum peccatum absolutè posse leve dici. Nam *leve nunquam est, Deum etiam*

S. Basilius in Reg. Mon. de obedientia. *in exiguo contemnere.* Leve nunquam est, quod tam pius Pater tam severè mulctat in filio, mittens eum propterea in carcerem, includensque eum hac durissimâ clausulâ:

Matth. 5. v. 26. *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Et utique per quadrantem non nisi veniale peccatum intelliges? verùm non solùm de peccatis venialibus, sed & de aliis adhuc justitiis, sed & de imperfectionibus in illo judicio tibi legetur textus: *Ego justitias judicabo.* Experieris, quàm vera beata Catharina Genuensis locuta, dum sequentia, & his plura similia effata:

In vita ipsius cap. 30. *Illam Divinam essentiam tantæ munditiæ ac puritatis perspicio, ut impossibile sit, vel extremam ejus partem animo assequi, adeò, ut homo non nisi tenuissimâ imperfectione laborans, priùs se in mille tormenta ipse præcipitaret, quàm coram eo cum tali imperfectione compareret. Hinc anima intelligens, Purgatorium ad expiandas, & diluendas imperfectiones constitutum, libens ad Divinam dispositionem se in id demittit; putatque admodum clementer secum agi: & tamen Purgatorii acerbitas omnem intellectum humanum superat. Atqui anima amore flagrans, pluris facit imperfectionem, quàm Purgatorii pœnam, licèt usque adeò diram, ut quiquid in hac vita cognoscere, eloqui, & experiri, atque de ea re credere possu-*

possumus, si cum ipsamet comparetur, mihi videatur mendacium. Unde tametsi hæc sim coacta proferre, tamen confundor, re tantâ longè minùs, quam cupiebam, declaratâ. Quid ad hæc? an rursum reclamas? exaggeratio; exaggeratio: nimis enim *durus est hic sermo*, docens, etiam imperfectionibus expiandis â Deo purgatorium decerni, ut proinde tibi omnis superfluus scrupulus adimatur, verba Genuensis virginis pro faciliori captu elucidentur, nervosiusque simul argumentum præsentis materiæ probetur, haud absonè respondetur, imperfectiones triplici differentia posse considerari. Joann. 6. v. 60.

Primò sunt aliquæ imperfectiones omnino involuntariæ, sive, ut ex Sancto Joanne Climaco loquar. *Sunt apud spirituales viros: quædam plerumque vilissima vitia mirâ Dei dispensatione in eis relicta, ut propter vilia illa, quæ sine peccato sunt, seipsos semper valde accusantes, humilitatis opes inviolabiles acquirant.* Hujuscemodi imperfectiones censentur inclinationes minùs ordinatæ, incidentes rerum species, motus primi, involuntarii risus, qui subinde mortificatis quoque animabus contra omnem cohibitionem & renixum erumpere solent. Consimiles imperfectiones, utpote omnino involuntarias, piisque animabus perquam pœnosas Purgatorii flammis non subjectum In Scala Paradisi Grad. 26. c. 2.

iri, facilè admiſerim, nec enim videntur Deo magis diſplicere, quàm imperfectiones ac defectus naturales, tametſi quandoque ſecundùm cenſuram humani oculi regulis morum diſcordare exiſtimentur.

Secundò aliæ imperfectiones ſunt, ſic, & ut tales denominatæ noſtrâ opinione, humanoque judicio, quæ tamen in puriſſimis omnipotentis oculis culpâ nullatenus carent, hujus generis cenſentur illa minuta, *quæ* (Abbate Chæremone apud Caſſianum ſentiente) *per ſermonem, per cogitationem, per ignorantiam, per oblivionem, per neceſſitatem, per voluntatem, per obreptionem admittuntur, quæ licèt ab illo peccato, quod ad mortem eſſe dicitur, aliena ſint, culpâ tamen ac reprehenſione carere non poſſunt.*

Collat. 11. c. 10.

Ejusmodi imperfectiones, flammâ purgante eluendas, nemini Catholicorum poteſt ſuboriri dubium, quia quidquid infectum eſt culpâ, tametſi occultâ, dignum eſt pœnâ. Non enim Deus *ſecundùm viſionem oculorum judicabit*, neque ſecundùm noſtram opinionem, aut humanum judicium, ſed ſecundùm veritatem, & æquitatem vultûs ſui, etiam in ſtellis reperientis maculas, & in operibus Sanctis notantis labeculas. Nam *ſi ſunt viæ, quæ videntur hominibus, rectæ, quarum finis usque ad profundum inferni demergit*, quis dubitet, quin noſtris ope-

Iſaiæ 11.

S. Regul. c. 7.

operibus plurima insint, quæ oculis nostris vix videntur imperfecta, & vix modicæ imperfectiones, in quibus tamen oculus justi Judicis deprehendet culpas, longo severoque purgatorio diluendas? ô quàm rara avis homo in terris, ab hujusmodi occultis culpis immunis! ô quàm rara avis, anima absque purgatorio avolans ad sidera! *Quamvis multarum animarum statum mihi* Cap.38.vit. *Dominus revelare dignatus sit* (inquit Sancta Theresia) *ex omnibus tamen, quas vidi, nescio an ulla purgatorium evaserit, præterquàm Religiosi illius, de quo paulò ante verba feci, & Sancti Patris Fratris Petri de Alcantara, nec non illius Dominicani cujus supra memini.* Lib. 1. de amiss. grat. c. 13. *Vix ulli justi homines* (ait Cardinalis Bellarminus) *nisi ex magna misericordia Dei, pœnam Purgatorii acerbissimam evadunt, ita, ut recta è corpore ad cœlum evolent.* O quanta multitudo similium occultarum culparum post mortem nobis exprobretur â Judice! quanta multitudo obtrudetur â Dæmone! quanta objicietur â tutelari Angelo? quanta â Sanctis? præsertim â Sanctis nostris majoribus, ac religiosæ vitæ institutoribus. Heu quis non metuat? ad mentem revocans illud, quod Zacharias Boverius in annalibus Patrum Capucinorum refert de fratre Constantino â Salvatore, viro alioquin sanctitate, gratiis-

tiisque gratis datis tam in vita, quàm post mortem celebri.

Hic enim post obitum suum nonnullis elapsis diebus cuidam Patri visibilem se stitit, eique, cùm de suo statu in altera vita interrogaretur, respondit: *Heu! heu frater! quam districta Domini judicia sunt, atque ab hominum sensu ac sententia longè remota: quæ enim viventibus virtutes videntur, à Deo plerumque, qui rectè omnia metiri novit, vitia judicantur. Ego quidem ex Dei miseratione salutem consecutus, cœlesti gloriâ fruor, verumtamen in purgatorio igne triduano pœnas exsolvi, quæ trium millium annorum, haud mentior, mihi diuturna supplicia visa sunt. Quòd si horum causam quæras, ea gemina fuit: Prima, quòd ex diuturnâ meâ inter fratres prælatione plerasque maculas, quas nec maculas existimabam, imprudenter contraxerim, ac plurima prætermiserim, quæ & Superioris munus, & commissi mei gregis officium postulabant, quæ summo rigore in Dei judicio examinata fuêre. Altera, quod in animi remissionibus, quas intra solius virtutis terminos contrahere debueram, erga subditos indulgentior, quàm par est, extiterim, ex quo plerumque dissolutiones erumperent.* Recogitent hæc superiores, recogitent & subditi, certè sæpe latet occultus sub herbis

Tom. 2. pag. 204. n. 60. anno 1586.

virentibus anguis, & sæpe ſubeſt culpa, ubi humanum judicium omnia juſta putat.

Tertiò denique nomine imperfectionum moralium, propriè talium veniunt omnes voluntariæ defectiones â perfectione, citra tamen alicujus legis violationem, ſive ſunt actus liberi, quorum aut omiſſio, aut poſitio nulli quidem prorſus legi, bono tamen virtutis ac perfectionis adverſatur, quemadmodum imperfectum illud propriè dicitur, quod non eſt perfectum, ſic etiam imperfectio moralis propriè talis eſt nihil aliud, quàm voluntaria omiſſio alicujus perfectionis. Tales imperfectiones ſunt ſuis bonis propoſitis non ſtare, voluntarias devotiones, aut actus virtutum omittere, in ſuis exercitiis â poſſibili fervore nonnihil remittere, honeſtas & licitas oblectationes admittere, ex inferiori motivo quàm ex motivo perfectæ charitatis operari. Et de iſtis imperfectionibus propriè ac potiſſimùm intelligenda videtur beata Catharina Genuenſis, dum ait: *Cognitiſſimum mihi eſt, quòd quando amor purus, vel exiguiſſimam imperfectionem deprehendit, ſi Deus non averteret, in pulverem redigeretur, non corpus modo, ſed & anima, niſi eſſet immortalis.* De iſtis quoque imperfectionibus ex immenſo quaſi Catalogo poſt mortem nobis â Chriſto Judice legetur ille textus: *Cùm acce-*

In vita c. 15.

Pſ. 74. v. 1.

accepero tempus, ego justitias judicabo. O quanta verecundia, quantus dolor! quantus horror tunc nos apprehendet? Si *homo* (juxta verba ex beata Catharina Genuensi supra citata) *non nisi tenuissima imperfectione laborans, priùs se in mille tormenta ipse præcipitaret, quàm coram eo cum tali imperfectione compareret.* Imprimis quidem indicibili tunc anima corripietur dolore propter jacturam lucri cessantis, per hujuscemodi perfectiones causatam. Certissimum quippe est, vel minimum æternæ gloriæ gradum negligere (quem per quemvis virtutis actum ex charitate factum promereri possemus) esse majorem jacturam incurrere, quam mille mundos cum omnibus suis divitiis, delitiis, voluptatibus & dignitatibus perdere: hæc credis, & adhuc aliquam imperfectionem, alicujus voluntariæ mortificationis, verbi gratia, omissionem levem dicis? O cœca judicia mortalium? quæ tam stolidè minima, id est mundana, censent magna; ac interim maxima, id est æterna, reputant pro minimis! aperi tandem oculos ô Christiane, & confundere de tua ignorantia saltem ab Ethnicis differentibus: *Melius est mori, quàm facere aliquid contra bonum virtutis.* Deinde infandum concipiet anima dolorem, manifestâ cognitione contuitura, ejusmodi imperfectiones, & majoris per-

Aristoteles lib. 3. Eth.

perfectionis neglectus Deo omnis puritatis amatori magnopere diſplicere, erítque ille, dolor, illeque rubor, ex prætactâ cognitione affuſus, tam durus, & amans Deum non ſolùm cum illa anima apud Sanctam Gertrudem in Purgatorio, ſed in ipſo etiam inferno absque imperfectione mallet torqueri, quàm cum tali imperfectione ſponſique diſplicentia in ſupremo cœli gradu collocari quod ipſum rurſum luculenter teſtatum facit ſæpius citata Catharina Genuenſis, cujus hæc ſermocinatio : *Si homo ſatis comprehendere poſſet gloriam glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, eamque & voluntate, & reipſa, & diſpoſitione Divina poſſideret, ſicut ipſamet Domina noſtra poſſidet, deinde audiret: oportet te cum iſta gloriâ ſcintillam imperfectionis ab omnipotentis Dei voluntate diſcrepantis in te cernere; certa ſum (modò dulcem hanc veritatem perſpiceret) reſponſurum; nolo illam gloriam hac conditione, quin potiùs relega me in infernum.* Hæc dum mecum tracto, quid aliud valeo, niſi ex toto pectore clamare: ô Chriſtiani! ô Religioſi! ubi eſt fides noſtra? ſi juxta veriſſimam hujus virginis mentem pro corona ac gloria, gloriam præcelſæ Deiparæ adæquante, nec minima imperfectionis ſcintilla admittenda, unde ergo ſcaturit noſtra amentia, imperfectiones vix attendens? actus

Lib. 5. c. 8.

Cap. 39. in vita ipſius.

actus virtutum tam facilè negligens? tot pietatis opera, tot mortificationis exercitia tam imprudenter omittens? Denique quoad has ultimas imperfectiones quæstio moveri potest, utrum præter justam displicentiam Divinis oculis causatam, præter jacturam augmenti gratiæ pro præsenti vita, ac gloriæ pro futura, pœnam præterea etiam sensûs inducant? Verùm quis hunc nodum dissolvere præsumet? ego saltem sententiam ferre non audeo, sed ferendam â vicino jam mihi Judice timescens, ac contremiscens exspecto, commeditans mecum non paucas pavendas historias. Nam desiderium visionis beatificæ non alere, quandoque in penso canonico aliquam cæremoniam omittere, cæteris paribus, non tam peccati quàm alicujus imperfectionis duntaxat arguo, & nihilominus auctor Neotericus ex sancta Brigitta refert, quemdam Anachoretam, cæterùm famâ sanctitatis celebrem, hanc unicam ob causam flammis purgantibus fuisse adjudicatum, quia non ardebat, videre Deum. Sic etiam annales Cisterciensium referunt, quemdam Religiosum gravissimas in purgatorio dedisse pœnas, ob neglectam ad Gloria Patri Reverentiam, hic enim, quod expavescas, post mortem altissimæ alligatus columnæ singulis diebus centies, totidemque vicibus quâlibet nocte pro-

Balthasarus Stromair in Festo Ascens. Domini.

profundissimè cum horrendo cruciatu se inclinare cogebatur, donec satisfecisset, seu potiùs satis passus fuisset pro singulis reverentiis, aut omissis, aut neglectim tantùm exhibitis. Quis facilè alicujus peccati arguet illum Religiosum, è Sancti Dominici familia, qui, ut debilitatem capitis impediret, sibique ordinarium somnum conciliaret, vinum sine admista aqua biberat? & nihilominus (uti Petrus Pennequin ex Sancto Antonino enarrat) propter hanc causam flammis purgantibus fuit immissus. Quis hæc in pondere sanctuarii secum pensitans, non pertimescat? non compavescat? *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido, quid fiet?* Si viri Sancti propter suas imperfectiones ac minimos nævos flammis purgantibus multantur, de nobis, peccata venialia velut aquam bibentibus, & quasi cum risu patrantibus quid fiet? nonne metuendum meritò, ne ab ipsismet Sanctis, ab ipsismet nostris Sanctis fundatoribus, nostrisque majoribus simus coarguendi in nostro particulari judicio? nonne scriptum est? *tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & abstulerunt labores eorum.* Nam minima non curare, minima in Religione negligere, est ordinum fundatores quasi affligere, ipsorum labores auferre, religiosam sci-

Luc. 23. v. 31.

Sap. 5. v. 1.

scilicet disciplinam destruere, ædificium spirituale diruere, ipsumque sacrum religiosum ordinem dissipare, quem illi tanto labore plantaverunt, tanto sudore rigaverunt, tanto fervore per minimorum custodiam ad florem & incrementum perduxerunt. *Religiones* (inquit Sanctus Antoninus) *quæ cum magno fervore, & vitæ sanctimonia initium habuerunt, minima negligentes traditionum paternarum, in processu temporis paulatim defluxerunt, & exinanitæ sunt usque ad fundum, vota scilicet substantialia.*

2. part. hist. tit. 15. SS. 2.

Nec aliter ipsâ experientiâ doctus sanctus noster sentit Anselmus, cujus hæc verba: *Certissimum est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus; quia in Monasterio, ubi minima districtè custodiuntur, ibi rigor Monachorum inviolabilis permanet; ibi pax inter fratres. Ubi verò minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo dissipatur paulatim, & destruitur. Si ergo de virtute in virtutem velitis ascendere, semper timete in singulis minimis Deum offendere.* O utinam hæc attenderent superiores, utinam sibi cordi haberent subditi.

Epist. 6. ad Monachus.

ME-

MEDITATIO III.

De Vitio tepiditatis extirpando, ac cavendo.

Punctum 1. Monachus tepidus in magnis periculis versatur. 2. Deo meritò odio ac tædio existit. 3. Quibus motivis seipsum ad fervorem excitare debeat.

Præludium:

AUscultа ô fili, quid in te loquatur Benedictus Pater. *Exurgamus ergo tandem aliquando* (accinit tibi) *excitante nos Scriptura, ac dicente: Hora est jam, nos de somno surgere.*

In Prologo S. Regul.

Punctum I.

Perniciosa tepiditas, quia periculosa est, quia molestissima est, plena miseriæ, & doloris, & inferno planè proxima, umbra mortis jure censetur. Perniciosa ac periculosa est tepiditas 1. quia nos tentationibus ac insidiis Diaboli exponit. Nam *remissas excubias callidus insidiator irrumpit, & sicut ad succensam ollam musca non appropinquant, si verò tepida fuerit, insident in ea, & faciunt vermes, ita & Monachum succensum igne Divini Spiritûs Dæmones fugiunt,*

S. Bernard. serm. 5. de Ascens. Domini.

S. Ambros Tract. 11. in Psal. 118. Abbas Piemenius in vitis Patrū.

Apud Rosvveydum lib. 7. pag. 682.

giunt, tepidum verò illudunt, & insequuntur. 2. Quia omnis generis vitia procreat; siquidem *omnium vitiorum, quasi magistra quædam, atque origo est otiositas.*

S. Chrysost. homil. 36. in Matth.

3. Quia vires corporis & animæ enervat; *tepiditas quippe vermi similis est venenato, animam ipsam perimens: est tinea, non solùm ad ossa, sed etiam ad corda pertingens, & perpetuus quidam carnifex, non corpus dilanians, sed vires animæ confundens.*

S. Chrysost. Epist. 7. ad Olymp.

4. Quia tepidis suas Deus speciales gratias subtrahere assolet, dicente Sancto Gregorio: *Dominus vigilat justis, dormit tepidis.* 5. Quia tepidi maledictionem Dei incurrunt. Etenim *maledictus, qui facit opus Domini negligenter.*

Jerem. 48. v. 10.

6. Quia tepidi difficillimè corriguntur, (asserente Joanne Cassiano) *qui semel tepido exorsus initio Monachi cœpit abuti vocabulo, nec tamen humilitate, ac fervore, quo debuit iter hujus professionis arripuit, infectus semel hac miserabili lue, & in ea quodammodo resolutus, nec ex se ulteriùs perfecta sapere, nec alterius poterit monitis erudiri. Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite; & gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret.*

Collat. 4. c. 19.

Hebr. 12. v. 12.

Punctum II.

Proverb. 6. v. 9.

Usque quo piger dormies? quando consurges

à somno

â somno tuo? quando te tandem expergisci faciet terribilis illa, toties auribus tuis ingeminata sententia: *quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* O fœditatem tepiditatis! quæ (si ita loqui liceat) & ipsum etiam Deum ad vomitum provocat. Duo saltem in hoc textu attonitâ mente præcipuè pensiculato. 1. Araneæ nempe, & illa evomuntur, quæ stomachum movere, atque ad nauseam commovere nos solent. Aranea est tepiditas, in singulis latebris cordis longas telas inutilium ac malarum cogitationum pertexens, tota intenta capiendis muscis, seu tractandis nugis & fabulis. Aranea est veneno plenissima, omnia opera ac exercitia etiam sanctissima inficiens, gratiam Dei in vanum recipiens, & ob id viscera Divinæ Clementiæ ad justum fastidium provocans. 2. Quæ evomimus, plerumque in loca immunda projicimus: Sic & tepidus dum â Deo relinquitur, plerumque in spurca peccata prolabitur. *Et non est aliqua cogitatio tam turpis, tam abominabilis, mala & execranda, quam non inveniat detestanda otiositas.* Quapropter ne nostrâ tepiditate ori Divino pariamus fastidium, *excitandus est spiritualibus stimulis semper animus, & majori quotidie ardore renovandus.*

Gerson part. 3. Tract. de exercit. discretis.

S. Hieron. Epist. ad Demetr.

Punctum III.

Joann. 5. v. 8. *Surge, tolle grabatum tuum.* Ecce Dominus *exultavit ut gigas ad currendam* Pſ. 18. v. 6. *viam*, & ſervus intepeſcet? Dominus in oratione ſudavit ſanguinem, & ſervus in- S. P. Bened. in Prolog. S. Regul. torpeſcet? *Currendum, & agendum eſt modo, quod in perpetuum nobis expediat.* Currendum eſt in odorem noſtrorum majorem. Lib. de imit. Chr. lib. 1. c. 18. *O quantus fervor omnium Religioſorum in principio ſuæ Sanctæ inſtitutionis fuit, ah tepor & negligentia ſtatûs noſtri, quòd tam citò declinamur à priſtino fervore.* Vel: ſi neque exemplo Chriſti neque exemplo Sanctorum accenderis, ad confuſionem ti- Proverb. 6. v. 6. 7. & 8. bi dicitur: *Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat.* Et homo ratione præditus, Chriſtianus lumine fidei inſtructus, Religioſus ad altiora vocatus, poſt tot inſtructiones, poſt tot inſpira- Ecclef. 9. v. 10. tiones adhuc negligenter ſuam operabitur ſalutem? *quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare*, conſtan- Joann. 5. v. 10. ter obſtruens aures tuas cuicunque ſerpenti inſibilanti: *Sabbathum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Eſt hodie feſtum Ariſtotelis, Bacchanalia ſunt: tempori indulgendum, arcus remittendus, vacandum;

dum; feriandum, dormiendum etiam quandoque bono Homero. Sed scito, *quia Dominus est Filius hominis, etiam Sabbathi.*, cui semper toto corde, totisque viribus serviendum, nunquam vacandum est â bonis operibus, neque feriandum in præsenti tempore aspiranti ad ferias sempiternas. Luc. 6. v. 5.

BONA PROPOSITA
Ex
præsenti Meditatione.

1. MEntem meam semper bonis cogitationibus & piis affectibus occupabo.

2. Curabo, ut externè quoque, quantùm obedientia permittit, & ad internam devotionem conducit, semper sim Religiosè occupatus, indefessus imitator futurus beati Alcuini nostri, *qui fugiebat modis omnibus otiositatem; nam aut legebat, aut scribebat, aut discipulos erudiebat, aut orationi vacabat, & psalmorum decantationi, inevitabilibus tantummodo corporis indulgens necessitatibus.* Anonymus in vita B. Alcuini.

3. Inutiles confabulationes, lusus, & omnes occupationes, quæ sunt absque fructu, non minùs ac ipsum otium fugiam.

Quæ enim notabilis differentia inter otiari, & otiosè agere?

4. Singulis meis operibus puram, ac sancto fervore vestitam intentionem præmittere satagam.

5. In cunctis meis exercitiis vivà fide apprehendam indubitatam præsentiam Dei, meum fervorem attendentis.

6. Continuò meipsum excitare studebo, dicendo verbi gratia intra me: Eja age, forsitan hoc ipsum est illud, â quo æterna tua felicitas vel maximè dependet.

7. Si quando fortassis torporem, tædium, aut nauseam in spiritualibus admisero, mihimetipsi discretam pœnitentiam injungam.

CONSIDERATIO VESPERTINA.

De Observatione, & æstimatione sacræ Regulæ.

S. Regul. c. 58.

ECce lex, *sub quâ militare vis.* Quanti æstimas? Ecce tanti Sanctus Benedictus suam Regulam æstimari conflagitat, ut suadeat novitio potiùs discessum, quàm suæ legis neglectum. *Si potes observare, ingedere, si verò non potes, liber discede.* Ecce militiæ comparat sacrum ordinem Pater-

: Ingredere

ter tuus Benedictus! ergo cavendum, ne bis peccetur in id ipsum. Ergo attendendum, ut minima quoque usque ad ultimum apicem observentur; sic enim exigit disciplina militaris in omni castrorum acie, benè ordinata, nec auditur miles somnians, se non teneri lege militari, forsan tu somnias, te legem tui Patris Benedicti impunè transgredi posse? Expergiscere tandem, & para te ad reddendam rationem de regula tui Ordinis. Crede Divo Bernardo asseveranti: *Omnia proinde Sancti Benedicti instituta, exceptis sanè nonnullis, & de spiritualibus, verbi causâ charitate, humilitate, mansuetudine, quæ non tam ipsum constat instituisse, quàm Deum, & ob hoc penitùs non esse mutanda. De cætero reliqua universa non profitentibus quidem monita tantùm, seu consilia censenda sunt, nec gravant non observata, cum tamen profitentibus in præcepta, prævaricantibus in crimina fiant.* Quapropter, si vis, ut fundator ordinis tui te audiat orantem, ausculta quoque eundem in sua Regula jubentem.

TERTIA DIE OBSERVATIONES.

I. TErtia dies sacrorum exercitiorum, quæ supponitur feria quarta, dedicabitur specialiter Sanctis Angelis tutelaribus.

2. Singula exercitia hujus diei offerentur ſpecialiter tum pro impetrando generoſo animo ad quælibet mortificationis opera, tum pro converſione peccatorum.

3. Teſſera ſpecialis pro ſingulis exercitiis hac die iſta erit: Deus in iſto meo exercitio vult glorificari: meum eſt, iſtud, & omnia mea exercitia tam perfectè peragere, *ut in omnibus glorificetur Deus.*

4. Aſpirationes frequentiores erunt Angele Dei, qui cuſtos es mei, arma pro me ſuſcipe, quæſo, Princeps fortis, ut fugatis hoſtibus, vitem vias mortis.

5. Mane antè meditationem pro lectione ſpirituali de imitatione Chriſti ex lib. 3. c. 53. *Quod gratia Dei non miſcetur terrena ſapientibus*, & ex eodem lib. c. 31. *De neglectu omnis creaturæ, ut creator inveniri poſſit.* Item ex eodem lib. c. 34. *Quòd amanti ſapit Deus ſuper omnia & in omnibus.*

6. Meditatio prima de mortificando homine inferiori. Secunda de mortificando ac renovando homine ſuperiori. Tertia de mortificatione amoris proprii.

7. Lectio matutina de continentia linguæ. Pomeridiana: de circumciſione aurium.

8. Examen particulare de continentia linguæ.

9. Le-

9. Lectio vespertina ex sacra Regula caput sextum de taciturnitate, & caput 42. quòd post completorium nemo loquatur. Item caput 58. de disciplina suscipiendorum fratrum.

10. Consideratio vespertina de dissolutis ac tepidis fratribus cautè declinandis.

MEDITATIO I.

De Mortificatione & renovatione hominis inferioris, seu quoad partem sensibilem & corpus.

Punctum 1. De continentia sensuum exteriorum. 2. De continentia appetitùs concupiscibilis, & irascibilis. 3. De instrumentis, & modo procedendi in utraque mortificatione.

Præludium:

ECce constitutus es in statu religioso, præsertim in præsentibus exercitiis, *ut* Jer.1.v.10.
evellas, destruas, & disperdas, & dissipes.
Ut *destruatur corpus peccati, ut ultrà non* Rom.6.v.6.
serviamus peccato.

Punctum I.

Mortificationem ac custodiam sensuum Deus vult, ratio dictat, modestia suadet, uti-

utilitas urget, necessitas exigit. Cur ergo Deo volenti non obedis? rationi dictanti non consentis? Modestiæ leges non attendis? utilitatem non perpendis; necessitati non attendis? Divinum oraculum clamat:
Eccli. 28. v. 28. *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras*
Colos. 3. v. 5 *auribus tuis.* Doctor gentium prædicat: *Mortificatè ergo membra vestra, quæ sunt super terram.* Ipse Magister veritatis oc-
Matth. 18. v. 9. centat: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum tibi est, unum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Quousque obdurabis aures tuas ad vocem incantantium tam sapienter? siccine? ergone infruniti tui sensus adeò te omnis sensûs fecerunt expertem, ut ad mortificationem illorum nec tantis factis promissionibus traharis? nec tantis â Deo acceptis beneficiis accendaris? nec tot exemplis movearis? nec tot periculis â libertate sensuum deterrearis? tune sanctior Davide? qui adulterio & homicidio se polluit, quia oculos non cohibuit. Tune innocentior Adamo in statu innocentiæ? qui ideo corruit, quia vocem uxoris audivit? quid prodest tibi tua curiositas? quid sensuum irrefrænata cupiditas? quid profuit Evæ, gustâsse fructum de ligno vetito? quid Di-
Genes. 34.

næ

næ vidiſſe filias Sichimorum? ſanè clauſis oſtiis cuſtodire theſaurum animæ ſumma prudentia: portas hoſtibus ultro aperire ſumma ſtultitia. Licèt enim Diabolus domum tuam invenerit ſcopis mundatam, ſi tamen non reperit clauſam, *vadit, & aſſumit ſeptem alios Spiritus ſecum, nequitiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.* Ergo cave tibi, & mortifica ſenſus. Luc. 11. v. 26.

Punctum II.

Tu cujus es? an Chriſti? an Diaboli? Ex hoc cognoſces: *In noviſſimo tempore venient illuſores ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes.* Certè Chriſti non es, ſi ex numero horum es; *qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Refrænant ſuos appetitus, mortificant tam appetitum iraſcibilem, quam concupiſcibilem, reprimunt ſuas paſſiones, ſubjiciunt carnem ſpiritui; nunquam non memores Divini oraculi: *Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini, ſi autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Tu quis es? an verus Monachus? an è numero Sarabaitarum, *quibus pro lege eſt deſideriorum voluptas?* Profectò neque initium veri Monachi tenes, niſi toto pecto-

S. Judas in Epiſt. can. v. 18. & 19.

ad Galat. 5. v. 24.

Roman. 8. v. 13.

S. Reg. c. 1.

Gerardus Belga in festo circumcis. Climacus in Scala Paradisi grad 1. cap. 1. pectore ad mortificationem incumbas: quoniam *sicut in circumsione initium anni, sic in mortificatione initium Monachismi, initium profectûs Christiani. Monachus est castificatum corpus, expiatum os animusque semper Divino lumine irradiatus.* Rom. 6. v. 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Rom. 13. v. 14. *Et carnis curam ne feceritis in desideriis.* 1. Petr. 2. v. 11. *Charissimi, obsecro vos tanquam advenas, & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* de Imit. Christi libr. 1. cap. 6. *Quippe resistendo passionibus invenitur pax vera cordis, non autem eis serviendo.*

Punctum III.

Rom. 7. v. 24. & 25. Pressus forsan jugo rebellium passionum, cum Divo Paulo suspiras: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Dummodo tuis non desis partibus, *facienti enim, quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Dummodo 1. abnegans temetipsum, nihil tuis sensibus, nihil tuis appetitibus indulges, nisi, quod in nomine Christi efflagitant; in nomine Christi verò non petitur, quidquid contra rationem salutis, majorisque profectûs concupitur. Dummodo 2. sensus, appetitusque tuos velut inimicos assiduo odio

odio persequaris, ipso opere illud coronati Prophetæ adimplens : *Nonné, qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Psal. 138. v. 21. & 22. Inimica est Deo concupiscentia carnis, & quomodo tu illam diligere poteris? amabo, quid amore dignum in concupiscentia oculorum? in concupiscentia carnis? in concupiscentia sensuum? in concupiscentia appetituum? *usquequo parvuli diligitis infantiam? & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, quærent?* Proverb. 1. v. 22. 3. Ad promerendam liberatricem gratiam, & excutiendum passionum jugum, requiritur ex tua parte violentia; nam *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. v. 12. Furioso non tantùm negandus, sed & vi è manu eripiendus est gladius. Pia Mater, quæ suo infantulo non solùm siculam negat, sed & vi aufert, noverca autem, si eam eidem indulget. Quare ne crudelis fias in animam tuam, esto violentus in tuos appetitus, & concupiscentias carnis. 4. Ita studendum est mortificationi, ut tamen in propriis laboribus, aut conatibus non ponamus fiduciam, sed in Deo adjutore forti tota sit spes ac fiducia nostra. *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.* Psal. 59. v. 14.

BONA

BONA PROPOSITA
Ex
Præſenti Meditatione.

1. QUolibet manè, poſt elevatam mentem in Deum, puramque præmiſſam intentionem ſit hæc prima cogitatio, quod velim per diem toto virium adniſu carnem ſpiritui ſubjicere. Unde, ut ſtatim manè contra carnem primâ victoriâ potiar,

2. Audito excitante ſigno omnem rumpens moram, vel ad mortificandum ſomnolentum hominem, citiùs ſurgam, & quidem tanto generoſiùs, quantò ſomnus adhuc ſaperet, vel lectus placeret ampliùs.

3. In hoc curioſus ero aſſiduè cuſtos, ne ad portas ſenſuum meorum cuiquam objecto pateat acceſſus, niſi quod vel neceſſitas vel ſpiritualis utilitas popoſcerit.

4. In menſa ſemper ſit mea potiſſima cura, ut refecto pro neceſſitate ventre, appetitus continuò eſuriat.

5. Primos paſſionum motus, quàm primùm advertero, ſine mora reprimam, & quò caput erexerint inſolentiùs, eò retundam fortiùs, tanquam cui vim vi repellere, Sanctum & fixum.

6. Omnium paſſionum irritamenta aſſiduâ vigilantiâ, & præparatione præveniam, nemo

nemo enim in hac pugna eſt tutus â telis, niſi, qui providè pugnat, providens occaſiones, & futura pericula, ne ſecus circumveniatur ab hoſte.

7. Quotidie inordinatis paſſionibus meis tot & tot actus opponam contrarios, & verberibus denique cæſi, virtuti contrariæ palmam cedant.

8. Hunc in finem, ad obtinendum ſcilicet contra meas inordinatas paſſiones plenum Dominium, mea religioſa exercitia, ferventiùs peragenda offeram altiſſimo, ſperans vires â Divina gratia, quibus caret natura.

LECTIO SPIRITUALIS
Tempore matutino.
ARGUMENTUM

Meditetur os tuum judicium, ut ſcias, quæ venturo Judici ad interrogata reſpondeas.

PLacet quidem doctrina Caroli Stengelii ex noſtro Cardinale Turrecremata cenſentis, oſtium oris ita obſerandum, ut nunquam, niſi admotis priùs tribus clavibus aperiatur, quarum prima reponenda eſt in arca cordis, quia omne verbum oris præcedere debet deliberatio mentis, niſi incur-

In Oeconomia Sacra libr. 4. cap. 3.

rere velis illud, quod minitatur Scriptura,
Proverb. 13. v. 3. dum ait: *qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Secunda clavis reservetur in manu superioris; hoc est, Religiosus præcipuè nunquam loquatur, nisi ex voluntate, aut cum rationabili venia sui Præpositi. Tertia denique clavis in manu Dei ponatur; id est, ut cunctis nostris sermonibus tum puram intentionem; tum devotam in corde orationem præmittamus, quemadmodum condocemur â coronato Propheta, sic ad Deum
Psal. 50. v. 17. suspirante: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Verùm enim verò si mihi infimo discipulo, cum venia tantorum Magistrorum, meam quoque mentem edicere liceat, in ea persuasione persisto, præter ostium tribus seris munitum, præter præfatas tres claves ad coërcendam linguam, illud indomitum membrum insuper requiri pervigilem custodiam; utrumque enim & custodiam, & ostium tam David regius vates, quâm sapiens Ecclesiasticus exigit: Prior quidem
Psal. 140. v. 3. & 4. ad Deum sic orans: *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Non declinet cor meum in verba malitiæ.* Posterior porrò ita peroptans:
Eccles. 22. v. 23. *quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum? ut non cadam ab*

ipsis

ipsis, & lingua mea perdat me. Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest. Et timendum prorsus, ne & ostium tribus seris occlusum perfringat, aut prædictas claves in suis locis reconditas vi vel fraude surripiat, nisi vigilanti custodia cohibeatur. Quæ autem sit illa custodia, ostio oris admovenda pleniùs hodie perdiscemus ex præsenti discursu. Cui initium dabit epistola Sancti Hieronymi, ad Eustochium Virginem ita scribentis: *Referam tibi meæ historiam infelicitatis: cùm ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis, &c. (quod his difficilius) consuetudine lautioris cibi propter cœlorum me regna castrâssem, & Hierosolymam militaturus pergerem, bibliothecâ, quam mihi Romæ summo studio ac labore confeceram, carere non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium, jejunabam. Post noctium crebas vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Siquando in memet reversus Prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus. Et quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed Solis. Dum ita me antiquus serpens illuderet, in media ferè quadragesima medullis*

Jacob. 3. v. 7. & 8.

Citatur à Petro Ribadineira 30. Sept. in festo S. Hieronymi.

infusa febris corpus invasit exhaustum, & sine ulla requie (quod dictu quoque incredibile sit) sic infelicia membra depasta est, ut ossibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, & vitalis animæ calor, toto jam frigescente corpore, in solo tantùm tepente pectusculo palpitabat, cùm subitò raptus in spiritu ad tribunal Judicis pertrahor, ubi tantum luminis, & tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut projectus in terram, sursum aspicere non auderem.] Interrogatus de conditione, Christianum me esse, respondi, & ille, qui præsidebat, mentiris, ait: Ciceronianus es, non Christianus, ubi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Ilicò obmutui, & inter verbera (nam cædi me jusserat) conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum versiculum reputans: In inferno autem quis confitebitur tibi; clamare autem cœpi, & ejulans dicere: miserere mei Domine, miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua provoluti, qui astiterant, precabantur, ut veniam tribueret adolescentiæ, & errori locum pœnitentiæ commodaret, exacturus dein cruciatum, si gentilium litterarum libros aliquando legissem. Ego, qui in tanto constrictus articulo, vellem etiam majora promittere, dejerare cœpi, & nomen ejus obtestans dicere: Domine si unquam habuero

codices

codices sæculares, si legero, fidem negavi. In hæc Sacramenti verba dimissus, revertor ad superos, & mirantibus cunctis, oculos aperio, tanto lacrymarum imbre perfusos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur. Testis est tribunal illud, ante quod jacui, testis judicium triste, quod timui. Hucusque Sanctus Hieronymus, qui insuper addit, se plagas sensisse post somnum, & vibices apparuisse in scapulis. Heu! væ mihi & tibi in paucis charissime! nam si tantas dedit pœnas sæcularis lectio, profana lectio, hauriendæ eloquentiæ cupida, quomodo aliquando immortificata nostra vapulabit lingua, in omnem garrulitatem forsan subindè absque ullo honesto rationum momento effusa? ô nos infelices! qui cum Sancto Hieronymo æque domos, parentes, cognatos, liberioremque vivendi consuetudinem propter regnum cœlorum dimisimus, & interim in loco jam tuto, in claustro forsan propriæ linguæ succumbimus. O miseram conditionem infaustorum illorum, qui, voluptatibus, ac Sæculi illecebris generose contemptis, jam in cœnobiis sola suâ immortificatâ linguâ faciunt se filios gehennæ! & utinam tales non forent plures! utinam nos cum Sancto Hieronymo adhuc saltem

par maneret judicium! væ noſtræ lubricæ linguæ! nam quid ego? quid tu reſpondebis poſt mortem ductus ad tremendum tribunal, & interrogatus à Judice: Tu quis es? Si dixeris: Religioſus ſum, metuendum planè, ne fortè vox, ac reſponſio vibretur è throno: mentiris: non verus Monachus, ſed vanus & mundanus graculus es. Nam *ſi quis putat, ſe Religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio.* Si Religioſus es? ubi eſt religioſum cautè cuſtoditum ſilentium? ubi in tempore debito religioſi diſcurſus? Si Monachus & operarius Benedictinus es? ubi ſunt Benedictina inſtrumenta? ubi illa? *os ſuum à malò, vel pravo eloquio cuſtodire: multum loqui non amare: verba vana & riſui apta non loqui.* Ubi illud? *Scurrilitates verò vel verba otioſa, & riſum moventia, æternâ clauſurâ in omnibus locis damnamus.* Ubi illud 2. *omni tempore ſilentio debent ſtudere Monachi, maximè tamen nocturnis horis.* Ubi illud? *linguam ad loquendum prohibeat Monachus, & taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur.* Ego planè neminem judico, nec ad judicium quemquam provoco, omnia tamen viſcera mea præ timore conturbata ſentio, ne forſitan mihi dicatur: *de ore tuo te judico, ſerve nequam*

Jacob. 1. v. 26.

S. Regula cap. 4.

S. Regul. cap. 6.

S. Regula cap. 42.

S. Regula cap. 7.

Lucæ 19. v. 22.

quam. Loquela tua manifestum te facit, quòd non sis Religiosus religans linguam tuam, neque Monachus sicut passer solitarius in tecto, sed adeò plenus mundo, ut os tuum ex abundantia cordis modò de bello, modo de foro, modò commercia, modò negotia, modò rumores, modo vanitates eructet, tanquam unus ex illis, de quibus os divinum jam dudum conquestum est: *vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. Conversi sunt in vaniloquium, & sermonibus odii circumdederunt me.* Heu quo horrore percutiar! visurus omnia & singula totius meæ vitæ verba stateræ appensa, trutinata, & justo pondere carentia? quid respondebo de religioso silentio, toties violato? tam parùm æstimato? tam exiguâ curâ custodito? Etenim si *perfectis discipulis, propter taciturnitatis gravitatem, rara loquendi concedatur licentia*, quomodo ego imperfectus meo multiloquio effugiam peccata? Nunquid cum imperfecto dispensatur in eo, quod perfectis vix conceditur? Viri perfecti cum Davide sibi metuunt ne delinquant in lingua sua, & ego non metuam? *Maximi Sanctorum humana consortia, ubi poterant, vitabant, & summa cum diligentia observabant sancta Silentia, tanquam sanctæ contemplationis causam.* Sic Sanctus Romualdus integro septennio strictissimum custo-

Psal. 11. v. 3.

1. Timoth. 1. v. 6.

Psal. 108. v. 3.

S. Regula cap. 6.

De imit. Christi libr. 1. cap. 20.

S. Hieronymus in Regul. cap. 22.

S. Petrus Damianus in vita ejus.

Palladius in hist. Lausiaca. cap. 50. Thomas Cantiprat, libr. 2. apum c. 13. Surius 13. May. Rosvveidus in vitis Patrum libr. 3.

custodiebat silentium: sic Abbas Theona triginta annorum spatio rigidissimum servabat silentium; sic beatus Rudolphus noster per continuos sedecim annos altum silentium tenuit. Sic Sanctus Joannes, silentiarius dictus per totos 47. annos ab omni verbo abstinuit. Sic Arsenius viam salutis edoceri, â Deo supplex efflagitans, sensit auribus suis de cœlo allapsam hanc vocem, hæc verba dicentem: *Arseni fuge, tace, & quiesce. Hæc sunt principia salutis.* Sic (teste Dionysio Carthusiano apud Alphonsum Rodericium) *omnes omnino Religiosorum fundatores, inter reliquas Religionis observantias sanciverunt illam de silentio, ceu principalem, idque tanto cum rigore, ut publicam per disciplinam, eum, qui silentium transgressus esset, decreverint nonnulli castigandum.*

Parte 2. Tract. 2. cap. 4.

Wilhelmus Malmesburiensis libr. 5. De Regibus Angl. Palladius in Lausiaca cap. 48.

Sic Sanctimoniales Fontis-Ebraldi perpetuo olim stringebantur silentio, nec cuiquam unquam vel verbum proferre erat licitum, præterquam in capitulo, sic sub Ammonio Abbate tria millia Monachorum tam arctum sine intermissione servabant silentium, ac si nemo inhabitâsset cœnobium. Hi omnes cum innumeris aliis aliquando coram justo Judice Christo sua ora laxabunt, ac linguas suas ostendent disertas contra modernos, garrulos, præsertim contra Religiosos novellos, & fratres juniores

niores. Concors quippe Sanctorum Patrum, Spiritualiumque Magistrorum sententia tenet, incontinentiam linguæ præ cæteris præcipuè in junioribus, & in Spirituali vita adhuc novellis esse magis reprehensibilem, magisque culpæ obnoxiam: & quidem multis de causis.

1. Quia *loqui, & docere Magistrum condecet, tacere, & audire discipulo convenit.* *Certe* (inquit noster Joannes Trithemius) *discipulum convenit audire, & tacere, solùm autem loqui Magistrum;* juxta illud Divinæ scripturæ: *Adolescens loquere in tua causa, vix cum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* Quæ doctrina adeò lumini rationis pervia, ut nec ipsos quoque Ethnicos latuerit. Hinc Socrates apud Senecam Cleonæ inculcare solebat: *dicere, & discere non sibi compatiuntur, quia discentem silere competit.* Hinc Hippocrates (teste Sancto Hieronymo) suos discipulos ad silentium servandum Sacramento adstrinxit: Hinc *Pythagoras* (testante mellito Bernardo) *legem dedit silentii discipulis suis, ut tacentes per quinquennium, loqui discerent: & tu non vis tacere, cui virtus silentii propria est? Quid opus est, ô adolescens, ut properes periculum suscipere loquendo, cùm tacendo possis esse tutior? Quàmplures vidi, loquendo incidisse*

S. nostra Regul. cap. 6.
Comment. in cap. 6. S. Regul.
Eccli. 32. v. 10.
Epist. 106.
Epist. ad Nepotianum.
Tract. de ord. vitæ cap. 4.

peccatum; vix quemquam tacendo. Quapropter cum, & ex Joanne Caſſiano *indicas*
Collat. 14. cap. 9. *ſummum ori tuo ſilentium. Hic enim eſt primus diſciplinæ actualis ingreſſus: omnis quippe labor hominis in ore ipſius, & ut omnium Seniorum inſtituta atque ſententias intento corde, & quaſi muto ore ſuſcipias, ac diligenter in pectore tuo condens, ad perficienda ea potiùs, quàm ad docenda feſtines.*

2. Quia novellus adhuc Religioſus per
Proverb. 18. v. 9. ſuam garrulitatem ſene citiùs fit *frater ſua opera diſſipantis*, frater inanibus diſcurſibus dilapidantis totam meritorum ſubſtantiam, quam in novitiatu multo ſudore congregavit, frater deſtruentis totum ſpirituale ædificium, quod in novitiatu ædificare cœpit, frater evellentis omnem virtutis florem, quem in novitiatu cum magna ſpe explicare inchoavit, frater extinguentis totum Spiritum, quem in ſuo religioſo tyrocinio attraxit, frater facilè iterum deflectentis ad aſſumendos in os ſuum ſæculares rumores, ad commemorandas mundiales vanitates, ad commeletandas fabulas ac inſanias falſas. Nam *ſicut*
Proverb. 25. v. 28. *urbs patens, & abſque murorum ambitu, ita*
S. Diadochus c. 70. *vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. Sicut janua balnei, ſi crebrò aperiatur, citò calorem ejus extrudit, ſic anima cùm multa loqui vult, quamvis valdè pulchra*

pulchra sint omnia, memoriam sui per vocale ostium distrahit, ac disturbat. *Sciunt* (inquit Sanctus Bernardus) *etiam homines Spirituales, qui hoc experti sunt, quantum auferat devotionis, quantum afferat dissolutionis intrinsecùs frequens linguæ resolutio. Nam sicut fornax, cujus os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem., sic nec cor devotionis in se poterit gratiam conservare, cujus os non fuerit januâ silentii reclusum.* O bone Deus! si hoc? si spirituales homines similia experiuntur? si vir quoque non cohibens spiritum in loquendo â Spiritu Sancto comparatur muro patenti? qualibus periculis exponent sese garruli juvenes, in quibus præteritorum memoria adhuc tenera, & Spiritus adhuc necdum adultus? Utique experientiâ compertum est, quòd citiùs lædatur tenera plantula, quâm arbor adulta, quòd recens cicatrix facilè rursus refricetur in vulnus, & quòd lolia recenter eradicata exiguis subinde rigata pluviis iterum suas mittant in terra radices; sic & novellus Religiosus unico subinde mundano sermone iterum ad vitam resuscitat præteritorum memoriam, mentem iterum depingit speciebus sæculi, iterum refricat antiqua vulnera, & veluti tenera adhuc religionis plantula, sibi nimiùm quantùm nocet; præsertim

De Pass. Dom. cap. 27.

tim cùm Juvenilis ætas ex se ad vanitates, ad curiositates, ad nugacitates, ad facetias, ad cachinnos, & otiosos sermones sit pronior, ac longè proclivior.

3. Quia novellis Religiosis ad movendos ac promovendos salutares discursus vix non ut plurimùm adhuc deest tum requisita dexteritas, tum perita eruditio, tum necessaria circumspectio, tum debita discretio. Priùs aquam salutaris doctrinæ haurire debemus, quàm eructare præsumimus, & *necessarium est perpetuum silentium, quousque illi & à vitio petulantiæ in dicendo sanentur, & in otio discere potuerint, quid, quomodo, & quando loqui oporteat.* Etenim *nemo securè loquitur, nisi qui libenter tacet.* Abbas Pambus quadraginta novem annos didicit, vix tamen satis (uti professus est) per assiduum silentium addidicit illum versiculum: *dixi: custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Et nos vix uno alterove anno religionis alumni jam somniamus, nostris linguis, & discursibus inesse, nescio qualem sapientiæ salem? nec attendimus miseri ad illam verissimam Doctrinam Joannis Climaci asseverantis: *loquacitas ignorantiæ est certum argumentum, detractionis janua, scurrilitatis dux, mendacii opifex, compunctionis desolatio, acediæ author, sive evocatrix, somni præcursor, intenta*

S. Basilius Regul. breviar. 208. De imit. Christi libr. 1. cap. 20.

Historia Eccles. part. 2. libr. 6. cap. 1.

In Scala Parad. grad. 11.

tentæ fixæque cogitationis dissipatio, custodiæ exterminatio. Sanè ad loquelam sine querela requiritur magna cautela, ingensque discretio, quæ vix in viris perfectis reperitur, ne dicam in juvenibus, & novellis Religiosis. Nam *si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Jacob. 3. v. 2.

4. Quia novelli Religiosi, nisi in sua adolescentia, & in suo adhuc quasi religioso tyrocinio linguam perfectè refrænare condiscant, nunquam perdiscent, sed eheu longè pessimam, multisque peccatorum periculis obnoxiam dicacitatis consuetudinem contrahent, cui etiam, cùm senuerint adhærebunt, & haud dubiè cum magno æternæ damnationis discrimine; cum ingenti disciplinæ regularis nocumento, cum manifesto juniorum fratrum, & sæpe etiam audientium sæcularium scandalo, cum innumeris Dei offensis, cum irreparabili meritorum jactura, Angelorum tristitiâ, cacodæmonum cachinnis & risu. In magno profectò æternæ damnationis periculo versantur tales. 1. Quia nec verè ad perfectionem tendunt, nec suæ obligationi satisfaciunt. *Si tibi silentium curæ non sit* (pono dignum notatu discursum Alphonsi Rodericii) *nunquam ad perfectionem pervenies, nunquam spiritualis, nunquam orationi aptus eris.* Tract. 2. cap. 6. *Quòd, ut ita se habere*

credas

credas, dic mihi, an loquacem & garrulum unquam videris contemplativum, & spiritualem? nec quidem profecisse eum videris: 2. Quia linguam non refrænare, est idem ac peccata venialia non curare, & ex consequenti periculis majorum criminum se exponere. Immò, in multiloquio ne quidem peccata mortalia diu abesse poterunt; siquidem (teste Alberto Magno) *ubi non est taciturnitas, ibi homo de facili ab adversario superatur:* Quoniam *sicut urbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Quia enim*(uti Sanctus Gregorius explanat) *murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis, & cum se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit. Quam tantò ille sine labore superat, quantò & ipsa, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.* 3. Quia garruli difficillimè emendari queunt, utpote quorum os plenum excusationibus, plenum contradictionibus, plenum contentionibus, plenum murmurationibus, promptum pro uno verbo correctionis reddere mille oblocutionis. Nam *vir linguosus non dirigetur in terra.* Unde haud immerito Sophar Naamathites Jobo hanc interrogationem posuit: *Vir verbosus justificabitur?* Nec fallacem quidem Sophar sententiam protulit, quòd vir verbosus justifica-

Libr. de Virtut. cap. 31.

Part. 3. Pastoralis admonit. 15.

Psal. 139. v. 12.

Jobi 11. v. 2.

ri nequaquam possit. Magnum periculum ex garrulis Monachis regulari disciplinæ afferri, probat Joannes Baptista Saint-Jure ex Gersone Parisiensi Doctore tenente, florente silentio, juxta ipsam experientiam testem, florere identidem disciplinam in cœnobiis, admissâ verò intra claustra Religosorum garrulitate, disciplinam Monasticam necessariò pessumdari, devotionem extingui, laxitates introduci; nam, cùm ipsi loquaculi quiescere non valeant, neque alios quiescere sinunt, sed sunt toti congregationi oneri, toti congregationi confusioni, hos quidem, in suis exercitiis perturbando, alios ad pares garrulitates provocando, istos suo stultiloquio pervertendo, illos â via virtutis avertendo, silentii amantiores despiciendo, & vocitando melancholicos, continendæ linguæ studiosiores irridendo, & proclamando morosos, cum istis perniciosas familiaritates contrahendo, cum illis contendendo. *Hinc seminantur stimuli, oriuntur rixa, accenduntur faces odiorum, pax extinguitur cordium,* oriuntur scandala, & quasi innumera pariuntur peccata, *quis sanè numeret, quantas modicum lingua membrum contrahat sordes; quàm multiplex in labiis incircumcisis immunditia coaguletur? quanta sit pernicies oris incircumspecti?* Est enim lingua mendax; sed væ illi; scriptum quippe

S. Greg. libr. 10. moral. cap. 2. Part. 2. libr. 3. cap. 10. §. 9.

S. Greg. Part. 3. Pastor. admon. 15.

S. Bernardus Serm. 17. de triplici custod.

Psal. 5. v. 7. quippe scimus: *perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Est lingua vaniloqua, sed væ illi in tremendo judicio; *qui enim os suum Domino consecratum vaniloquiis, aut scurrilibus verbis polluit, quid aliud, quâm sacrilegium facit, tollens membra sua Deo dicata, & instrumenta facit Diabolica? Monachus autem verba salutis & ædificationis debet proferre, non joci scurrilitatem, quia sine dubio valde perniciòsum est in Religioso, levitati operam dare.* Est lingua otiòsa, sed væ illi in tremendo judicio! Nam *adeò magnum est otiosi verbi periculum, ut licèt genere ipso de numero bonorum sit, tamen nisi ad ædificationem fidei dirigatur, â periculo liber non est, qui illud locutus est, quippe qui ex eo, quod ad ædificationem illud non accomodaverit, contristâsse noscitur Spiritum Sanctum. Hoc enim apertè docuit Apostolus, cùm dixit. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed siquis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus,* & subjecit illud: *nolite contristari Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis.* Nec mirum, per otiòsos discursus Dæmones quidem lætitiâ, sanctos verè Angelos, ipsumque Spiritum Sanctum tristitiâ affici; *nam, dum otiosa verba cavere negligimus, ad noxia perveniremus, ut prius loqui aliena libeat, & postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur,*

Joannes Trithemius comment. in cap. 6. S. Regul.

S. Basilius in Regulis brevioribus

S. Gregorius libr. 7. Moral. cap. 24.

loquitur, lingua mordeat. Porrò procul dubio *gravissimum malum est, denigrare sive doctrinam, sive virtutem, sive Spiritum alterius, sive alia coram altero, ad quem non spectat emendatio morum alienorum (uti spectat ad superiores) & non est ullum vitium ex iis, in quæ frequentiùs etiam Religiosi labuntur.* Uti testatur Nicolaus Lancicius opusc. 6. cap. 8. Qui insuper in eodem cap, subjungit, Claudium Aquavivam dicere non dubitâsse, *consultos esse à se doctissimos in Societate Theologos, & respondisse, nullâ aliâ in re faciliùs in Societate posse Deum peccatis mortalibus offendi, quàm talium materiâ sermonum.* Præsertim verò in hac materia facilè gravior noxa contrahitur, dum aliorum ordinum mores ex quàdam latente invidia, & nescio, quâ inconditâ antipathia, carpuntur, taxantur, ac traducuntur, quemadmodum subindè sibi pronum habent novelli & juniores, qui fortè facundos sese Rhetores autumant, cùm alios Religiosos ordines vituperiis sugillando, per hoc proprium extollere præconiis non nesciant, pro propria domo Cicerones, & in alienas ædes Catones. Verùm nunquam magis propria laus sordescit, quàm ubi aliorum vituperiò splendescit; quis enim Sanctorum fundatorum cupiet aliorum vilipensione extolli? quid

Jacob. 3. v. 6. multis? lingua eſt *univerſitas iniquitatis*, in qua omnia vitia frequentando, ſuos actus frequentant, tot hujus univerſitatis Hieremias Drexellius enumerat claſſes, quot alphabetum litteras. Sed quis numerabit barbariſmos, quis ſolæciſmos, qui in his claſſibus, in hac univerſitate committuntur? Et tamen de his omnibus reddenda erit ratio in die judicii, ex his omnibus etiam atque etiam collocabimur, ſive deîn ſurſum ſive deorſum, ſive ad dexteram, ſive ad ſiniſtram. *Ex verbis enim tuis juſtificaberis; & ex verbis tuis condemnaberis.* (Matth. 12. v. 37.) Nec erit ullus error linguæ tam exiguus, qui ſubterfugiat diſcuſſionem Judicis. *Lingua ignis eſt.* (Jacob. 3. v. 6.) Et hinc inſtar ignis cuſtodienda. Ignis negligenter habitus unâ quandoque horâ devorat, quæ multis annis ædificatæ ſunt ædes, & lingua negligenter coërcita nonnunquam medio quandrante citiùs ad nihilum redigit quælibet merita, per multos etiam annos magno labore comparata. Obtemperemus itaque aureæ Regulæ & *faciamus, quod ait Propheta: dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea, poſui ori meo cuſtodiam*, (S. Regula cap. 6.) aſſiduam nempe memoriam extremi judicii, aſſumpto præterea tanquam in memoriæ teſſeram illo cœleſti monito. *Aurum tuum, & argentum tuum confla, & verbis tuis facito ſtateram,* (Eccli. 28. v. 29.)

teram, & frænos ori tuo rectos, & attende, ne fortè labaris in lingua. Et quid eſt aurum & argentum conflare, niſi omnia impendere? niſi ſingula verba, antequam proferantur, præmeditatè examinare, ſicut igne examinatur argentum & aurum? ut nihil loquamur, niſi *eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* Psal. 11. v. 7. Ut ad imitationem apoſtolorum nihil loquamur, niſi magnalia Dei, ut *omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem, ut det gratiam audientibus.* Ephes. 4. v. 29. Quid eſt verbis ſuis ſtateram facere, niſi ſingula verba ſua trutinare memoriâ futuri judicii? ne ſcilicet vel ullum ex eis inveniatur minus habens. Quid eſt, ori ſuo rectos frænos facere? niſi compreſſis labiis, & admotis dentibus garrulam cohibere linguam ab omni verbo, *quod aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ utilitatis caret.* S. Greg. libr. 7. moral. cap. 25. *Diù ante conſidera quod loquendum eſt; & adhuc tacens provide, ne quid dixiſſe pœniteat.* S. Hieronymus Epiſt. ad Celantiam.

Verba tua ponderet cogitatio, & linguæ officium animi libra diſpenſet.

MEDITATIO II.

De Mortificando ac renovando homine superiore quoad suas potentias.

Punctum 1. De mortificatione intellectûs & memoriæ. 2. De mortificatione Judicii. 3. De renovatione voluntatis.

Præludium.

RECollige omnes animæ vires ad audiendam vocem regii citharædi citharizantis: *meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* (Psal. 76. v. 7.) Salta per imitationem ad cantum hujus citharæ, consimiliter tuum spiritum, nempe potentias animæ scopis mortificationis emundans.

Punctum I.

Fili mi, attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut custodias cogitationes. (Proverb. 5. v. 2.) 1. Propter dignitatem & excellentiam; nam quò quid est nobilius, eò studiosiùs custoditur, quò speciosius, eò magis attenditur, ne maculetur; quò quid est Sanctius, eò pejùs profanatur. Sed intellectu quid excellentius in homine? Intellectus est aliquod speculum Divinitatis

tis, eſt ille mentis oculus, quo videmus Deum immenſum illud lumen inacceſſibile modo in ænigmate, & quo ſperamus idipſum intueri in lumine. Nunquid ergo ſpeculum Divinitatis commaculabis ſtercore fæditatis? Erubeſce infelix! ſtercore ſpecioſum mentis ſpeculum fædas, Spirituale Sanctuarium Dei profanas, quoties terrena ad memoriam revocas, quoties religioſo homine indigna cogitas. Si hoc non credis, certè illum erroris arguis, qui dixit: *omnia detrimentum feci, & arbitror ut* Philipp. 3.
ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. In ocu- v. 8.
lo corporis nec unicum pilum, nec minimam muſcam, nec exiguum pulverem ſuſtines, & oculos mentis ſponte obfuſcas pulvere terrenarum cogitationum, imples pilis vanitatum, reples veſpis inutilium ratiocinationum, ô proterviam, ô veſaniam! Saltem hodie tibi tandem vitioſam pelliculam ab oculo mentis detrahe luſcioſe, revoca ad memoriam Deificum illud lumen Divinæ ſcripturæ clamitantis. *Auferte ma-* Iſaiæ 1.
lum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. v. 16.
Convertimini de viis veſtris malis, & cogi- Jerem. 4.
tationibus veſtris peſſimis, ne forte egredia- v. 4.
tur ut ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit, qui extinguat propter malitiam cogitationum veſtrarum. Væ vobis, qui co- Micheæ 12.
gitatis inutile! Jam hora eſt timendi, ne v. 1.

 forſan

forsan adhuc hac die, adhuc hac nocte, adhuc isthâc horâ citandus sis ad Divinum tribunal tremendi Judicis tibi coram in
2. Reg. 14. v. 13. furore exprobraturi: *Quare cogitâsti hujuscemodi rem?* quid respondebis? homines
Psal. 93. v. 11. cogitationes tuæ latent, ast *Dominus scit cogitationes hominum.* Quare Monachus
S. Regul. cap. 7. omni tempore *solicitus sit circa cogitationes*
S. Regul. in Prologo. *suas perversas*, etiam parvulos cogitatus tenens, & allidens ad Christum, semperque vivâ memoriâ volvens illud Divinum
Eccli. 3. 1. 22. oraculum: *quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.*

Punctum II.

Væ causæ viduæ in corrupto judicio! & væ animæ in homine, in quo judicium deflectit â recto! Potest porrò Judicium hominis tripliciter in tribunali, & cathedra pestilentiæ sedere. 1. Iniquè judicando, vel malè suspicando ex levibus duntaxat indiciis de alterius vita ac moribus. Cui præsumptuoso judicio certò certiùs impendet horribile væ in tremendo judicio, nisi tempestivè se corrigat, territum illa Apo-
Rom. 2. v. 1. stolicâ tubâ; *Inexcusabilis es ô homo omnis qui judicas; in quo enim judicas alterum,*
Actor. 7. v. 35. *teipsum condemnas, quis te constituit princi-*
Jacob. 4. v. 12. *pem & judicem?* scito, quia *unus est legislator & judex, qui potest perdere, & liberare.* Visne huic, ô serve judicande, auferre potestatem

ſtatem faciendi judicium? Pater cœleſtis
omne judicium dedit filio, non tibi. 2. No- Joann. 5.
ſtrum judicium naufragio exponit navicu- v. 22.
lam animæ, diſcutiendo, vel minùs benè
ſentiendo de judiciis Dei & ordinatione Di-
vina! ô ſuperbiam! ô audaciam! velle
judicare, aut diſcutere *judicia Domini vera,* Pſal. 18.
juſtificata in ſemetipſa. Quæſo! *nolite ex-* v. 10. Pſal. 74.
tollere in altum cornu veſtrum, nolite loqui v. 6.
adverſus Deum iniquitatem. Sed potiùs ad
nihilùm redacto omni proprio ſenſu, dici-
te in ſimplicitate cordis: Domine Deus!
quis ſtabit contra judicium tuum? aut quis Sap. 12.
in conſpectu veniet vindex iniquorum homi- v. 12.
num? aut quis tibi imputabit, ſi perierint
nationes, quas tu feciſti? Juſtus es Domi- Pſal. 118.
ne, & rectum judicium tuum. 3. Præci- v. 137.
puè Monachus ſuo judicio incidit in judi-
cium, & in laqueum Diaboli, quando con-
ſilium ſui ſpiritualis directoris aut diſcutit,
aut negligit, aut proprio poſtponit; *nullo*
namque alio vitio tam præcipitem Diabolus Joannes
Monachum pertrahit, ac perducit ad mor- Caſſianus
tem, quàm cùm eum, neglectis conſiliis Se- Collat. 2.
niorum, in ſuo judicio perſuaſerit, ac defini- cap. 11.
tione, doctrináve confidere. Quare *nolite* Rom. 12.
eſſe prudentes apud vosmetipſos. Sed *Judi-* v. 16.
cium Patris audite filii, & ſic facite, ut Eccli. 3.
ſalvi ſitis. v. 2.

Punctum III.

Herodias eſt propria voluntas, Herodes, qui illi indulget; cœcus ſecus viam, qui eam tam cœcam ſequitur. O intolerabilis vecordia! Dominus: proteſtatur: *non quæro voluntatem meam.* Et ſervus ſuam propriam quærat implere voluntatem? cùm tamen ratio ſervi in hoc principaliſſimè conſiſtat, ut non ſuam, ſed Domini ſui faciat voluntatem? Dux Monachorum Benedictus ſuis militibus mandat: *Voluntatem propriam odiſſe.* Et Monachus propriam ſuam voluntatem diligat? quærat? abſit â te tantum nefas, toties enim te furto ac Sacrilegio polluis, quoties poſt nuncupatum obedientiæ votum propriæ voluntati communicas. Non communicandum, ſed inſtar excommunicati vitanda eſt propria voluntas, inſtar peſtis fugienda, inſtar profundæ ſcrobis cavenda, inſtar capitalis hoſtis delenda; inſtar omnium malorum lernæ odio habenda. Summo odio habenda eſt propria voluntas exemplo ipſius Domini Dei; nam *ita nihil in nobis magis odit Deus, quam ipſam propriam voluntatem, quæ ſola infernum conſtituit; ſi enim propria voluntas non eſſet, etiam non eſſet infernus.* Nec mirum adeò odio eſſe Deo propriam voluntatem; *propria ſiquidem voluntas Deum impugnat, & adverſus eum extollitur. Ipſa eſt,*

Joann. 5. v. 30.

S. Regul. cap. 4. inſtrum. 59.

Ludovicus Bloſius in Sacello animæ parte 1. Corollario 5.

est, quæ paradisum spoliat, & ditat infernum, quæ sanguinem Christi evacuat, & ditioni Diaboli subjugat mundum. Quapropter velut â facie colubri *â voluntate tua avertere. Coge teipsum in cunctis, & vince, & voluntatem tuam imprimis abscinde; Si enim consueveris voluntatem tuam amputare, habitum indues Christi gratiâ & misericordiâ, quo omnia sine molestia, aut repugnantia perficies, tequé perfectè asseres in libertatem.* Unde & *illum diem tantum te benè vixisse puta, in quo voluntatem propriam abnegâsti, & desideriis tuis restitisti.*

S. Bernardus Serm. in illud sap. Sapientia vincit malitiam. Eccli. 18. v. 30.

S. Dorotheus Serm. 17.

Eusebius apud Basilium Finckeneis.

BONA PROPOSITA
Ex
Præsenti Meditatione.

1. OMnes cogitationes non solùm malas, sed etiam inutiles, vel profectui spirituali contrarias post primam advertentiam per conversionem ad sanctiora sine mora repellam.

2. Memoriam rerum mundanarum per frequentes actus contritionis delere conabor.

3. Econtra satagam totis viribus memoriam sanctioribus imbuere objectis, ut intellectui veluti spirituali pistrino nunquam

avenam aut lolium, sed semper bonum triticum molendum affundat.

4. Quoties ad dijudicanda Divina judicia vel modicam cogitationem adverto, nihil cunctatus, eiusmodi cogitationem similibus ad nihilum deducere festinabo: Judicia Dei adoranda, non discutienda sunt.

5. Præterea Deum quotidie per certos actus in suis judiciis ac dispositionibus laudare atque adorare consuescam.

6. Similiter quoties vel minimà cogitatione, contra superiorum dispositionem murmurante, titillor, statim eam defricare laborabo illo sapientiæ sale ex Joanne Climaco: *O malignissime seductor, non ego ducem meum judicandum suscepi, sed ille me, non ego illius, sed ille mei judex est.*

In Scala Paradis. gradu 4.

7. Nec minùs quotidie per certos actus proprium meum judicium abnegare, ac plenè superiori subdere adnitar.

8. Quotidie per certos actus propriam voluntatem adversabor, ac detestabor, illa semper electurus, atque operaturus, quæ propriæ voluntati minùs arrident.

EXA-

EXAMEN PARTICULARE

De

Continentia linguæ.

1. UTrum horis ac locis incompetentibus nunquam locutus, religiosum silentium semper dignè æstimaveris ac strictè custodiveris?

2, Utrum cum extraneis, vel aliis personis inhibitis nunquam contra superiorum voluntatem, aut regularis disciplinæ rigorem fabulatus fueris?

3. Utrum nomen Domini aut verba sacra nunquam in vanum assumpseris?

4. Utrum nunquam verba mendacia, plus justo hyperbolica, dolosa, aut simulatione subsuta protuleris?

5. Utrum nunquam verba scandalosa, vel â bono retrahentia in ore habueris?

6. Utrum nemini quomodolibet detraxeris?

7. Utrum contra neminem scommata, aut verba contumeliosa effuderis?

8. Utrum tuis discursibus nunquam lites aut contentiones excitaveris, vel magis promoveris?

9. Utrum â verbis, pungitivis, irrisionibus, & aliis exasperationibus semper abstinueris?

10. Utrum

10. Utrum teipſum nunquam verbis laudaveris, aut tua jactaveris?

11. Utrum nunquam moveris curioſas quæſtiones, vanos, omniique utilitate carentes diſcurſus?

12. Utrum nunquam inſtitueris diſcurſus de mundo, vel de rebus, quæ ad te non pertinebant?

13. Utrum facetias, nugas, verba ſcurrilia, otioſa & ad riſum moventia juxta Sacram Regulam ſemper æternâ clauſurâ damnaveris? nec unquam ad talia os tuum aperueris?

14. An inter loquendum in ore modeſtiam, in corde benignitatem, in vultu ſerenitatem, in voce & in geſtu debitam honeſtatem, ac religioſam gravitatem ſemper obſervaveris?

15. Utrum in cunctis tuis diſcurſibus ac verbis præcipuè Dei honorem, tum tuam vel proximorum neceſſitatem, aut utilitatem ſemper ſpectaveris?

16. An malè aut inutiliter loquentes declinaveris, vel triſtitiâ vultûs, eorum ſermonem tibi diſplicere oſtendendo, vel illicitum diſcurſum ad alia utilia prudenter convertendo, vel te piè ſubducendo?

17. Utrum poſt quemcunque lapſum in ſupra dictis, ſtatim in te reverſus, elicitâ contritione propoſitum emendationis ſeriò renovaveris?

LE-

LECTIO SPIRITUALIS
Pro
Tempore pomeridiano.
ARGUMENTUM.

QUi in vita semper benè audit, in morte *ab auditione mala non timebit.* Psal. 111. v. 7. *Una est hominis infirmitas* (inquit Didacus Baëza) *quæ de illius salute facit desperare;* Libr. 4. cap. 1. §. 19. *nimirum: si aures habeat, vel scissas, vel obturatas. Sic ut incurabilem lamentabatur filium habentem Spiritum surdum homo quidam apud Marcum cap. 9. ait enim ad Jesum: Magister, attuli filium meum habentem spiritum surdum, & mutum, & dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt.* Nec mirum, licèt enim omnia, licèt etiam maria & venti obediant voci Domini, surdo tamen canitur fabula frustrà. Ad paucula illa Christi verba: *adolescens, tibi dico, surge, & resedit, qui erat mortuus.* Lucæ 7. v. 15. Ad paucas Domini voculas: *Lazare veni foras, & statim prodiit, qui fuerat mortuus.* Joanni 11. v. 44. *Mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent,* Joann. 5. v. 25. sed surdi quomodo audient? surdus est planè deterior nihilo, quoniam ipsum nihilum audivit vocem Altissimi, & in auditu obediens, in tam varias prodivit creaturas, surdi verò *audire non possunt.* Jerem. 6. v. 10. Sur-

di

di miseriores sunt cæcis; non enim ex visu,
Rom. 10. v. 17. sed *fides ex auditu.* Et *beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Ast *quomodo credent*
Joann. 20. v. 29. *ei, quem non audierunt? quomodo autem*
Rom. 10. v. 14. & 16. *audient*, qui surdas habent aures? Hoc dexterè novit cacodæmon; hinc (teste San-
Serm. 52. cto Chrysologo) *antiquus refuga, ubi Deum terris reperit advenisse, obstruxit aures hominum;* nec ignorat infernalis impostor, nullum genus infirmorum (moraliter intelligendo) surdis curari difficilius. Solo quidem sermone Salvator noster multifaria patrabat miracula, cùm verò curandus offeretur surdus & mutus, verbis insuper, non absque mysterio plures adjunxit cæremonias; apprehendit quippe eum, & sumpsit secum de turba seorsum, ingemuit, le-
Marci 7. v. 33. vavit oculos ad cœlum, nec non *misit digitos suos in auriculas ejus*, ut ostenderet, ad sanandas surdas aures requiri digitum Dei,
Homil. 10. libr. in Ezechiel. esse opus Spiritûs Sancti, nam digitus (teste Sancto Gregorio) *Spiritus vocatur.* Et absque dubio Spiritus Sanctus, quippe *quid* (eodem Sancto Doctore interprete) *per digitos Redemptoris, nisi dona Spiritûs Sancti designantur?* Surdo aures reserare *digitus*
Exodi 8. v. 19. *Dei est hic*, meas prorsus excedens vires; unde neque præsumo, hodie surdum ad vocem clamantem in deserto invitare, sed apertas habentem aures, ut discat deinceps semper

ſemper bene audire, ſi forſan hucusque quandoque malè audiviſſet:non enim omnes, qui audiunt, benè audiunt. Audire naturæ eſt, hominibus & brutis commune, benè autem audire virtutis & gratiæ, proprium Chriſtianis, proprium Religioſis. *Nunc ergo fili mi audi me.* Percipe in præſenti diſcurſu, quid ſit benè, & quid male audire? Et ecce jam auribus tuis allabitur vox clamantis in deſerto: *qui habet aures audiendi, audiat, quid Spiritus dicat.* Cape tibi hoc, alteque auribus cordis imbibe, quid *Spiritus dicat.* Non quid caro? quid ſanguis? quid mundus? quid Diabolus? quid falſi fratres? quid laxitatum amatores? quid murmuratores? quid detractores, quid diſciplinæ deſtructores? qui iſtos audit is certè malè audit, peſſimè audit, *Servus Dei* (inquit Euſebius Nierembergius) *aures ſuas ſæculi vanitatibus, concupiſcentiarum illecebris, & peccati Sirenis claudat, easque ſolis Monaſticæ Religionis ſuggeſtionibus, ac Divinis elogiis aperiat.* Dicente magno Monachorum Patriarchâ Benedicto: *Lectiones ſanctas libenter audire.* In quibus verbis duo nobis ſignanter inculcantur. Primum eſt, ut lectiones ſanctas, Divinas ſcripturas, collationes Patrum, acta Sanctorum, paſſiones Martyrum, libros ſpirituales & optimos aſcetas

Proverb. 5. v. 7.

S. Regul. in Prologo.

Homil. 34. ſſ. 3.

S. Regul. c. 4. Inſt. 56.

venite filii audite me timorem Dñi docebo vos.

audiamus, ſive ipſi legamus; non autem ineptè pruriamus auribus ad ciſternas diſſipatas ſine aqua ſapientiæ ſalutaris, ad tumentes verbis inanibus flores ſine fructu, ad oſſa arida ſine ſpiritu, ad folia vanitatum ſine compunctionis ſucco, ad curioſas enarrationes ſine charitatis nucleo, ad ethnicorum volumina ſine fundamento pietatis, ad Poëtarum fabulas ſine lumine veritatis, ad ſtultas quæſtiones ſine mentis pabulo, ad libros profanos ſine virtutis emolumento, ad inutiles diſcurſus ſine ædificationis lucro, ad vana colloquia cum conſcientiæ damno, ad ſermones facetos cum diſſolutionis periculo. Certè quippe non benè ſed malè immo peſſimè audit, quisquis ſimilia cupidè audit, aut avidè legit, quisquis ſimilibus non occludit auditum; hæc enim ſenſim, & quaſi ſine ſenſu ſpiritum diſſipant, fervorem debilitant, torporem ingenerant, mentem variis ſpeciebus deformant, affectus commaculant, devotionem ſuffocant, conſolationes ſpirituales retardant, guſtum ſpiritualium exanimant, aurem ſalutis exſurdant, regularem diſciplinam peſſumdant, Religioſa clauſtra defanant, omnemque religionis florem miſerè deplantant. Et per quid præ cæteris noſter ſacratiſſimus ordo in tantum gloriæ florem olim ſeſe extendit, niſi per aſſiduum ſcripturarum ſtudium, & inde hau-

ſtam

ſtam vicæ ſanctimoniam? *Duo autem ſunt* (inquit Joannes Trithemius) *quæ ordinem noſtrum glorioſum ab initio reddiderunt, quæ ſi & nos imitari ſtuduerimus, in eo fructum magnum faciemus. Quæ ſunt illa? Sanctitatis meritum, & ſcientia ſcripturarum. Hæc ubi neglecta ſunt, mox ordinem ad ima deduxerunt: nihil enim Principes terræ magis in ordine noſtro venerabantur antiquitus, niſi vitæ meritum, & ſcientiæ Doctrinam. Quibus neglectis ordo devenit in contemptum.* Orat. 2. in cap. gener. Erphordiæ. Eadem repetit orat. 3, nec aliud ſonant illa verba lib. 1. de viris illuſtribus cap. 8. ita ſcribentis: *Duo enim ſunt, quæ ordinem in obſervantia tenuerunt; amor videlicet Dei & ſtudium ſcripturarum, quibus deficientibus, Monachi quoque à ſancta inſtitutione receſſerunt.* Nec mirum, nam ſi carbonarius contrahit nigredinem, ſi ille, *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam.* Ecoli. 13. v. 1. Quid mirum, ſi aſſiduis terens manibus libros, frequenti aure bibens diſcurſus mundanos, aut lectitans fabulas, ipſe demum totus diſſolvatur in nugas & fabulas, totus mutetur in mores profanos? O quàm ſapienter & ſanctè proindè diſponunt noſtra ſtatuta, quæ cap. 4. §. 3. ſic loquuntur: *Per devotam librorum ſpiritualium lectionem materia paranda, & animus ad pias*

cogitationes, & contemplationes disponendus est. Unde imprimis providendum, ut singuli libros asceticos & pios ad sufficientiam habeant, maximè autem sacram scripturam. Quibus præterea circa finem citati §. Sequentia adjungunt: *Ad mensam quoque in refectorio non libri profani, & curiosi, sed devoti & salutares, unde audientes spiritualem, etiam dum corpus cibis reficiunt, animæ refectionem haurire possint, legendi sunt. Qui habet aures audiendi, audiat, quid spiritus dicat?* Non quid Poëtarum figmenta? non quid vanitatum volumina? non quid foris in sæculo visum, vel auditum, *quia plurima destructio est. Qui habet aures audiendi audiat, quid spiritus dicat.* Audiat autem cum aviditate, cum desiderio, cum gaudio. Alterum enim ad benè audiendum secundùm sanctum Patrem nostrum requisitum est, ut lectiones sanctas, superiorum pias admonitiones, & quoscunque spirituales sermones aut discursus libenter audiamus, non verò cum tædio, non cum fastidio, non more illorum, qui cum stomacho olim conquerebantur: *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man.* Nîl nisi spiritualia nobis audienda obtruduntur. Nihil tam pretiosum, quod copiâ non vilescit,

Sacra Regula cap. 67.

Num. 21. v. 5.
Exod. 11. v. 6.

ſcit, nihil tam charum, quod nimiâ familiaritate non parit contemptum; cibi optimi quoque, dum quotidiani, demum deſipiunt, & æditui alioquin etiam boni, dum altaria continuò tranſeunt, denique devotionem perdunt, ac in faciendis reverentiis negligentes evadunt. *Anima noſtra jam* Num. 21.
nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo, ſuper iſto v. 5.
ſtylo ſimplici, in quo nullum elucet artificium, nulla ludit troporum varietas, nulla delectat verborum elegantia; nempe hæc eſt nonnullorum dementia, potiùs culeola, quàm nucis nucleum, potiùs verborum flores, quàm verbi Divini fructum, potiùs dictionis ornatum, quàm animæ pabulum, potiùs ſermonis artificium, quàm ſpiritûs edulium eſuriunt, ſimiles, neſcio, cui maleſano ægroto, qui recuperandæ ſanitatis ergo, ad incidendam venam accerſito Chirurgo, totus manet occupatus, totus intentus diſpiciendis Chirurgicis inſtrumentis, modò conſiderando lanceolam, modò novaculam, jam examinando harum materiam, jam formam, ſive figuram, jam artem, jam ſcire cupiendo harum artificem, interim de emittendo ſanguine, de recuperandâ ſanitate nihil cogitans, nihil ſolicitus. Qui habet *aures audiendi audiat*, *quid ſpiritus dicat*, non quid mortua verborum fluentia ſonet. *Qui habet aurem, audiat.* Apocal. 2.
v. 7.

Quàm attentè olim lectionem sanctam audiverit populus Hebræus ex Babylone reversus : *Aures omnis populi* (inquit sacer textus) *erant erectæ ad librum. Qui habet aurem, audiat.* Quanto fervore ac siti sacros voluerit libros eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum, nonne testante ipso spiritu Sancto act. 8. *Tantus amator legis, Divinæque scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo sacras litteras legeret. Si in via tantam præstitit diligentiam, cogita, qualis fuerit domi versans. Si tempore profectionis non sustinuit absque lectione manere, multò minus domi sedens. Si nihil intelligens legebat, nec destitit à lectione, multò minus postquam didicerat. Qui habet aurem, audiat.* Quanta cordis dulcedine, & minimè cum fastidio olim veteres Monachi sacris fuerint occupati codicibus, *nec canentes atque orantes solùm* (ait Sanctus Chrysost. de Monachis sui ævi) *sed Divinis etiam libris affixi jucundissimè afficiuntur: choro enim dissoluto, plerumque alius cum Isaia colloquitur, alius cùm Apostolis disserit, alius ab aliis elaborata lectitat, & philosophatur de Deo, de creaturis, de visibilibus, de invisibilibus, de utilitate hujus vitæ, de beatitudine futura.* Necdum benè gustavit vinum spiritualis doctrinæ, cui lectio sancta ob frequentem usum vilescit, vel parit fastidium; nam *nihil*

2. Esdræ 8. v. 3.
Apocal. 2. v. 11.
S. Hieron. Epist. 101. ad Paul.
S. Chrysost. homil. 19. in acta & conc. de S. Lazaro.
Apocal. 1. v. 17.
Homil. 69. in Matth.

nihil in vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nihil ita mentem ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil ita hominem excitat, & adjuvat ad omne opus, & ad omnem laborem, sicut studium sacræ Scripturæ. [Hugo apud Joannem Trith. comment. in Sacr. Reg.] Quod palam est vel ex illo ipsius Divinæ Scripturæ oraculo: *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient, qui audit me, non confundetur.* [Eccli. 24. v. 29.] Nec quidem finem spiritualis lectionis adhuc intelligit, qui simplicitatem styli in auctore fastidit, siquidem *veritas est in Scripturis Sanctis quærenda, non eloquentia. Omnis Scriptura eo spiritu debet legi, quo facta est. Quærere potiùs debemus utilitatem, quam subtilitatem.* [Lib.deimit. Christi lib. 1. cap. 5.] *Ita Scripturas sanctas lege, ut semper memineris Dei illa verba esse, qui legem suam non solùm sciri, sed etiam impleri jubet, nihil enim prodest facienda didicisse, & non facere.* [Auctor vetus Epist. ad Demet. cap. 23. apud Juliũ. Nigropium tract. 5. c. 7.] *Estote autem factores verbi, & non auditores tantùm fallentes vosmetipsos.* [Jacob. 1. v. 22.] Rescire cupitis pressam forsan differentiam inter auditorem prudentem & stultum? Christo Incarnatæ sapientiæ patulas aures inclinate: *Omnis ergo* (inquit) *qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram &c. & omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit* [Matth. 7. v. 24. & 27.]

 stulto,

ſtulto, qui ædificavit domum ſuper arenam. En irrefragabile diſcrimen inter ſapientem & ſtultum! ego quidem hanc Salvatoris doctrinam mecum in pondere ſanctuarii penſiculatè expendens, expavi opera Domini, & cogitavi perterritus: væ nobis Religioſis! quibus tot exempla Sanctorum ad imitationem in nobis excitandam leguntur in choro, tot ſalutares inſtructiones traduntur in capitulo, tot ſpirituales doctrinæ offeruntur in lectione menſali, tot verbi Divini præcones nobis è libris perorant in lectione privata, væ nobis in tremendo judicio! cùm de his omnibus, quæ vel ſalutaria audivimus, vel legimus, vel legere potuiſſemus, juſtus judex ſtrictiſſimam ſit exacturus rationem. Væ nobis! ſi (atteſtante Hipponenſi Præſule) *non minùs reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui Corpus Chriſti in terram cadere ſuâ negligentia permiſerit. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ.* Iſta autem generatio, multi Religioſorum inter tot patrum admonitiones, inter tot Scripturarum doctrinas, inter tot lectiones ſpirituales, inter tot libros aſceticos facti ſunt *in ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non*

Homil. 26. ex 50.

Luc. 11. v. 32.

Pſal. 57. v. 5.

exau-

exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. Attentioris considerationis libellâ libeat trutinare hunc textum. Nam ecce tibi! non arguitur serpens, quòd non audiat, sed quia non exaudiet, aliud quippe est audire, & aliud exaudire. Omnium procul dubio preces audit omniscius Deus, nec tamen omnium exaudit petita, eoquod multa malè petantur. Sapiens & insipiens, uterque quidem audit verbum Domini, hoc tamen discrimine, quod prior exaudiat, & opere compleat audita, posterior verò non exaudiat audita, nec intelligat, ut faceret benè. Væ autem talibus auditoribus! væ multis Religiosis in die judicii! nam, *qui spernit me* (inquit Christus futurus Judex) *& non accipit verba mea, habet, qui judicet eum, sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Narrat Josephus Mansi Patrem Marcellinum ordinis Sancti Francisci tempore Clementis octavi famosissimum concionatorem in ecclesia ara cœli dicta, ad majorem dandam emphasim crebriùs suis concionibus ista immiscuisse: *In die judicii contra vos contestabor, quòd vobis annuntiaverim veritatem, vos autem illam audire, indeque proficere nolueritis.* In die judicii contestabitur contra nos propria ordinis Regula, contestabuntur omnes exhortationes, & doctrinæ, quas audivimus, omnes

Joan. 12. v. 48.

de Prædic. verbi Dei. Discurs. 25. n. 1.

omnes libri, quos legimus, nisi fructum & profectum inde collegerimus. Quis Religiosorum, audita factis implere dissimulantium totis non contremiscat artubus, secum in pondere sanctuarii expendens illas terribiles minas Salvatoris ad suos Apostolos asseverantis: *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati.* Heu nos Domine! Si ob neglectum & repulsum verbum Divinum talia minitaris sæcularibus, quo judicio judicabis nos Religiosos? qui quotidie quasi audimus tam multa, & operamur tam pauca! *Quæ pagina, aut quis sermo Divinæ authoritatis veteris ac novi testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ, aut quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum?* & quis horum non perorabit ad te Domine contra nos in nostro post pauxillum futuro judicio: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi; ipsi autem contemnentes spreverunt me. Non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed induraverunt cervicem suam, ne audirent me, & acciperent disciplinam.*

Matth. 10. v. 14. & 15.

Sacr. Regul. cap. 73.

S. Regul. c. 2.

Jerem. 17. v. 23.

Sed

Sed quid ad ſimiles accuſationes tremendus Judex? nempe illud Proverbiorum 1. *En!* v. 23. & ſequent.
proferam vobis Spiritum meum, & oſtendam vobis verba mea, quia vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo. Quin immò videtur, quòd juſtus judex verbi Divini neglectorem ſuo judicio quaſi ne quidem dignetur, *ſiquis* (inquiens) *audierit verba mea, & non cuſtodierit, ego non judico eum.* Cur autem non judicas talem ô Domine! forſitan *jam judicatus eſt?* fortaſſe permittes, *út Diabolus ſtet à dextris ejus, cùm judicatur exeat condemnatus.* Fortè eveniet talibus juxta illud tuum Divinum oraculum: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me, ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Forſan juſto tuo permittente judicio acquieſcent conſiliis & ſuggeſtionibus diaboli qui noluerunt acquieſcere conſiliis ſuorum ſuperiorum, ac Doctrinis ſpiritualium magiſtrorum loquentium in nomine tuo? fortaſſis audient ora loquentium perverſa, qui ſanam doctrinam ſcripturarum ac Patrũ noluerunt recipere, nec opere complere? ah quid opus eſt multis interrogationibus pulſare cœli ſecreta, tot horrendis caſibus prædicante vel ipsâ experientiâ? Scio ego quosdam

Joan. 12. v. 47.
Joann. 3. v. 18.
Pſal. 108. v. 6. & 7.
Joann. 5. v. 43.

dam Religiosos, rescio aliquos sat celebres concionatores, qui tamen Diabolicis suasionibus aures præbuerunt, tentationibus carnalibus succubuerunt, victi cum magno, præsertim simplicium scandalo, habitum & fidem abjecerunt, amplexati stercora, facti errorum ac hæresium auditores. Nec facilè aliâ de causâ, nisi, quia inter tot lectiones sanctas, inter quotidianum scriptu-
Luc.7.v.30 rarum usum, *consilium Dei spreverunt in semetipsos*, nisi quia aliis Dei verbum more prudentum quidem prædicaverunr, ipsi verò more stultorum audiverunt, non factores, sed inanes lectores legis, similes mulis & asinis, qui optima vina ex Italia nobis asportant, ipsi verò interim aut aquam turbidam bibunt, aut omnino siti tabescunt. Nec mirum tales in suis orationibus â Deo non exaudiri, gravissimis tentationibus infestari, â Diabolo tentante superari, & variis lapsibus subjici; quippe, quisquis in tot libris Deum quasi continuò clamantem non exaudit, dignus non est, exaudiri à Deo.
Psal. 80. v. 14. & 15. *Si populus meus audisset me* (contestatur ipse Deus) *Israel si in viis meis ambulâsset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliâssem, & super tribulantes eos misissem manum.*
Psal. 80. v. 12. Verùm *quia non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit*
Jerem. 14. v. 12. mihi, propterea *non exaudiam preces eorum, & si obtulerint holocautomata & vi-*

Cti-

ctimas, non suscipiam ea. Ibunt in adinventionibus suis. Psal. 80. v. 13. Hinc nonnullorum Religiosorum lapsus, hinc scandala, hinc apostasiæ, hinc varii horribiles casus, quia inter salutares instructiones, inter tot paternas admonitiones, inter tot sanctas lectiones manent veluti surdi, steriles in omne opus bonum, fiuntque ad suggestiones cacodæmonis fertiles ad omne malum. Cujus rei (omissis sexcentis aliis) horribile exemplum refert noster venerabilis Petrus Cluniacensis. *Qui habet aures audiendi, audiat*, & pertimescens ad saniora redeat. Lib. 2. c. 24 Incolebat Vehunense cœnobium ecclesiæ Cluniacensi subjectum Monachus quidam, nomine & habitu talis, vita autem & monastica conversatione non paribus â monastica conversatione non parùm alienus, in humanis quidem versatus ac versutus, in Divinis verô totus languidus & lassus. Corripiebatur frequenter à Priore, admonebatur â Senioribus, commonebatur â fratribus. Perferebat non rarò verba dura, accipiebat flagra, sustinebat probra, tolerabat injurias, suaque sponte in se suscipiebat pœnitentias, videbatur subinde proficere: ast mox rursum sanorum respuebat consilia; nimirum totum sui profectûs ædificium struebat super arenam, simulans quandoque se bonum, ne continuò audiret malus, gnarus mentiri externam quandam pietatem propter humanum

num oculum, ſincero porrò corde veritatem facere propter eloquia Domini penitus inſuetus; quemadmodum infauſtus probavit eventus; nam eâ quidem aſtutiâ ſuam texere telam callebat, ut propter ſuam perſpicacitatem in tractandis œconomicis exteriorum adminiſtrationi ſufficeretur, ſed ad proprium ſalutis damnum, & ad velociorem prorſus animæ ruinam; cùm enim externis tractandis negotiis totus immerſus, in mundana totus effuſus, â religioſis moribus indies magis, ac magis recederet, piasque admonitiones & adhortationum unguenta indies magis ac magis contemneret, viſum eſt ſuperioribus, ſaluti Monachi tempeſtive proſpicere, â ſuâ Spartâ eum denuò removere, retinere intra clauſtri ſepta, urgere ad religioſa exercitia; cùm ille ſuâ provinciâ pulſus, amotionem perquam ægrè ferre, intus ſecum furere, in murmura prorumpere, religioſa exercitia faſtidire, clauſuram velut carcerem perhorreſcere, ultionem in corde coquere, nec deſiſtere, â variarum coctura, donec dæmon ſubminiſtraverit faces maligni conſilii. Haud procul namque ab eccleſia aberant monaſterii horrea, in quibus tunc monaſterii fruges, & totius penè anni victus pro Monachis ſervabatur reconditus; hæc itaque fratrum victualia nequam ille, ultionem ſpirans clam ſuccendere meditatur; cujus malitiæ in effe-

fectum deducendæ gratiâ claves clauſtri furatus, fur nocturnus clauſuram egreditur, ſubjectoque occulto paleis igne, nîl ultra moratus ad propriam cellam revertitur; jamque fratres, matutinis laudibus pro more finitis, rurſum ad ſua ſtrata fuerant recepti, cùm ecce, ſubmiſſus interim ignis continuò in majores vires ſuccreſcere, in altas flammas erumpere, triſtemque incendii tragœdiam exhibere, ejulans ac lamentans exclamat omnium primus ille ſacrilegus, & veluti facti inſcius, omniumque innocentiſſimus volante pede cum aliis ad extinguendum vulcanum accurrit: erravi, cunctis ſedandæ flammæ intentis, ipſe otioſus ſpectator aſſiſtit, ac veluti præ nimiâ conſternatione laborare non valens, externè rem agit lamentis, internè verò in animo gaudiis & congratulationibus de tam felici ſucceſſu intentæ vindictæ, non intelligens miſer Divinam nemeſin, jam â tergo ſequentem! derepente quippe inter ſumma lamenta inviſibili gladio interemptus, cunctis, qui aderant, præ timore obſtupeſcentibus, corruit, obiit, periit. Cumque fratres ad terram eliſum jamque exanimem in manus ſuſcipere, clauſtro inferre, ac more ſolito cadaver abluere feſtinent, en tibi! dexteram ejus, contra mortuorum mòrem adhuc extentam clavemque furto ſubdu-

ductam in ea deprehendunt, ipſo Deo vindice, per tam manifeſtam probam patrati ſceleris, ut tam iſthoc ſigno, quàm aliis compluribus ſat luculentis indiciis probè inſpectis, cadaver illud tanquam ſacrilegi furis, incendiarii nefandi, ac hominis excommunicati extra Religioſorum ſepulturam, ac Chriſtianorum cæmeterium in loco abjecto meritò fuerit humatum, ſicque poſt mortem apud omnes peſſimè audire debuit, qui in vita benè audire noluit. Ecce hic eſt finis, hæc eſt ſepultura eorum, qui abſcondunt pecuniam Domini ſui, qui lectiones ſanctas ac paternas exhortationes ſuorum ſeniorum non ponunt ad menſam,

Matth. 13. v. 45. ut per bonam operationem negotientur ex illis. Negotiandum eſt ex ſanctis lectionibus; nam *ſimile eſt regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Bonæ margaritæ, verbum Dei, quod negotiator Chriſtus, præſertim â Religioſis cum uſuris exiget, cave ne vel unam talem margaritam ſine opere perdas, aut minùs cautê cuſtodias, ſin verò hactenus libros

Pſal. 94. aſceticos & Divinas ſcripturas minùs ſapienter legeris, aut minùs prudenter audiveris,

Proverb. 5. v. 7. ſaltem *hodie, ſi vocem ejus audieritis nolite obdurare corda veſtra. Nunc ergo fili mi, audi me, & ne recedas â verbis oris mei.* A voce clamantis in deſerto, & admonentis

tis te in tuâ annuâ hac ſolitudine, ut ſtatuas firmiter, ex omnibus lectionibus imposterum mellificare, ad lecta & ſanctorum exempla viam ac greſſus tuos dirigere, ſeniorum piis conſiliis morem gerere, & ex omni inſtructione fructum afferre, ne ſecus nimis ſerò *gemas in noviſſimis, quando conſumpſeris carnes tuas, & corpus, & dicas* Proverb. 5. v. 11. 12, & 13. *cur deteſtatus ſum diſciplinam? & increpationibus non acquievit cor meum? nec audivi vocem docentium me, & magiſtris non inclinavi aurem meam?* cur non meliùs cuſtodivi mea principia in novitiatu hauſta? inſtructiones, â magiſtris & directionibus datas, tot doctrinas ſaluberrimas è ſacris libris lectas? cur receſſi â meis bonis propoſitis, in ſacra ſolitudine factis? quoniam de his omnibus in die judicii erit reddenda ratio. Væ tunc legisperitis! qui legunt, & non faciunt.

MEDITATIO III.

De Mortificatione amoris proprii.

Punctum 1. De damnis & effectibus amoris proprii. 2. De difficultate cognoſcendi amorem proprium. 3. De mediis & modis eundem eradicandi.

Præ-

Præludium.

EN! veniens venit judex cum angelis ſuis, petiturus â te unicam eamque pretioſam animam tuam! cave ne perdas, per-
Joann. 12. des autem certò ſi amas. Nam *qui amat*
v. 25. *animam ſuam, perdet eam.* Heu *quam da-*
Matth. 16. *bit homo commutationem pro anima ſua?*
v. 27.

Punctum I.

Eccleſ. 10. *Væ tibi terra! cujus rex puer eſt.* Et
v. 16. væ homini! cui dominatur proprius amor. Puer enim eſt proprius amor; quia inſtar pueri iraſcitur, & ringitur, dum non impetrat, quod poſtulat. Puer eſt; quia præfert vitrum auro, crepundia Sceptro, viliſſima omni pretioſo. Puer eſt; quia ludit, & luditur in præſentibus ſine futurorum memoria. Puer eſt amor proprius, & quidem puer cœcus. Cave, ne hunc puerum cœcum ſequaris; certò certiùs enim cum illo cades in foveam, & ſerò per experimentum ſapies, quàm verum ſit il-
Proverb. 14 lud ſpiritûs ſancti oraculum: *Eſt via, quæ*
v. 12. *videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.* Dalila eſt philautia ſeu amor proprius, immo Dalilâ deterior, illa enim Samſonem ſolùm tradidit Philiſtinorum principibus, iſte verò pretioſam hominis animam prodit Dæmonibus, illa Sam-

Samſonem ſolùm orbefecit oculis corporis, S. Gregor.
iſte autem obſcurat oculum mentis, & qui- homil. 4.
dem *valde claudit oculum cordis amor pri-* in Ezechiel.
vatus. Scito, quòd amor tui ipſius magis lib. de imit.
noceat tibi, quàm aliqua res mundi. Im- Chriſt. lib. 3. c. 27.
mo magis quam omnes Dæmones. *Erunt* 2. Timoth.
homines ſeipſos amantes. Et *refrigeſcet cha-* 3. v. 2.
ritas multorum, hinc *omnes, quæ ſua ſunt,* Matth. 24. v. 12.
quærunt, non quæ Jeſu Chriſti. Hinc cha- Philipp. 2. v. 21.
ritas Dei excluditur, Divinis inſpirationibus reſiſtitur, Divinarum gratiarum vena obſtruitur, ædificium virtutum diruitur, quies animi deſtruitur, ſerenitas mentis diſpellitur, tumultus cogitationum ac curarum inducitur, diabolicis tentationibus oſtium panditur, omnigenis vitiis nidus conſtruitur, aggeſtus peccatorum congeritur, ipſaque perditionis via veloci pede curritur.
Certè *ex hoc vitio, quod homo ſeipſum nimis* Lib. de
inordinatè diligit, penè totum pendet, quid- imit. Chriſt.
quid radicaliter vincendum eſt, quo devicto lib. 3. cap.
& ſubacto malo, pax magna & tranquillitas 53.
erit continuò.

Punctum II.

Attendite à falſis prophetis, qui veniunt Matth. 7.
ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus au- v. 15.
tem ſunt lupi rapaces. Falſus Propheta eſt
amor proprius occentans: *Pax, pax, &* Jerem. 6.
non erat pax. In veſtimentis ovium amor v. 14.

proprius incedit, quia pallio virtutum se tegit, modò se fingens discretionem, ut propriis fruatur commoditatibus, modò prætendit honestam recreationem, ut foveat sensualitatem, jam simulat charitatem, ut cibet carnalitatem, jam transfigurat se in Angelum lucis, & mentitur pietatem, ut faciat sibi umbraculum meridianum humanæ laudis. Jam sub specie Zeli prodit, ut iracundiæ litet, jam omnia etiam
Matth. 7. iniqua dissimulat, ut audiat discretus. *Ve-*
v. 16. *rùm à fructibus eorum cognoscetis eos.* Fructus, & signa proprii in homine dominantis amoris sunt potissimùm hæc 1. tum propria commoda, tum propria lucra, tum propria solatia, vel proprium honorem ac æstimationem curare, & consequenter in suis actibus seipsum, ac sua quasi pro fine habere. 2. Illa econtra non curare, quæ vel ad proprium honorem, vel ad proprium solatium, vel ad proprium lucrum non conducunt. 3. In suis factis sibi complacere, sua jactare, velle videri, æstimari, amari &c. 4. Aliis suum lucrum, sua commoda, suam æstimationem invidere, aliorum laudes non libenter audire, benefacta minuere &c. 5. Proprios favores, ac favorum privilegia dilatare, ampliare &c. 6. Propriam confusionem, subjectionem, & afflictionem cane pejus & angue fugere. Sede sub

ſub arbore malo, & attende per diſcuſſionis libellam, an non ſimiles fructus ex ea dependeant?

Punctum III.

Conſidera, & tolle peſtem animæ proprium amorem. Primum alexipharmacum eſt odium ſui; nam contraria contrariis curantur, *& qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Joann. 12. v. 25.
2. Conſtans ac continua abnegatio. Negandus eſt furioſo gladius, neganda infanti ſicula; neganda ſunt infirmo, quæcunque ſibi noxia poſcit, neganda proprio amori, quæcunque contra dictamen rectæ rationis, ac regulas perfectionis appetit. Heu! *usquequo parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient?* 3. Mors Proverb. 1. v. 22.
quædam, quâ homo ſibimetipſi moritur; quippe, *niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet,* Joann. 12. v. 24.
ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Durus quidem eſt hic ſermo: per propriam vilipenſionem in terram cadere, ſeipſum abnegare, ſibimetipſi mori, opus tamen ſummè neceſſarium. Unde ad iſthanc difficultatem ſuperandam. 4. Pro remedio vis ſibimetipſi inferenda præſcribitur. *Regnum cœlorum vim patitur*, vique Matth. 11. v. 12.
dignum eſt. Non dimiſit Pharao populum Domini, niſi in manu forti, nec excu-

titur tyrannicum jugum proprii amoris, nisi contra audentior iveris. *Illi maximè præ cæteris in virtutibus proficiunt, qui ea, quæ sibi magis gravia, & contraria sunt virilius vincere nituntur.* Aude ergo aliquid in teipsum; quoniam *tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.*

Lib. de imit. Christ. Lib. 1. cap. 25.

loco cit.

BONA PROPOSITA
Ex
Præsenti Meditatione.

1. IN necessitatibus corporalibus summam curam, & attentionem adhibebo, ne quid idcirco admittam, sumam, vel eligam quia sensualitati vel appetitui arridet.

2. Quidquid per discretionem licet, denegabo appetitui ad sensualia proclivi.

3. Omnem cautelam adhibebo, ne ergà aliquam personam; vel erga aliquam rem quomodolibet sensualem amorem admittam.

4. In nulla re vel exercitio propriam commoditatem quæram, aut admittam.

5. In omni occasione quæram potiùs discretè aliquam incommoditatem, ut sic denique nocivo proprio amori perfectè moriar.

6. Quotidie aliquos actus amori proprio con-

contrarios exercebo, uti si lubet sedere, eo ipso non sedebo, si allubescit ambulare, non ambulabo, si arridet cellam exire, vel loqui, non exibo, nihil loquar.

7. Etiam in spiritualibus diligentissimè attendam, ne proprius amor se immisceat, ne in Divinis potiùs quærâm sensibilem devotionem, quâm Dei honorem, ne spiritualiter legam aut mediter potiùs ex proprio gustu, quàm propter Divinum beneplacitum, ne Sacramentis utar eo potiùs fine, ut fiam consolatus, quàm ut Deo sim gratus.

8. Amori proprio favorabilia; uti exemptiones, recreationes, omnesque humanos favores, quantùm per discretionem licet, omni studio declinabo.

9. Si â superiore mihi quæcunque petita denegentur, non propterea admittam vel ullam tristitiam, aut perturbationem, sed potiùs gratias agam & gaudebo.

10. Pariter siquid mihi contrarium acciderit, illicò mentem ad Deum elevabo, gratias agens, quòd mihi sapientissimus Deus submiserit occasionem proprium amorem mortificandi.

CONSIDERATIO VESPERTINA.

De Diſſolutis & tepidis fratribus cautè declinandis.

ECce hæc eſt doctrina Chriſti, hæc promulgatio Pauli : *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis.* Declinandum eſt ab omni fratre ambulante inordinatè, vivente tepidè, quærente laxitates, vacante fabulis, tractante nugas, narrante ſæculares rumores, murmurante contra ſuperiores, converſante non ſecundùm ſpiritum novitii fervoris, neque ſecundùm principia aſcetica, in ipſo religioſo tyrocinio tradita. Selectus ſociorum habendus eſt, & non ſimiarum more imitandum quidquid videtur, neque brutorum more currendum cum quolibet. Nam *cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris.* Quia Roboam, ſeniorum ſpreto, ſecutus juniorum conſilium, magnam partem perdidit regni. Et multi fervidi quondam novitii, paulò poſt emiſſa vota primam charitatem

2. Theſſ. 3. v. 6.

Pſal. 17. v. 27.

3. Reg. 12.

ac

ac fervorem amiſerunt, quia conſiliis & moribus diſſolutorum intenderunt. *Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt.* Planè non quemque, ſed illum ſequi eſt tutum, cujus hæc conteſtatio: *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Hunc ergo ſequere, hic enim eſt dux, qui non ſeducit, hic eſt ipſa rectiſſima via ad terminum æternæ felicitatis.

Proverb. 1. v. 15.

Joann. 8. v. 12.

DIE QUARTA OBSERVATIONES.

1. DIes quarta ſacrorum exercitiorum, quæ ſupponitur feria quinta, ſpecialiter dedicabitur verbo incarnato, & Deo abſcondito in Sacramento altaris.

2. Singula exercitia hujus diei ſpecialiter offerentur tum pro impetranda ſibimetipſi efficaci gratia ad devincendas omnes occurrentes tentationes, & ad generoſam ex illis victoriam reportandam, tum pro omnibus graviter tentatis & afflictis, præcipuè pro agonizantibus.

3. Teſſera ſpecialis pro hac die iſta erit: fortaſſis huic ipſi actioni Deus robur Divinæ gratiæ ad vincendas tentationes incluſit; ergo ne mihi ſubtrahatur gratia, ex tentatione

ne reportandi victoriam, in hac actione nihil negligam.

4. Aſpirationes frequentiores erunt:

O ſalutaris hoſtia,
Quæ cœli pandis oſtium,
Bella premunt hoſtilia,
Da robur, fer auxilium.

5. Mane pro lectione ſpirituali ex libello de imitatione Chriſti ex lib. 3. cap. 8. de vili æſtimatione ſui ipſius in oculis Dei, & cap. 20. de confeſſione propriæ infirmitatis, & vitæ hujus miſeriis. Item cap. 40. ejusdem lib. quòd homo nihil boni ex ſe habet; & de nullo gloriari poteſt.

6. Meditatio prima de humilitate: ſecunda de patientia. Tertia de uſu temporis

7. Lectio matutina de agenda pœnitentia, Pomeridiana de generoſis victoriis faciendis contra gulæ illecebras, & contra recreationum exceſſus.

8. Examen particulare de patientia & manſuetudine.

9. Lectio veſpertina ex ſacra Regula erit caput ſeptimum de gradibus humilitatis.

10. Conſideratio veſpertina de cavendâ puſillanimitate, & firma fiducia in Deo ponenda.

ME-

MEDITATIO I.
De
Humilitate.

Punctum 1. De cognitione ſui ipſius. 2. De exemplo Chriſti & Sanctorum ad humilitatem nos provocante. 3. De exercitio humilitatis.

Præludium.

ECce! *Dies ſpeculationis tuæ viſitatio tua venit.* Speculare teipſum, inſpice ſpeculum. Micheæ 7. v. 4.

Punctum I.

Conſidera vultum nativitatis tuæ in ſpeculo. *Quid autem habes, quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid glorìaris, quaſi non acceperis?* ſpeculo ſimilis eſt homo, Speculum ex ſe nihil habet, nihilque eſt, niſi fragile vitrum; quidquid enim oculis intuentium repræſentat, id totum recipit ab objecto extra poſito. Sic & tu ô homo omnis, talem duntaxat habes, & refers formam, tale corpus, talem ſtaturam, talem animam, talia talenta, qualia â Deo accepiſti. *Quis autem veſtrum cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* Nulla eſt illuminatio mundo, niſi â ſole, nulla repræſentatio 1. Corinth. 4. v. 7. Matth. 6. v. 27.

in ſpeculo, niſi ab objecto extra poſito, nullum tibi donum, ſive naturæ, ſive gratiæ niſi â Deo. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate, & neque, quod minimum eſt, poteſtis,* niſi peccare, & in ſingula momenta deficere. Unde non ſolùm ſumus inſtar ſpeculi fragiles, ſed quovis etiam vitro fragiliores. Sumus quoad corpus, non tantùm omni horâ variis caſibus, non tantùm variis morbis, ac læſionibus, ſed ipſi quoque Parcarum falci ſubjecti. Quâcunque horâ ſpeculum ab alto delabitur, diffringitur, & quâcunque horâ Deus â te aufert manum ſuam, in pulverem tuum revertêris. Fragiles ſumus quoad animam, ſive conſideremus nos ſecundùm naturam, ſive ſecundùm gratiam, quippe quemadmodum hodie nemo tam robuſtus, quin cras poſſit eſſe funus, ſic pariter nemo hodie tam ſapiens aut doctus, quin cras poſſit fieri amens, ac phreneticus, nemo hodie tam juſtus, quin cras poſſit eſſe peccator. *Itaque, qui exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat.* Sed humiliet valde ſpiritum ſuum.

Philipp. 2. v. 13. Luc. 11. v. 26. 1. Corinth. 10. v. 12. Eccli. 7. v. 19.

Punctum II.

Sap. 7. v. 26. Inſpice *ſpeculum ſine macula*, aſpice conſidera Magiſtrum humilitatis Chriſtum Dominum. *Ecce plus quam Salomon hic!* Luc. 11. v. 31.

can-

candor est enim lucis æternæ. Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Et tamen semetipsum exinanivit formam servi accipiens, & *cum iniquis reputatus*, adeo *humiliavit semetipsum.* Adeô ad omnem humiliationem & vilipensionem se demisit, ut in veritate ore Prophetæ asseverare potuerit: *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput.* Ecce hic nobis acclamat: *Exemplum enim dedi vobis.* Hujus quasi præcipua & fundamentalis lectio est: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Nihil scit, qui prima fundamenta ignorat, nihilque adhuc in Schola Christi didicit, quisquis necdum humilis existit. Non est turpior error, quàm errare in primis principiis, nec fædius quidquam, quàm superbire terræ pulverem, ubi excelsus Dominus, mundique fabricator usque ad nostræ mortalitatis vilitatem se humiliavit: *Intolerabilis enim impudentia est, ut, ubi sese exinanivit majestas, vermiculus infletur, & intumescat.* Intolerabilis malitia est, velle potiùs imitari superbum Diabolum, quàm humillimum Jesum, ejusque humillimam matrem, & tot Sanctos; nam *summi Sancti apud Deum, minimi sunt apud se,* & tu tibi

Sap. 7. v. 26
Hebr. 7. v. 26.
Philipp. 2. v. 7.
Marc. 15. v. 28.
Philipp. 2. v. 8.
Psal. 21. v. 7. & 8.
Joann. 13. v. 15.
Matth. 11. v. 29.
Libell. de imit. Christi lib. 2. cap. 10.

tibi magnus videaris? qui tamen *in peccatis natus es totus.* *Sal infatuatum*, quod
Joann. 9. v. 34.
ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Ficulnea infructuosa, jam dudum promerita
Matth. 5. v. 13.
maledictionem æternæ damnationis, speculum plenum maculis, monstrosum totum. Teipsum benè inspice, & caveſis, ne similis fias illi, *qui consideravit* se in speculo,
Jacob. 1. v. 24.
& abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit. Sed memento semper, te esse *ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum.*
Psal. 17. v. 43.

Punctum III.

Teipsum velut speculum inspice, & in pondere sanctuarii tecum expende, quidnam imposterùm repræsentare, & intuentibus exhibere velis? illud nempe, quod ante speculum ponit, tibique proponit Sanctus Pater Benedictus expressissimis hisce
S. Reg. c. 7.
verbis: *non ipso solum corde* Monachus, *sed etiam corpore humilitatem videntibus se semper indicet.* Humilitatem semper indices ac repræsentes coram oculis Divinæ majestatis, *sicut publicanus ille Evangelicus, fixis*
loco cit.
in terram oculis dixit: Domine non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad cœlum. Humilitatem indices ac repræsentes coram hominibus, in obeditionem Divinæ scripturæ commonefacientis: *omnes*
1. Petr. 5. v. 5. & 6.
autem invicem humilitatem insinuate; quia Deus

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: humiliamini igitur sub potenti manu Dei. Et non reputes, te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem te esse sentias. Humilitatem imposterùm semper indices ac repræsentes, per humiliationes, ac exercitia humilitatis, te ad omnia indignum reputando, viliora eligendo, teipsum vilipendendo, te ex corde confundendo, in proprio contemptu gaudendo, proprias vilipensiones ac confusiones amando, quemadmodum ille, qui ajebat *bonùm mihi, quia humiliâsti me.* Exhibens deinceps parvulum, quem Christus humilitatis Magister in medio suorum discipulorum statuit. Immo toto pectore satage, ut illum in humilitate parvulum repræsentes, de quo scriptum habetur. *Parvulus natus est nobis;* nam *nisi efficiamini, sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Libell. de imit. Christi lib. 2. c. 2

Psal. 118. v. 71.

Matth. 18. v. 2.

Isaiæ 9. v. 6.

S. Bernard. Serm. 3. sup. missus.

BONA PROPOSITA
Ex
Præsenti Meditatione.

1. CORam Deo ubique præsente cum profundissima demissione, & mei ipsius abjectione semper versabor: dicens cum Propheta ex corde ad Deum: *substantia mea tanquam nihilum ante te.* Ps. 38. v. 6.

2. De

2. De nullo opere aut actione vanam complacentiam admittam, sed me velut operarium malum & indignum judicabo, illicò coram Deo me humilians, ac dicens:
S. Reg. c.7. *ad nihilum redactus sum, & nescivi: ut jumentum factus sum apud te.*

3. Quotiescunque me ab aliis reputari, vel æstimari inaudio, statim meipsum confundam, & totum in Deum refundam, ex
Ps. 113. v.9. corde contestans: *non nobis Domine, non*
Dan. 9. v.7. *nobis, sed nomini tuo da gloriam, nobis autem confusio faciei,*

4. Per plures quotidie internos actus efficaciter desiderabo, ab omnibus vilipendi, despici ipsâque terrâ indignus reputari.

5. Eos, â quibus vilipendor, spernor, aut contumeliâ afficior, speciali amore complectar, atque pro ipsis tanquam pro meis benefactoribus meas preces offeram, & pro opportunitate specialia charitatis signa eisdem impendere satagam.

6. In verbis, in gestibus, ac in omnibus moribus semper conformiter Sacræ Regulæ humilitati studebo.

7. Alios quoque exteriores humilitatis actus ad meam majorem confusionem pro tempore & occasione exercere consuescam, præsertim talia humilitatis exercitia non negligam, in quibus, natura vel irrisionem, vel æstimationis diminutionem, aut aliud hujus-

hujuscemodi fictum sui præjudicium veretur.

LECTIO SPIRITUALIS
Tempore matutino.
ARGUMENTUM.

INstar gementis columbæ in cavernis maceriæ sedere, *mala sua præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri : de ipsis malis de cætero emendare, hæc* Monacho congruunt. Ecce vox clamantis in deserto ad te hodie, prædicans tibi baptismum pœnitentiæ, & ingerens auribus cordis tui illud Divinum monitorium : *Memor esto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo!* subitòque extinguetur lucerna vitæ, & tunc digni à te exigentur fructus pœnitentiæ, compelleris que rationem reddere de tuo habitu pœnitentiæ, deque tuo officio. Nam *Monachorum est proprium, sine intermissione pœnitentiam agere, & tam pro suis, quàm pro alienis peccatis jugiter orare.* Officium Monachi est plangere, & sua aliorumque peccata deflere, ita, ut *vel se lugeat infirmus, vel mundum perfectus, & Domini pavidus præstoletur adventum, quoniam Monachus est afflictus &*

S. Reg. c. 4.

Apoc. 2. 1. 5

Joannes Trith. hom. 14.

S. Hieron. ad Rusticū.

Joann. Climacus grad. 1. c. 1.

Cauf. 16. q. 1. c. 8. Placuit 2. S. Regul. c. 49.

& mœrens animus, unus tristis. Sedeat ergo tristis, & officio suo vacet, nunquam non memoriâ volvens, quòd *omni tempore vita Monachi quadragesimæ observationem debeat habere;* Præcipuè verò tempore Sacræ hujus solitudinis ad aures cordis pateat introitus illis Ecclesiæ verbis. *Ecce advenerunt nobis dies pœnitentiæ, ad redimenda peccata, ad salvandas animas.* De pœnitentia itaque religioso homine dignâ in præsenti dissertatione coram Deo tecum impensè tractabis.

Primò quidem perfectam pœnitentiam dignosque pœnitentiæ fructus germinare intendens, cum Naaman Syro lavet se septies in Jordane, hoc est instituat accuratam ac seriam, nisi generalem, saltem annualem confessionem. Circumeat diligenti examine civitatem Jericho, id est suam peccaminosam conscientiam. Accendat lumen per invocationem Spiritûs Sancti, & perlustret in lucerna Studiosæ discussionis totum tabernaculum conscientiæ suæ. Everrat totam Domum, & dicat cunctis conscientiæ latebris; *abjicite Deos alienos, qui in medio vestrî sunt, & mundamini, ac mundate vestimenta vestra,* percutiat jaculo Divini amoris, & virga contritionis petram cordis, donec fluant aquæ compunctionis, ac submergant totum exercitum Pharaonis, universa nempe delicta, & abster-

4. Reg. 5.

Josue 6.

Genes. 35. v. 2.

abstergat omnes maculas conscientiæ. Petat non solùm septies, sed septuagesies septies cum humilitate & compunctione cordis veniam à Deo offenso, & dicat cum leproso plenus fiduciâ: *Domine! si vis, potes me mundare*, sed debitè præparatus ostendat se & sacerdoti, cautè præcavens, ne verecundiâ instar Rachelis vel ullum abscondat idolum. Siquis verò ab integra peccatorum enarratione sive per verecundiam, sive per timorem, sive per humanum respectum, sive per somniatum præjudicium, sive per quemcunque Diaboli astum præpediri, & retrahi se senserit, proponat sibi ante mentis oculos Christum dulcissimum animarum medicum super civitate Jerosolyma amarè flentem, eumque ita ad cor suum loquentem inducat: *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Ecce pax & gratia Domini nostri Jesu Christi, amicitia Dei, osculum Spiritûs Sancti, Societas justorum, liberatio â captivitate Dæmonum, solutio â vinculis peccatorum, ablutio scelerum, stola prima, indumentum justitiæ, quies conscientiæ, spesque salutis tibi hodie offertur, noli itaque negligere tantam felicitatem; nam quid felicius? quid securius? quid jucundius, quam per puram conscientiam & mentem consciam recti epulari in

Luc. 8. v. 2.

Genes. 31. v. 34.

Luc. 19. v. 42.

azymis ſinceritatis ? quid porrò è contra infauſtius, quàm inter tot ſalutis media, in tot religioſis exercitiis ac laboribus fatigari absque fructu, imo cum ſummo æternæ ſalutis diſcrimine, & ubique ad omnia exercitia vulneratam conſcientiam ipſumque cacodæmonem ſecum circumferre in pectore ? cave, nequid deterius tibi contingat ; *quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique, &c. eòquod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Eoquôd confiteri nolueris, cùm potueris, veniet, dies, quo nec poteris, cùm volueris; ergo cùm modò poſſis, vince verecundiam, confunde Diabolum, vi humiliationis repelle vim confuſionis, *revela Domino viam tuam, & ſpera in eum*, apprehende medelam, da locum inſpirationi Spiritûs Sancti.

Lucæ 19. v. 43.

1. Reg. cap. 7.

Secundum ad perfectam pœnitentiam requiſitum eſt, non ampliùs redire ad vomitum, ac ſummoperè cavere, ne ampliùs cadamus in laqueum, poſtquam *laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Pœnitentiam quippe agere, eſt perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut diſſimulat, aut ignorat.* Pœnitentiam agere eſt *profiteri & affirmare, ſe ulteriùs non peccaturum,* ſem-

Pſal. 123. v. 7.

S. Greg. homil. 34. in Evang.

Lactantius libr. 6. inſt.

ſemperque memori mente volvere illud beatæ Catharinæ Genuenſis: *ô amor mi! nullum poſthac peccatum.* Tunc pœnitens per oculos ſuos ſalubres emittit fontes aquarum, ſi *aquæ ejus fideles ſunt*, ſi fideliter cuſtodiunt bona emendationis propoſita, quæ promittunt, ſi nunquam mentiuntur, nec unquam ceſſent humectare maxillas, ſed imitentur Pœnitentiam Petri, qui lapſum ſuum totâ ſuâ vitâ defleviſſe legitur. Et quid non egit David poſt ſuum lapſum? *quoniam iniquitatem ego cognoſco* (inquit) *& peccatum meum contra me eſt ſemper. Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Potum meum cum fletu miſcebam, fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Ecce ita ſuum lapſum deflevit Rex tantus de remiſſione ſuorum peccatorum jam certus, poſtquam ex ore Nathan jam audivit illud conſolatione plenum Divinum Oraculum: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Et quid ego? quid alius, de remiſſione ſuorum peccatorum ſimili revelatione necdum certus? cui adhuc dicitur: *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu. Oportet ergo nos recordari priora delicta, etiam ea, pro quibus veniam conſecuti ſumus, ut intuentes, quàm ingentem modum debiti remiſit nobis Deus, ampliùs eum diligere poſſimus, & verecundiam*

Iſaiæ 33. v. 16.

Pſal. 50. v. 5.

Pſal. 6. v. 7.

Pſal. 101. v. 10.

Pſal. 41. v. 4.

2. Reg. 12. v. 13.

Eccli 5. v. 5.

S. Chryſoſt. libr. 2. de compunct.

diam pudoremque concipere, atque ex his corde compungi, considerantes, quòd ni miseratio ipsius subvenisset, tantum illud peccatorum pondus sine dubio nos in imis inferni pœnis suppliciisque pressisset.

Tertiò ad perfectam pœnitentiam spectat, per austeram ac pœnitentiâ dignam vitam pœnitentiæ operibus insudare; *nam cogitandum summopere est, ut, qui se illicita meminit commisisse à quibusdam etiam licitis studeat abstinere; quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, ut qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa, & se reprehendat in minimis, qui se meminit, in maximis deliquisse.* Unde Nicolaus Lanicicius asseverare non dubitat, eum *qui in seculò malè vixit, obligatum esse ad amplectendum statum Religiosum.* Verùm quid juvat statum religiosum, statum pœnitentiæ amplecti? statum pœnitentiæ profiteri, & habitum pœnitentium gestare, nisi identidem fructus dignos pœnitentiæ fructificemus? nisi simus assidui in pœnitentiæ operibus? nisi pro nostra possibilitate discretè imitemur illum Victorinum, qui (eodem Sancto Gregorio Papa loco citato narrante) *reatus sui consideratione compunctus erexit se contra se, mundi hujus omnia dereliquit, Monasterium petiit, in quo nimirum Monasterio tantæ humilitatis, tantæque sibi districtionis extitit, ut cuncti fratres*

S. Gregorius homil. 34. in Evang.

Opusc. 1. cap. 1.

fratres, qui illic ad amorem divinitatis excreverant, ſuam cogerentur vitam deſpicere, dum illius pœnitentiam viderent. Studuit namque toto mentis adniſu cruciare carnem, voluntates proprias frangere, furtivas orationes quærere, quotidianis ſe lacrymis lavare, deſpectum ſui appetere, oblatam à fratribus venerationem timere &c. Audiant (ait Sanctus Ambroſius) *qui agunt pœnitentiam, quo modo agere debeant, quo ſtudio, quo affectu, quâ mentis intentione, quâ intimorum concuſſione viſcerum, quâ cordis converſione. Vide, inquit, Domine, quia tribulor, venter meus turbatus eſt à fletu meo, converſum eſt cor meum in me. Cognoviſti intentionem animi, fidem mentis, cognoſce & habitum corporis. Sederunt, inquit, in terra, tacuerunt Seniores filiæ Sion, & impoſuerunt terram ſuper caput ſuum, præcinxerunt ſe cilicio? Virgines Hieruſalem defecerunt in lacrymis, oculi mei caligaverunt. Sic flevit & Ninive populus, & denunciatum excidium civitatis evaſit.* Talem & nos pœnitentiam agere debemus, ad ſimilia pœnitentiæ opera cohortante nos ſcripturâ: *accingite vos, & plangite Sacerdotes, ululate miniſtri altaris, ingredimini, cubate in ſacco miniſtri Dei mei.* Nam *domus luctûs monaſteria ſunt* (aſſerit Sanctus Chryſoſtomus) *ubi cinis, ubi cilicium, ubi ſolitudo, ubi riſus nullus,*

Libr. 2. de pœnitentia.

Joël 1. v. 13.

nullus, nullus negotiorum sæcularium strepitus. Ibi videre licebit beatum Constantinum Claræ vallensem Monachum veræ pœnitentiæ exemplar, asperrimo cilicio assiduè indutum, lacrymarum imbribus continuò perfusum, singulis noctibus bis usque ad sanguinis fluenta se flagellantem, integro anno Solo pane & aquâ victitantem, & nec unquam oculos levantem, uti refert Bucelinus in suo Menologio ad diem 21. Junii. Ibi se offeret *pœnitentium omnium ad posteritatem sæculorum omnem, illustrissimum speculum*, Sanctus Dominicus Loricatus (nam hic uti Bucelinus in suo Menologio ad 14. Octobr. loquitur) *diebus singulis duo Psalteria modulando, utrâque manu scopis armatâ, nudum corpus crudelissimâ flagellatione, & quidem ad incurvam senectam atterebat, quin & nonnunquam die cum nocte continuato: novem omnino tali modo psalteria absolvebat &c. Inediæ adeò patiens erat, ut panem cum fœniculo summas reputaret delicias.* Ibi oculos conjicere licebit in Sanctum Rudolphum, tanquam in stupendum pœnitentiæ ac rigoris exemplum, de quo ex Sancto Petro Damiano hæc pauca duntaxat affero: *Edebat panem, non fratrum,* Libr. 1. Epist. 19. *non denique puerorum; sed eum, qui vel ex puro fieret hordeo, vel ex cantabro potiùs, quod projiciendum canibus de puerorum manibus*

nibus

nibus remansisset. Et licet præter celebriores dies hoc esset quotidie pane contentus, mensuram tamen attentiùs æquitatis lancibus appendebat. Unde mihi quandoquè conquestus est, quia si sibi mensura concederetur, hunc eundem panem prurienti gulæ largiùs indulgeret, &c. aliquando verò etiam diebus Dominicis pulmentum nesciens, pomis tantùm, & pane cum aqua vivebat. Ferreo circa pectus cingulo jugiter cingebatur; quem tamen circulum sub ilia dimersum, dum coram fratribus nudaretur diligentiùs occultabat. Nunquam scilicet capitulo confessor intererat, in quo non acciperet disciplinam; & tunc festivus exultabat, si non ab uno tantùm, sed à duobus flagellari fratribus juberetur. Sæpe pœnitentiam centum suscipiebat annorum, quam scilicet per viginti dies allisione scoparum, cæterisquè pœnitentiæ remediis persolvebat. Psalterium quotidie, cùm duo non posset, unum saltem non negligebat implere, quod nimirum, cùm esset in cellula constitutus, armatâ scopis utraque manu, totum cum disciplina continuare consueverat, &c. Hæc & millena alia similia nostrorum majorum exempla procul dubio nos accendere deberent, si non ad æqualem, saltem ad aliqualem pœnitentiam; potissimùm verò nostra ferrea pectora penetrare deberent illæ lacrymæ Christi, quas appropinquans Jerosoly-

mis profuderat; nam percontanti, cur ita Jerosolymis illacrymatus sit Dominus, respondet Sanctus Ambrosius: *Dominus Hierusalem flevit, quia ipsa flere nolebat.* Hinc illæ lacrymæ Christi, quia nos non ponimus planctum in planctum, & nostra tâm raro deflemus peccata: hinc illæ lacrymæ Christi, quia frequentiores sumus in risibus, quàm in fletibus, frequentiores in relaxatione, quàm in compunctione, promptiores ad recreationum solatia, quàm ad opera pœnitentiæ: hinc illæ lacrymæ Christi, quia tam raro afflictæ condolemus Ecclesiæ, & tam parcè adimplemus plangentis officium, hinc illæ lacrymæ Christi: hæ lacrymæ Christi cum lacrymis tot Sanctorum aliquando in tremendo judicio perorabunt contra omnem Religiosum siccum, & dignæ pœnitentiæ fructibus vacuum. Quare, ne & nobis forsitan quid simile eveniat, *ploremus fratres* (utor verbis beati Macharii) *& producant oculi nostri lacrymas, antequam illuc hinc eamus.* Tu verò, ô mater dolorosa, juxta crucem lacrymosa interveni pro tuis indignis famulis, ut intrent ad astra flebiles, & abstergat Deus ibidem omnem lacrymam ab oculis eorum.

Lib. 2. de pœnitent.

in vitis Patrum lib. 3. de compunct.

ME-

MEDITATIO II.
De
Patientia.

Punctum 1. De necessitate patientiæ præcipuè in Religiosis. 2. De præstantia & utilitate patientiæ. 3. De generoso spiritu ad patiendum.

Præludium:

PRo imitationis exemplo tibi statue beatum Nesteronem, ita seipsum manifestantem: *Quando intravi in initio in congregationem, dixi animo meo: Tu & asinus unum estote. Sicut enim asinus vapulat, & non loquitur, injuriam patitur, & non respondet, sic & tu; quemadmodum in psalmo legitur: ut jumentum factus sum apud te.* Talis esto, & bonus Religiosus eris. in vitis Patrum lib. 5. libell. 15. n. 30.

Punctum I.

Considera, & expende verba Apostoli, contestantis: *Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Hebr. 10. v. 36. Patientia nobis necessaria est ad æternam salutem: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,* in illam civitatem, ubi Act. 14. v. 21.

Portæ nitent margaritis,
Adytis patentibus ;
Illuc introducitur
Omnis, qui ob Christi nomen
Hìc in mundo premitur.
Tunsionibus, pressuris
Expoliti lapides,
Suis coaptantur locis,
Per manus artificis
Disponuntur permansuri
Sacris ædificiis.

Ecce instar lapidis tunsionibus ac pressuris expoliendus est, quisquis ad sacra cœlorum ædificia ceu lapis vivus aptari desiderat. Il-
3. Reg. 6. v. 7. lud magnificum Salomonis templum *de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est, & malleus, & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur*, in signum, quòd tales dolati perfectique lapides debeant esse electi, aliquando in cœlis collocandi, ita, ut inter tunsiones & pressuras inter adversitatum malleos, ac inter afflictionum secures non murmur resonet, non querimonia, sed corde tacito mens benè conscia conservet patientiam. Patientia nobis Religiosis præcipuè est necessaria;
ad Titum 2. v. 12. quia procul dubio idcirco religiosum statum amplexati sumus, ut *justè, & piè vivamus*
2. Tim. 3. v. 12. *in hoc sæculo.* Atqui *omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.*

tur. Utique volumus esse ex illis, qui in nostra sacra Regula ad Dominum asseverant: *Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus, ut oves occisionis.* *Et securi de spe retributionis Divinæ subsequuntur gaudentes, & dicentes: sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Quapropter *nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.*

Cap. 7.
1. Theff. 3. v. 3.
Rom. 15. v. 4.

Punctum II.

Considera, & vel ex hoc uno per patientiam adversa æstima; *id enim, quòd in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* O felix commutatio, prò momentanea & modica tribulatione recipere sempiternas delicias, quæ exsuperant omnem sensum! Deus *modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Modica adversitatis spina fructificat plurimas rosas immarcesibiles, patientia decerpit, constantia inde nectit gloriæ perennis corollas. *Nihil Deo acceptius, nihil tibi salubrius in mundo isto, quàm libenter pati pro Christo. Quid vero in ipsarum tribulationum laudibus dicendum est, quum ipsæ glorificent Creatorem, compellant ad Deum acce-*

2. Cor. 4. v. 17.
1. Petr. 5. v. 10.
de imitat. Christi lib. 2. c. 12.
S. Laurentius Justinianus in ligno vitæ cap. 3.

accedere nolentem, erudiant ignorantem, custodiant virtutes, protegant infirmantem, excitent torpentem, humilient superbientem, purgent pœnitentem, cum Deo socient laborantem, debilitent impugnantem, coronent innocentem? Nam sancti viri quot tribulationes patiuntur, tot victoriæ palmas merentur in cœlis.

Ecce tot tamque præclaros fructus germinant tribulationes! hos procul dubio minimè ignoravit, qui dixit: *Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.* Et certè *siquidem aliquid melius & utilius saluti hominum, quàm pati fuisset, Christus utique verbo & exemplo ostendisset.* Quapropter *fili mi, ne abjicias, nec deficias, cum ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus corripit, & quasi Pater in filio complacet sibi.*

Job.6.v.10

de imitat. Christi l. c.

Proverb. 3. v.11. & 12.

Punctum III.

Considera, & expende illud notum distichon:

Dulcia non meruit, qui non gustavit amara.
Sustine amara modò, & veniet post nubila Phœbus.

Nullus athleta generosus in stadio balnea quærit, aut mensam cibis & vino redundantem. Hæc non est athletæ, sed delicati, athleta namque

S. Joannes Chysostom. homil. 67. ad Popul.

que pugnat pulvere, oleo, ſalis ardore, ſudore longo, tribulatione, & anguſtia. Hoc eſt certaminis tempus & pugnæ, igitur & vulnerum, & cruoris & doloris. Suſtinendum eſt aliquid in via, ut tantò dulciùs epulemur in Patria, animosè transvectandum eſt inter adverſitatum fluctus per hujus mundi pelagus, ut in litore æternæ felicitatis tantò amœniori tranquillitate fruamur. Ambulandum eſt modò per deſertum variarum afflictionum, in terra deſiderabili omnia lacte & melle manabunt. Per viam crucis præceſſit dux ac ſignifer noſter Chriſtus, impavidus ſequatur miles. Pati ſitiens ſuſpirat Thereſia: *Domine, aut pati aut mori.* Exclamat ſancta Magdalena de Pazzis, *non mori, ſed pati, nunquam patiendi ſatura,* tribulationes ac cruciatus eſuriunt aliæ teneræ virgines, & viri abſque pudore adverſa refugiant? aurum eſſe renuit, qui ignem tribulationis non diligit. Quare, quisquis rectè ſapis, & ſentis: *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.*

Breviar.

Lyræus lib. 6. cap. 2.

Eccli. 2. v. 4. & 5.

BO-

BONA PROPOSITA
Ex
Præſenti Meditatione.

1. QUotidiè plures affectus & deſideria pro Chriſto multa patiendi eliciam.

2. Omnem circumſpectionem ac cautelam adhibebo, ne impatientia, aut querela contra quaſcunque adverſitates mihi unquam ſubrepat.

3. Sin verò vel minima impatientia aut querela mihi irrepſerit, protinus meipſum reprehendam, meque ipſum confundam, dicendo, ecce tanta pro Chriſto pati deſideras, imo pro Domino etiam mori deberes, & tam modica patienter ſufferre non vales!

4. Illum diem quaſi perditum exiſtimabo, quo pro Domino nihil tribulationis aut afflictionis patienter ſuſtinui.

5. Pro quâlibet afflictione Deo quantociùs gratias agam, nunquam non memor, illius cœleſtis Doctrinæ, quam ipſe Chriſtus Dominus beatæ Baptiſtæ Veranæ hiſce dedit: *Gratias age ex corde Deo pro pœnis, quas tibi pro ſua benignitate præparavit, & doleas amarè de iis, quas tibi non præparavit, ob tuam ingratitudinem, & exiguum Spiritum.*

Chron. S. Franciſ. l. 7. cap. 24.

6. Ad

6. Ad exemplum ſanctæ Thereſiæ, illos, qui me aliquâ injuriâ, vel quâcunque afflictione affecerunt, ſemper ſpeciali amoris benevolentiâ complectar.

EXAMEN PARTICULARE.

De Patientia & Manſuetudine.

1. Utrum nunquam ſis vel tædioſus in tuis religioſis exercitiis, vel in officiis tibi injunctis?

2. Utrum nullâ impatientiâ tangaris, quandò tibi aliquid pro tua voluntate non ſuccedit? vel quandò contra tuam voluntatem aliquid accidit.

3. Utrum patienter ſuſtineas occurrentes corporis dolores, frigus, calorem, & ejusmodi moleſtias?

4. Utrum ariditates mentis, deſolationes animi, & ſimiles internas afflictiones Spiritûs patienter & cum plenâ reſignatione in Divinam voluntatem ſufferas?

5. An in tentationibus, & in aliis difficultatibus occurrentibus patientiam amplecti, animique tranquillitatem conſervare ſatagas?

6. Utrum, cùm loquendum ſit ſive cum

con-

confratribus, ſive cum ſuperioribus, ſemper manſueto modo & lenibus verbis utaris?

7. An non fortè econtra aſperioribus verbis, vel ſaltem oſtenſis impatientiæ, aut indignationis aut tædii ſignis quandoque reſpondeas?

8. An pœnitentias, correptiones, irriſiones, & quaſcunque ſive apparentes, ſive veras injurias ſereno ſemper vultu, & tranquillo animo ſuſcipias?

9. An verò econtra propter ſimilia ſubinde longas internè tecum concoctiones inſtituas, aut omnino externè in querelas, murmurationes, aliave impatientiæ ſigna coram aliis erumpas?

10, Utrum injuriantibus vel offendentibus te beneficia rependere, ignoſcere, parcere, affabiliter loqui, atque pro eiſdem Deum exorare ſoleas?

11. Utrum denique in omni converſatione te manſuetum, tranquillum, affabilem, ac omnis bilis expertem exhibeas, omneſque exurgentes motus, & irreligioſos geſtus ſtrenuè cohibeas?

LE-

LECTIO SPIRITUALIS
Pro
Tempore Pomeridiano.
ARGUMENTUM

Ita corporali refectioni & recreationibus indulgendum eſt, ut nullâ ex parte ſuccumbamus, ſed utrobique diteſcamus victoriis.

ECce duplex victoriarum campus hodie immo quotidie nobis aperitur, apprehendamus arcum, ſcutum, gladium & bellum, ac mittamus falcem in meſſem. Contra corpus hoſtile in duo cornua diviſum quotidie ſunt conſerendæ manus. Victoriæ palmæ decerpendæ ſunt, tum ex corporali refectione, tum ex recreatione. In utrumque cornu ventilandum eſt cornu noſtrum, cornu cautæ circumſpectionis, ac conſtantis mortificationis, cum neutra harum neceſſitatum pugnam omnino declinare poſſumus, hinc victoria aut evincenda aut perdenda eſt. Ex utraque parte non armorum feritate, ſed blandâ ſuavitate provocamur ad pugnam, hinc ita in arenam deſcendendum, ut ex divo Auguſtino aſſeverare liceat: *Adverſus iſtam ſuavitatem pugno, ne capiar,* Lib. 10. *& quotidianum bellum gero in jejuniis, ſæ-* confeſs. c. 31.

pius in servitutem redigens corpus meum. Ne secus mihi contingat sicut quondam justo Lot, ecce Lot in Sodomis â peccato mansit innocuus, & extra Sodomam in ipso monte, in spelunca à propriis duâbus filiâbus est pollutus. Gulam quippe, & recreationem studiosi tempore studiorum persæpe adeò amore deperire addiscunt, ut easdem quasi generare, & veluti charas filias enutrire videantur. Cum his deinde filiabus Sodomam seu sæculum relinquunt, ad montes, & speluncas, sive ad monasteria & ad solitudinis claustra cum eisdem se conferunt: ast ibi jam opus est labore & vigilantiâ magnâ, ne istæ duæ studiosorum filiæ propinent vinum, ne dolo & supplantatione utantur, ut queant frui cupitis, concipere, ac parere iniquitatem. In utroque certamine dupliciter succumbere possumus, nempe tam negatione, quàm concessione nimiâ. Utrobique tam cautè vibranda sunt tela, tum ne nimium indulgendo nutriamus hostem, tum ne nimium subtrahendo, occidamus civem; & ille in utroque præliorum genere solùm non succumbit, qui medium attingit. Sed quis instituet manus nostras ad prælium? quis docebit nos discretionis æquilibrium? Nemo procul dubio meliùs, quàm qui id hausit cœlitus, qui grato animo ita ad Dominum orat: *Hoc me docuisti, ut quem-*

Genes. 19.

S. Augustinus loc. cit.

quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. Huic itaque Auguſtini textui & ſimilitudini inſiſtendo

Primò id ſolum, & non plus nec aliud de cibo, de potu, deque recreatione admittendum eſt, quod & quantum ad conſervandas neceſſarias vires, & ad proprias ſui ſtatûs vel officii functiones debitè adimplendas prudens experientia neceſſarium judicaverit, quod ſupereſt, tanquam ſuperfluum & vitioſum amputandum eſt; nemo enim prudentum ſumit medicinam, niſi propter neceſſitatem, niſi propter ſanitatem vel recuperandam, vel conſervandam, nec facilè reperies tantæ ineptiæ hominem, qui ſumit toxicum ad ſolum ſatiandum appetitum, vel ſolius oblectationis, aut oſtentationis gratiâ; aſt quid eſt aliud cibum aut potum admittere ad ſolum ſatiandum appetitum, ſolius oblectationis & guſtûs gratiâ, niſi ſuam conſcientiam potare peccati veneno, animam lædere, Deum offendere, Diabolo jocum facere, gulæ herbam porrigere, victoriæ palmam negligere, ſuccumbere, ſeque ſenſuali appetitui in ſervum tradere? Et quisquis aliter ſentit, Eccleſiæ contradicit, conſentitque ſententiæ ac propoſitioni illi, ab Innocentio undecimo damnatæ: *Comedere, & bibere usque ad ſatietatem absque neceſſitate, ob ſolam voluptatem non eſt*

peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui. Eodem modo sentiendum est de recreationibus; siquidem oblectatio animi in rebus indifferentibus secundum se est æquè actus indifferens, quàm comedere, & bibere, hinc, nisi fiat ex honesto fine, nempe vel propter necessitatem, vel propter utilitatem, rectæ rationi difformis, â superfluo, & ex vitio est. *Cùm enim* (teste Angelico Doctore apud Gonetum) *rationis sit ordinare, actus à ratione deliberativa procedens, si non sit ad suum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali.* Hoc ipsum confirmat Sanctus Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 3. ita scribens: *Cùm facit homo aliquid, in quo peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.*

in manuali Tract. 3. de act. hum. cap. 13.

Item idem eodem loco paulò inferius: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, licèt officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Unde & ipse Sanctus Augustinus de cantu Ecclesiæ ita scribit, *cùm mihi accidit, ut me amplius cantus, quàm res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.*

Lib. 10. confess. c. 33.

Secundò in medicina sumenda perquam

cautè

cautè attenditur diſpoſitio, ac recipientis complexio; non enim omnibus eadem medicina congruit, neque eadem doſis vel pondus ſervit pro omnibus, ſed alia pharmaca præſcribuntur juvenibus, alia viris, alia ſenibus, alia doſis forti, alia complexioni infirmæ. Eodem modo diſcurrendum eſt de admiſſione cibi & potûs, de indulgentia recreationum; *quoniam* (inquit Sanctus Baſilius) *innatum corporis vehiculum neque nimis laxando fræna, neque rurſus immodicè illa retinendo ad virtutis curſum producere oportet, idcirco & corporum ſtatus, & habitus, & ciborum qualitates ſolerter explorare conveniet, ut valido quidem ac vegeto corpori fræna immittamus, & per inediam, frigidioresque cibos redundantiam caloris arceamus: porrò ſenili & frigeſcenti cibi potusque adjumentum ad ſuſtentandas vires ingeramus. Unusquisque proprium habet donum ex Deo* (inquit Sanctus Pater Benedictus) S. Regul. c. 40.
alius ſic, alius verò ſic. Et ideo cum aliquâ ſcrupuloſitate à nobis menſura victûs aliorum conſtituitur. O ſi tantus Pater, vir omnium juſtorum Spiritu plenus, & diſcretione præcipuus cum ſcrupuloſitate aliorum victum conſtituit! quanta ergo cuilibet adhibenda erit cautela in propria cauſa, in qua rarô quis bonus eſt judex? Præcipuè autem majori circumſpectione indigent juniores,

& in vita Spirituali novelli, tum, ne immaturo fervore leges discretionis transcendant, tum, & longè ampliùs, ne sibimet consultores pessimi, suis inimicis domesticis, propriæ nempe carni, & appetitibus vitiorum incentiva ministrent, in juvenibus enim appetitus edendi ac bibendi plerumque urget vehementior, natura plerumque ad excessus reperitur propensior, ignis ad concipiendas vitiorum flammas proclivior, animus sub recreatione ad dissolutiones, & levitates pronior, Spiritus ad refrænandas habenas infirmior, opus habens ad evaginandum mortificationis gladium calcaribus, & continuâ memoriâ illius aureæ tesseræ, à nostro Ludovico Blosio datæ: *frustra itaque ad Spiritualem vitam assurgere nititur, qui gulam necdum refrenare conatur.*

In instruct. ascet. divis. 7.

Tertiò medicina, etiam tempore necessitatis plerumque non nisi aversante stomacho, & cum fastidio sumitur, sic identidem Religiosus Spirituali profectui intentus, etiam necessaria refectionum, ac recreationum solatia perægrè admittit, ad easdem velut ad torturam accedit, sub eisdem piâ afflictione laborat, & avidè exspectat finem; quod enim carni apparet jucundum, id Spiritus amarum judicat, erubescens, quòd instar brutorum ejusmodi naturæ ne-

cessi-

cessitatibus debeat servire, dolens, quòd inimicæ sibi carni debeat favere, metuens, ne asinus benè pastus incipiat recalcitrare, memor periculorum, quæ in similibus occasionibus jam toties subiit, ad memoriam revocans lapsus & insidias, quas Diabolus inter convivia & recreationum solatia multimodè astruere consuevit. Mente volvens historias Sanctorum, qui tam austeram, tam diversam â nostrâ duxerunt vitam. Sic (teste Basilio Finckeneis) Ipse Sanctus Pater noster Benedictus per integram septimanam, non nisi alterà vice cibum admisit, sive veriùs gustavit. Sic (testante Bucelino in suo Menologio) Sanctus Maurus Benedicti Discipulus, *continentia tanta fuit, ut per quadragesimam bis tantùm in hebdomade, & quidem parcissimè cibum sumeret; somnum stando, vel cùm nimia eum lassitudo compulisset, sedendo super aggestum calcis, & sabuli strato cilicio capiebat.* Sic Sanctus Zoerardus ordinis nostri *assiduum carni bellum denunciavit, nec nisi post triduum exhausta jejuniis membra refecit. Quadraginta solemniores Ecclesiæ jejunio dies, solis quadraginta nucibus exegit.* Sic Sanctus Fantinus ordinis nostri *adeò cibi abstinens fuit, ut aliquando dies viginti integros jejunus transigeret.* Sic Sanctus Ebrulphus ordinis nostri *sine cibo dies septem supra*

In 4. cap. S. Regul. inst. 13.

15. Januar.

30. Julii.

29. Dec.

pra quadraginta vixit ſola refectione corporis & Sanguinis Dominici contentus. Sic
7. Aprilis. Sanctus Albertus Monachus noſtri ordinis *ſtupendo ſanè rigore annos quadraginta duos carnem excruciavit, quorum duos & viginti pane, viginti autem reliquos potu etiam omni abſtinuit, â planta pedis ad verticem usque capitis aſperrimo cilicio tectus, ſcamno pro lectulo, ſacco cilicino pro cervicali uſus.* Sic
28. Julii. Sampſon Epiſcopus Dolenſis ordinis noſtri *tantâ fuit abſtinentiâ, ut totam ſæpe hebdomadem jejunus tranſigeret, ſeptimâ tandem die modicè ac frugaliter refectus, in omni vita, omni eo quod vixerat, tam carnium, quàm piſcium refectione abſtinendo.* Sic Sanctus Bernardus Mellifluus *jejunio ita deditus erat, ut quoties ſumendus eſſet cibus, toties tormentum ſubire videretur*, uti teſtatur ipſum breviarium, die 20. Auguſti. Sic Sancta Oportuna Abbatiſſa noſtri or-
23. April. dinis *rigore abſtinentiæ penè incredibili delicatiſſimum corpus exhauſit, ſolis Dominicis diebus paucos & exiles piſciculos admiſit; vino, uti & carnibus perpetuò abſtinuit; feriam IV. & VI. ſine omni cibo tranſegit. Rogata tantæ abſtinentiæ cauſam? Scitè reſpondit: Adam de paradiſo ejectus eſt, quia pomum vetitum manducavit, & nos illuc redire jejunando oportet.* Sic de Sancto Placido noſtro ſcribit Gordianus apud Carolum

lum Stengelium, *quòd omni tempore quadragesimalem vitam ducens, vinum nunquam bibit. In quadragesima Dominico diè, tertiâ & quintâ feriâ, pane tantùm & aquâ contentus erat.* Sic Sanctus Petrus Damiani, qui sub annum circiter 1080. è præsenti ad beatam Vitam translatus, sequentia scribit de Monachis Chamaldulensibus sui temporis: *Jejunare illos dicimus, qui panem cum sale, & aqua percipiunt. Ubi præter hæc aliud quid additur, in eremo jejunium non vocatur. Duâbus autem illis quadragesimis, quæ natale Domini, vel Sanctum Pascha præcedunt, nonnulli fratres hîc sunt, qui totam hebdomadam jejunando discurrunt: & quotidie exceptis Dominicis diebus: in pane & aquâ vivunt. Quidam etiam fratres in utriusque quadragesimæ non solùm quibuscunque festivitatibus, sed & Dominicis diebus coquinatibus abstinent, vescuntur autem pomis, & herbarum radicibus, ac leguminibus infusis, vel etiam elixis.* Hæc & similia millena nostrorum majorum exempla, ad memoriam revocata me planè, & forsan etiam te erubescere ac ingemiscere faciunt: Deus propitius esto mihi peccatori! vidi Monachos, & non sum ego Monachus, consideravi abstinentiæ deditos. *Domine audivi auditionem tuam & timui.* Quoniam ego vorax & gulæ mancipium. quid

In Oeconom. lib. 8. cap. 8.

Opusc. 25. cap. 6.

Habacuc 3. v. 1.

Quid demum commemorabimus de abstinentia antiquorum Monachorum pænitentium, pauca tantùm hîc attexere liceat ex Joanne Climaco inter alia gradu quinto ita differentis. *Ubi apud illos contradictio? ubi festivitas? ubi confidentia? ubi corporis obsequium & cura? ubi vel vestigium inanis gloriæ? ubi deliciarum exspectatio? ubi tenuis vini cogitatio? ubi pomorum degustatio? ubi ferventis ollæ solatium? ubi gulæ ulla illecebra? horum enim omnium apud illos spes nulla erat.* Ego autem, prô dolor, sum in numero illorum, de quibus Paulus ait: *Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri.* Verùm nolo te ejusmodi exemplis ulteriùs terrere; alius enim tale donum habet ex Deo, & alius aliud; non omnibus est datum, instar nostri Sancti Torelli per triginta annos solo pane & aquâ vivere, & per alios triginta annos herbarum & modici tantùm vini usum admittere, quibus tale donum datum est, & *quibus donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem, sciant.* Qui autem sunt infirmi & imbecilles planam ingrediantur viam, non manducare & bibere, sed appetitui servire vitiosum est, eidem verò frænum injicere semper virtutis, & se vincire victoriæ palmâ. Toties animam tuam coronas novo victoriæ serto, quoties appetitum

Rom. 16. v. 18.

16. Martii.

S. Regula cap. 40.

titum triumphas, & quidem tam gloriosis victoriæ coronis pro quâlibet vice, ut quævis earum in immensum omnibus thesauris ac honorum culminibus mundi præponderet. Quoties Philisthæum, appetitum nempe tuum, cultro mortificationis circumcidis, toties de novo ad altiorem gratiæ gradum ascendis, quàm distat cœlum â terra. Ut verò rem tanti momenti hoc loco studiosiùs tractemus, communem illum versiculum altâ mente repone:

Præproperè: Lautè: nimis: ardenter: studiosè.
Ecce quinque hastis nos hostis aggreditur, quinque modis appetitus exactor excedit, quinque rami ad decerpendas inde victoriæ palmas nobis offeruntur, quinque labendi discrimina observanda, cauteque declinanda sunt.

1. Itaque, nempe præproperè appetitui succumbunt, qui extra tempus statutum aliquid de cibo aut potu admittunt; ne itaque quoad hoc succumbas, sed victoriam reportes, imitari contende antiquos Monachos, de quibus Joannes Cassianus ita scribit: *Summâ cautione servatur, ne quis extra mensam quicquam cibi penitùs ori quisquam indulgere præsumat.* *Ultra duas vices in die* (inquit Sanctus Bonaventura) *puerorum seu pecudum more comedere, potum extraordinariè frequentare, religionis temperantiam,* &

Libr. 4. Inst. cap. 18.
In speculo discip. parte 2. cap. 2.

& decorem evidenter offendit. Quæ rogo religio? quæ paupertas, si mox ut esuris, mox ut sitis, volito pareas? saties appetitum, nec eum usque ad statutam horam scias compescere? Unde valde laudandus est ordo Præmonstratensis distinct. 1. cap. 12. n. 40. ita statuens: *Jentacula, merenda, & omnis extraordinaria comestio, atque bibitio quàm strictissimè interdicuntur; & tam visitatores quàm Prælati, ne hæc irrepant, diligenter advigilent.*

S. Bernardus Tract. de Pass. Dom. cap. 41.

In secundo succumbunt, *& lautè comedunt, qui delicatis utuntur cibariis sola delectatione attracti*, ne quoad hoc punctum succumbas, sed gloriosus victor evadas, tibi cordi habeto illam Doctrinam Sancti Basilii: *Eæ omnino nobis præferendæ epulæ sunt, quæ minori possunt negotio comparari. Quod in quâque regione & haberi facilè potest, & vile est, & quo passim populus utitur, eo nobis est utendum.* Quò etiam Sanctus Pater Benedictus respexit, dum in sua Regula cap. 39. pro quotidiana refectione duo pulmentaria præscripsit, & cap. 7. voluit ut *omni vilitate vel extremitate contentus sit Monachus.* Mensa communis apponitur (ait Evagrius de priscis Monachis) *Non opiparis instructa deliciis, sed oleribus & leguminibus. Vivitur pane, leguminibus, & oleribus, quæ sale solo condiuntur.* Sciebant nem-

In Reg. fus. interrog. 19.

Libr. 1. hist. cap. 20. S. Hieronimus Epist. 22.

nempe Sancti Patres qualitate ac lautitiâ ciborum & potuum potissimùm peccari, potissimas victorias negligi. Imprimis quidem peccatur contra paupertatem; nam paupertatis professorem splendidæ epulæ non decent, sed cibus vilis, & mensa pauperum. Secundò contra humilitatem: humilis enim melioribus se indignum reputans, non nisi vilibus vescitur: Thrasones autem hujus mundi ad ostentationem lautè tractari, & quasi de principe tractare desiderant, ut deprædicentur. Tertiò contra religiosam modestiam; quippe ad religionis venerationem pertinet, in omnibus servare moderantiam, & non conformari huic sæculo in epulis ac moribus, sed frugali ac simplici mensâ saltem tacitè sæcularium improbare lautitiam. Quartò inde præbetur occasio scandalis & murmurationibus. Murmurat dives; quia invidet, & sibi præcipi putat splendidum epulum, quod religiosis apponi inaudit. Murmurat pauper propter superfluos sumptus, quibus potuisset succurri multis pauperibus, confirmatur & allicitur sæcularis ad sumptuosa convivia usque in prodigalitatem, dum videt, nec in cœnobiis adeò vigere frugalitatem. Quintò & vel maximè peccatur contra temperantiam; nam lautiores ac delicatiores dapes appetitui non solùm favent, ipsius-

ipsiusque pruritum non solùm fovent, sed etiam vehementer accendunt, & quasi provocant ad excedendum quoque in quantitate, & ad subvertendum totius abstinentiæ regnum. Unde

Tertiò succumbitur quoad nimis, seu in quantitate, quos in quantitate excessus quisquis seriò præcavere peroptat; præter lautitiarum fugam præterea *semper ita surgat de mensa, ut adhuc habeat appetitum, plura sumendi; & eum, qui adhuc esset implendus cibariis, Domino Jesu pro grato munere conferat appetitum, qui pro nostra salute sæpiùs esurire voluit, & sitire.*

S. Bernard. Tract. de Pass. Domini cap. 41.

Quoad quartum excedendi modum, *ardenter comedere, est cibos vel potus cum nimio desiderio sumere, quod tam in vilibus, quàm in delicatis potest cibariis evenire. Cujus rei exemplum habemus in Esau, qui vilis cibi delectatione attractus vendidit primogenita sua.* Quapropter *modus quoque honestus est in comedendo habendus, & non ardenter, aut cum nimiâ festinatione comedatur, vel aliàs indecenter.*

S. Bernardus Loco cit.

S. Bonavent. in speculo pte. 1. cap. 32.

Quinto denique certandum est contra studiositatem. *In hac* (inquit Sanctus Antoninus apud Gobat) *præcipuè solent delinquere divites & Prælati Ecclesiæ, dicente Alano in planctu naturæ, hodie gulæ vitium se profundiùs porrigit in Dominos & Prælatos,* qui

Tract. 5. cap. 23. n. 100.

qui Salmones, lucios, cæterasque pisces æquipollenti generositate insignes variis decoctionum cruciant martyriis, ut multiformem saporis gratiam consequantur; alius ministrorum contundit, colat alius, & conficit, alius substantiam vertit in accidens: naturam mutat in artem, ut satietas transeat in esurientem, vel potiùs esuries in saturatum. O mirabilem & miserabilem vitam! olim Sancti homines & pii fideles, cibos consperserunt cineribus, potum commiscuerunt felle vel alio succo amaro, aliosque pios astus & stratagemata excogitârunt contra appetitûs pruriginem, ut ne vel furtivè se immisceret necessitati, & ne vel ullam victoriæ surriperet palmam; hodie verò summum impenditur studium, ut ipsi exquisitis etiam modis serviatur, ut augeantur ejusdem victoriæ, & multiplicetur ejus imperium. Scitur illud Sancti Basilii: *gulæ vitium non in escarum copia naturæ suæ vim exerere novit, sed in voluptate, atque gustatu, licèt modicis admodum utare.* Et nihilominus totum quandoque edentium, totum coquorum studium eò tendit, ut cibus sapiat palato, ac serviat gustatui: nonnè hoc est, virtutem abstinentiæ manifestè prodere? vitio gulæ palam famulari? appetitui apertè ministrare arma, eumque pro Deo constituere? vix enim etiam boni sacerdotes adeò student,

Serm. de abdicat.

ſtudent, & tot media modosque exquirunt, ad colendum Deum verum, quàm guſtûs ſacrificuli coqui ad placandum illud magnum, & deteſtabile numen appetitum. Tu itaque noli litare huic idolo, ſed ſolius neceſſitatis ac ſanitatis rationem habe, ſolam Divinam voluntatem adimplendam attende. Doctrinam venerabilis Bloſii ſequere: *vitioſa ergo deſideria ſedulò amputa. An cibus vel potus, quo uteris, multùm exquiſitus ſit, aut ſuavis ex ſe, tu parùm curaveris: ſi ſumi poteſt, & rationabilis eſt, quid amplius exigis? Monachus diceris, ad menſam accedere debuiſti, ut de donis Dei corpus reficeres, non ut voluptatem carnis foveres,* &c. *Ama Jeſum, & eſcæ ſimpliciores tibi non minùs, imo verò amplius ſuaves erunt, quàm epulæ regales. Jeſus eſuriens, nudo pane ſæpè pro te refectus eſt, Jeſus ſitiens, aceto, & felle pro te potatus eſt.*

MEDITATIO III.

De Uſu temporis.

Punctum 1. De irreparabili damno temporis præteriti deflendo. 2. De pretioſitate temporis præſentis attendenda. 3. De incertitudine temporis futuri conſideranda.

Prælu-

Præludium:

IMaginare tibi tremendum judicem in ſede majeſtatis ſuæ ſedentem, & coram ipſo reum quendam ſtantem, totum confuſum, accuſatum de jactura temporis & propterea
ingemiſcentem: *vocavit adverſum me tem-* Thren. 1.
pus. Attende tibi, ne tu ipſe ſis futurus v. 15.
ille reus.

Punctum I.

Conſidera ſcripturam de quibusdam aſſe-
rentem: *defecerunt in vanitate dies eorum,* Pſal. 77.
& anni eorum cum feſtinatione. Forſitan v. 33.
& te tangit hic textus? age ſincerè, imitare Ezechiam regem, confitere Domino,
dicendo: *Recogitabo tibi omnes annos meos* Iſaiæ 38.
in amaritudine animæ meæ. Quomodo v. 15.
tranſierunt dies tui? fortaſſe reſpondebis
cum Jobo: *Dies mei velociùs tranſierunt,* Job. 7. v. 6.
quàm à texente tela ſucciditur. Sed quo fructu tranſierunt? forſitan & te iterum tangit, quod quosdam de quibus dictum:
ſicut, *quæ pro nihilo habentur, eorum anni* Pſal. 89.
erunt: forſan ſuſpiras? ô ſi mihi redderet v. 5.
Dominus *annos, quos comedit locuſta, bru-* Joël. 2.
chus, & rubigo, & eruca. Utinam mihi v. 25.
redirent temporis momenta ac horæ, quas mihi abſumpſit corporis cura, ac neceſſitas, quas opera inutilia ac vanitas, quas torpor & otium, quas opera tenebrarum, & occupationes in rebus peſſimis.

S. Laurentius Justinianus de vita solitaria cap.

Planè temporis pretiositatem ignorat, quisquis non ita suspirat? Nam *quid pretiosius tempore? quid (quæso!) illo fructuosius? quid carius? quid excellentius? quidve amabilius? sed (prô dolor) penè ab omnibus nihil habetur vilius, nihil tractatur inutilius, nihil indignius possidetur. Nullum temporis momentum præterit, in quo merita non valeant cumulari æterna. Cætera, quæ habemus in mundo â nobis aliena sunt, tempus autem propriè nostrum est: Si tamen illo utimur ad salutem.* Quod vel ille intellexit, qui ita ingemuit: *Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum. Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus. Nemo annos, nemo tot dies optimos restituet. Nec quæ præteriit, rursum revocabitur unda, nec, quæ dilapsa est, hora redire potest.* In die Judicii primùm comparebit, quàm pretiosum sit tempus: Sicut enim capillus non peribit de capite, sic nec momentum de tempore effugiet stateram judicii. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Omniaque temporis momenta, minùs sanctè expensa adversum nos in judicium adducet Diabolus. O quantus horum erit numerus! heu! quid respondendum de singulis?

Seneca lib. de brevit. vitæ c. 9.

Lucæ 12. v. 7.

Punctum II.

2. Corinth. 6. v. 2.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies

dies salutis. Ecce! solum nunc, solum tempus præsens acceptabile dicitur; quia solum nunc, solum tempus præsens benè impendere possumus, nam tempus præteritum non amplius habemus, & futurum necdum possidemus. *Ergo, dum tempus habemus,* AdGalat.6. *operemur bonum.* *Fili conserva tempus,* v. 10. dum illud habes, & conservare potes. Et Eccli. 4. v. 23. attende ne absque lucro spirituali prætervolet; nam *vita nostra est quasi mercatus, cu-* S. Gregor. *jus dies cùm abierit, tempus non erit emendi,* Nazianz. *quæ velis.* Certè haud sine causa per vi- in sent. ventem in sæcula sæculorum nobis jurat ille Angelus Apocalyptius, *quia tempus non erit* Apocal. 10. *amplius.* Tempus est, miserendi animæ v. 6. nostræ, præcipuè in his sacris exercitiis, & imitandi illos, de quibus Sanctus Laurentius Justinianus asserit: *Temporis pretiositatem* De vita so- *agnoscentes, nunc mente tantum, nunc men-* litaria c. 10. *te simul occupantur & corpore, nullum temporis spatium, quamvis brevissimum, inutiliter transire patiuntur, scientes de illo coram universorum judice districtam rationem esse reddendam.*

Punctum III.

Ecce! *omnia tempus habent:* etiam mors, Eccles. 3. etiam gratiæ subtractio, etiam infirmitas, v. 1. etiam ariditas. Hodie est tibi tempus vitæ, tempus luminis superni, ac gratiæ, cras

forte erit tempus desolationis, tempus obscuritatis, tempus tentationis, imo forsitan & mortis. Quare *currite, dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies.* Ignorans, utrum cras eâdem occasione, eâdem admonitione, eâdem inspiratione, eâdem dispositione, eâdem aptitudine & gratiâ sis fruiturus. *Omne tempus ad Dei laudem atque honorem expende:* propterea enim indulgetur. Vel, uti loquitur sanctus Pater Benedictus *propter emendationem malorum, hujus vitæ dies ad inducias relaxantur.*

S. Bened. in Prolog. Regulæ. Matth. 25. v. 13.

Ludovicus Blosius in sacello animæ §. 2. in Prolog. Regulæ:

BONA PROPOSITA
Ex
Præsenti Meditatione.

1. VOlo tempus redimere, jacturam præteriti temporis sæpius deflendo: *Tempus quippe redimimus, quando anteactam vitam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus.*

S. Gregor. lib. 5. moral. c. 28.

2. Volo tempus redimere, etiam horas ad recreationem & refocillationem indultas, quantum per discretionem licet, sanctè ac

magis

magis utiliter impendere, & de indulto somno mihi quandoque quid subtrahere. *Est enim tempus redimere, quod cùm rei minùs utili jam assignatum destinatumque esse videam, atque adeò aliquo modo debitum, tamen prævalente Dei gloriæ inæstimabili pretio, illi ipsi potiùs tribuamus, quam istiusmodi occupationibus.* Antonius Gaudier Sect. 15. cap. 9. de nat. & causis Perfect.

3. Temporis distributionem secundum ordinis ac superiorum ordinationem exactè observabo.

4. Etiam minimas temporis particulas, quæ inter exercitia quasi reliquiæ intercapedinem faciunt, ad gloriam Dei & fructuosè expendere satagam, nunquam non memor divini eloquii asserentis: *Non defrauderis à die bono, & particula doni boni non te prætereat.*

CONSIDERATIO VESPERTINA.

De Pusillanimitate cavendâ, & firma fiducia in solo Deo ponenda.

ECce! sic loquitur tibi Spiritus Sanctus! *Noli esse pusillanimis in animo tuo.* Noli esse pusillanimis propter peccata præterita, Eccli. 7. v. 9

ta, neque propterea anxius, quia nescis, an
Matth. 9. omnia fueris confessus. Sed *confide fili,*
v. 2. *remittuntur tibi peccata tua*, non enim â te
exigit Deus, ut scias, sed ut confidas in
medico potente ac volente, te etiam mun-
dare ab occultis, magisque ipsi placet fidu-
cialis resolutio, quàm pusillanimis & scru-
pulosa confessio. Noli esse pusillanimis de
tua salute aut prædestinatione; quoniam
Rom. 13. *propior est nostra salus, quàm cùm credidi-*
v. 11. *mus. Beati omnes, qui confidunt in Domino.*
Psal. 2. *Noli pusillanimis esse in tentationibus.* Quo-
v. 12. Ps. 45. v. 1. niam *Deus noster refugium & virtus, ad-*
Ps. 17. v. 31. *jutor, & protector est omnium sperantium*
Eccli. 2. *in se. Nullus speravit in Domino, & con-*
v. 11. *fusus est.* In omni tentatione, desolatio-
ne ac pusillanimitate familiarem tibi facito
Psalmum 26. *Dominus illuminatio mea, &*
salus mea, quem timebo? Dominus protector
vitæ meæ, à quo trepidabo? &c.

DIE QUINTA OBSERVATIONES.

1. DIes quinta sacrorum exercitiorum, quæ supponitur feria sexta, specialiter dedicabitur amori crucifixo.

2. Singula hujus diei exercitia specialiter offeruntur, tum pro impetrando sibimetipsi dono perseverandi in statu gratiæ, ac cre-

creſcendi in omni virtute, tum pro converſione Paganorum.

3. Teſſera ſpecialis pro hâc die erit; ecce amor crucifixus præ amore tui amorem ſitit, ergo præbe illi ſitienti vinum dilectionis, & oſtende ſaltem hâc actione, quantum ames amorem ſitientem in cruce.

4. Aſpirationes frequentiores erunt.

Tu tu mi Jeſu totum me
Amplexus es in cruce,
Tuliſti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores & angores,
Ac mortem & hæc propter me
Ac pro me peccatore,
Cur igitur non amen te?
O Jeſu amantiſſime!

5. Manè ante meditationem pro lectione ſpirituali ex libello de imit. Chriſti, ex lib. 1. cap. 25. de ferventi emendatione totius vitæ noſtræ. Ex lib. 2. c. 9. de carentia omnis ſolatii, & ex lib. 4. cap. 8. de oblatione Chriſti in cruce, & propria reſignatione.

6. Meditatio prima de abſtractione à ſæculo. Secunda de religioſa modeſtia. Tertia de fructuoſa applicatione talentorum.

7. Lectio matutina de ſcandalis præcavendis, & bonis exemplis dandis. Pomeridia-

ridiana de humanis reſpectibus & malis principiis præcavendis.

8. Examen particulare de paupertate.

9. Lectio veſpertina ex ſacra Regula. cap. 71. 72. & 67.

10. Conſideratio veſpertina de applicatione ad quotidiana religioſa exercitia.

MEDITATIO I.

De Abſtractione â ſæculo.

Punctum 1. De fugiendis ſæcularibus negotiis. 2. De fugienda familiaritate ſæcularium. De cavendis moribus ſæcularium.

Præludium:

POne tibi ante mentis oculos magiſtrum tuum Benedictum dictantem tibi hodie hanc lectionem: *A ſæculi actibus ſe facere alienum.*

S. Regul. cap. 4.

Punctum I.

Conſidera, tam alienum te debere eſſe â negotiis ſæcularibus, ſicuti ſunt mortui. *Mortui enim eſtis* huic mundo, *& vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.* Mortui non tractant negotia ſecularia, neque

Coloſſ. 3. v. 3.

que

que ſe immiſcent curis ſæcularium, rogatus aliquando Chriſtus, ut hæreditatem inter duos fratres dividere dignaretur, minimè ſe immiſcuit, ſed reſpondit: *Homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos?* Lucæ 12. v. 14. Dignum planè exemplum, quod imitetur omnis Religioſus, dicens ſibi in omni occaſione ac in omni tentatione vel provocatione ad tractanda aut curanda ſæcularia: quis me conſtituit proviſorem pro bellantibus? quis advocatum pro litigantibus? quis procuratorem pro negotiantibus? nonne ſcriptum eſt? *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus;* 2. Timoth. 2. v. 4. quoniam *nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Matth. 6. v. 24. Nemo poteſt ſervire mundo & Deo, nam occupatio in negotiis ſæcularibus devotionem impedit, internam recollectionem deſtruit, generat varias diſtractiones, *& deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* 1. Timoth. 6. v. 9. Nec facilè quoad hoc credendum eſt omni ſpiritui, vel deſiderio ſub pallio pietatis aut dilectionis pulſanti; nam quid magis pium, quam propriis parentibus ultimam exhibere pietatem, eoſque mortuos commendare ſepulchro? & tamen tale pietatis obſequium non nemo, ſuis parentibus præſtare cupiens, â Domino audire debuit: *Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos:* Lucæ 9. v. 60. quia nempe ad renuntiantem

sæculo similia non pertinebant; sic nec ad me, nec ád te pertinet, curare, quæ sunt hujus sæculi, sed quæ sunt servitii sancti, quod
Jerem. 2. v. 18. professi sumus. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam.* Quid tibi in statu religioso cum mundi strepitu, interturbante pacem animi? cur non potiùs
ad Galat. 6. v. 14. cum Paulo concludis? *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Mihi mundus mala crux est, bonum autem inhærere bonæ cruci, in qua pependit salus mundi, & amor meus crucifixus.

Punctum II.

Considerato, & totus alienus esto, præterea à sæcularium familiaritate, & inutili
Jacob. 4. v. 4. conversatione, pro certo habens: *quia amicitia hujus mundi inimica est Dei, quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Scriptum sci-
Ps. 17. v. 27. mus *cum perverso perverteris*, nec minùs dicere fas est: cum sæculari sæcularis efficieris. Potissima ferme destructio in claustris est frequens cum sæcularibus conversatio, rumorum sæcularium auditio ac rerum externarum inquisitio. Nempe pix est sæcularium conversatio, religiosa corda etiam per jocum inquinans, ac verificans illud ve-
Eccli. 13. ritatis effatum: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Carbones sunt sæculares dis-

cur-

cursus, ex quibus jam multi Religiosorum contraxere mentis nigredinem, ita, ut Propheta de illis lamentari videatur: *Denigrata* Thren. 4.
est super carbones facies eorum, & non sunt v. 8.
cogniti in plateis â sæcularibus. *Qui ve-* Thren. 4.
scebantur in croceis, amplexati sunt stercora, v. 5.
nempe sæcularium nugas, recreationes, effusiones, & vitia. Obliti spiritualium deliciarum, quibus gaudent verè devoti & abstracti â sæculo. Hoc probè agnovit sanctus Patriarcha Benedictus, unde severè inhibuit, *ne præsumat quisquam aliis referre,* S. Regul.
quæcunque foris monasterium viderit, aut c. 67.
audierit, quia plurima destructio est. Sanè vix unquam compita aut agros frequentas, quin redux, si non omnino lutum, saltem pulverem pedibus adhærentem tecum reportes, minùs cum sæcularibus, præsertim familiarius unquam tractabis, quin affectus tuos saltem aliqua inordinatione commacules. *Quapropter noli amare familiaritatem* S. Anselm.
sæcularium; quia quanto magis illis eris fa- lib. 3. Epist.
miliaris, tantò minùs eris Deo, & familia- 127.
ribus ejus Angelis familiaris.

Punctum III.

Considerato, & totus insuper alienus esto â moribus sæcularium, monente Scriptura: *Nolite conformari huic sæculo, sed* Rom. 12.
reformamini in novitate sensûs vestri. Ne v. 2.
putes

Apud Basilium Finckeneis in cap. 4. S. Regulæ. *putes* (inquit Gerardus Belga) *sufficere reliquisse sæculum, sed non opera sæculi, cùm etiam abominari oporteat omnem sæculi actum, morem, & ingenium. Hæc, hæc sanè una unica nota est veri Monachi de sæculo verè vocati, & verè conversi, in nulla omnino re sentire cum filiis sæculi: nec dolere, nec gaudere cum illis.* Quid enim est, votum de conversione morum adimplere; nisi exuto sæculari homine cum actibus suis, religiosos mores, ac sanctitate morum imitari il-
Psal. 103. v. 2. lum, qui dicitur *amictus lumine sicut vestimento.* Ille creditur alienus & peregrinus in loco, qui mores loci nec callet quidem, & ille censetur alienus ab actibus sæculi, quî sæculi morum totus ignarus, sacrilegium reputat, personam Deo sacram, claustraque sacra profanis profanare moribus.

BONA PROPOSITA
Ex præsenti Meditatione.

1. OMnem appetitum, audiendi vel videndi quidquam de sæculi vanitatibus, constanter refrænabo, ita, ut longè,
Act. 17. v. 21. & totus alienus sim ab illis, *qui ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.*

2. Cau-

2. Cautè declinabo omnes vanos discursus de rumoribus ac negotiis sæculi, veluti vetus fermentum, quod facilè novitatem vitæ, & totam massam devotionis corrumpit.

3. Sæcularium consortia & colloquia, nisi aut obedientiæ præcepto, aut lege charitatis vel necessitatis compulsus, semper pro semper divitare conabor, nunquam non memor illius; *quoties inter homines fui, toties minor homo redii*, quoties inter sæculares, toties minus religiosus.

4. Si tamen quandoque conversandum cum sæcularibus, ea solum tractabo, quæ sunt necessitatis, & ædificationis, amotis omnibus facetiis, & verbis sæculum olentibus.

5. Si sæcularium discursus profani sunt audiendi, ero tanquam homo non audiens, sed unicè occasionem quærens, ipsorum dicta ad ædificationem & ad utilitatem animæ trahendi.

6. Neque communicabo cum sæcularibus per inutiles & merè politicas litteras. Paucis ita studebo, sæculares unicè ad meliora convertere, ne tamen ad deteriora pervertar ab illis.

LE-

LECTIO SPIRITUALIS
Pro
Tempore Matutino.
ARGUMENTUM.

VOs estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo satietur? ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur
Matth. 5. *ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Ecce! hæc est specialis lectio, quam Christus olim suis discipulis, & nobis procul dubio etiam atque etiam vel maximè commendavit; nemo enim verus Religiosus, nisi Christi discipulus, & in Schola ejus apprimè versatus. Præsertim hæc lectio altiùs est imbibenda religiosis modernis nostris sæculis, quibus tuus, meus, noster status religiosus est planè civitas super montem posi-

ta,

ta, quæ abſcondi non poteſt, ad quam ſæculares undique confluunt, tum ſalem doctrinæ ſalutaris, tum lumen boni exempli inde hauſturi: Nam per ſalem doctrinam, ac prædicationem verbi Divini intelligi, communis Doctorum tenet ſententia, & palam eſt ex illis verbis Sancti Gregorii: *Sal etenim terræ non ſumus, ſi corda audientium non condimus. Quod perfectò condimentum ille veraciter proximo impendit, qui prædicationis verbum non ſubtrahit.* Per lumen mundi verò bonum exemplum denotari, pateſcit cuilibet ipſum Evangelicum textum conſideranti; quid enim aliud niſi bonum exemplum dicunt illa? *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, &c.* De hoc itaque, de bono dando exemplo, & de præcavendo omni ſcandalo in præſenti diſſertatione cum Deo Clementiſſimo adhuc defactò veniæ largitore tractabis, metuens jure merito, ne ſecus ipſe paulò poſtliminiò tanquam ſeverus judex tum de omnibus datis ſcandalis, tum de omnibus bonis exemplis neglectis tam tecum, quàm mecum ſit tractaturus. Et quis non juſto timore percellatur, trutinans ſecum notas illas Domini minas? *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit!* Si homini væ indicitur, quantò

Homil. 17. in Evangel.

Matth. 18. v. 7.

tò ampliùs, & iterum ampliùs væ timendum est danti scandalum omni Religioso, ad hoc posito, ad hoc vocato, ut per lucis exempla, boniq́ue exempli fulgorem tollat omnia scandala de Regno Christi.

Homil. 10. in Epist. 1. ad Timoth.

Idcircò (inquit Sanctus Joannes Chrysostomus) *ille nos elegit, ut simus quasi luminaria, & velut fermentum evadamus, ut velut Angeli cum hominibus versemur in terra, ut tanquam viri cum pueris, tanquam Spirituales cum animalibus agamus.* Quis non concutiatur justo metu, in pondere Sanctuarii expendens illud Divini Magistri: *qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Ecce! si tantum malum est, scandalizare tantùm unum de pusillis, quid fiet illis, quibus dicitur: *vos autem recessistis de via, & scandalizâstis plurimos.* Quid respondebunt, visuri aliquando in tremendo judicio, vera dixisse Sanctum Joannem Chrysostomum: *nemo profectò gentilis esset, si ipsi, ut oportet, Christiani esse curaremus: si Dei monitis ac scitis obtemperaremus: si injurias perpessi vicem non referremus: si maledictis lacessiti benediceremus: si pro malis bona redderemus: nemo esset ita fera bellua, ut non*

Matth. 18. v. 6.

Malach. 2. v. 8.

Homil. 10. in Epist. ad Timoth.

statim

ſtatim ad cultum veræ religionis accurreret, ſi videret hæc ab omnibus fieri. Atque ut diſcas, ita eſſe, unus profectò Paulus tam multos ad Dei attraxit notitiam. Si omnes eſſemus hujusmodi; quot terrarum orbes attrahere & ipſi poſſemus. Quid reſpondebunt, ſi viderint ſemetipſos accuſatos, tam ab omnibus illis, quos per bonum exemplum Chriſto lucrifacere & ad majorem vitæ perfectionem provocare potuiſſent, quàm ab illis, quos malo ſuo exemplo à cultu pietatis retraxerunt, vel omnino in foveam & perditionem protraxerunt. Plura quidem perpetrârunt peccata duo filii Heli Ophni & Phinees, aſt propter nullum tamen tam acriter fuerunt reprehenſi â Domino, quàm propter datum ſcandalum, & quòd ſuo malo exemplo alios retraxerint â cultu Divino. *Erat ergo* (ait ſacer textus) *peccatum* 1. Reg. 2.
puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines â ſacrificio Domini. Homicidium & adulterium fuit Davidi dimiſſum, aſt datum ſcandalum minimè manſit inultum: *quoniam blaſphemare feciſti ini-* 2. Reg. 12.
micos Domini (ſonant ipſa verba Prophetæ 14.
Nathan ad Davidem) *propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Quis non contremiſcat, ſecum penſiculatè perpendens illam increpationem Chriſti in Petrum? *vade poſt me Sathana, ſcandalum* Matth. 16.

es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. In quo textu tria adamante notanda veniunt. Primò propter datum scandalum vocat Petrum Sathanam. Unde Sathanam agit quisquis alteri lapidem scandali ponit. Secundò asserit: *scandalum es mihi*, id est, occasionem præbes, ut homines in me scandalizentur; nam error discipuli redundat in contemptum magistri, & plerumque ipse magister negligens creditur, ubi discipulus delinquens deprehenditur. Tertiò ait: *quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* In quibus verbis ratio scandali declaratur. Hoc ipsum planè verificatur in omni Religioso, qui minùs exemplariter vivit, nec in se exprimit illam Divi Pauli Doctrinam
Colos. 3. v. 2. *quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram.* Talis enim minùs exemplariter ambulans scandalo est suo Monasterio, suo Sacro ordini, ipsi Ecclesiæ, ipsique Christo auctori fidei; quia propter unius quandoque malum exemplum tum monasterium, tum sacer ordo traducitur, æstimatio Ecclesiastici statûs imminuitur, ipsa Doctrina Christi vilipensioni exponitur. Propter unius quandoque malum exemplum janua ad quælibet audenda recluditur, ordo ac quies in domo Dei destruitur, disciplinæ grande vulnus infligitur, decus Monastici

ſtici rigoris ſubvertitur, & quod, eheu! quandoque vix æſtimatur peccatum, ratione ſcandali poſt ſe trahit irremediabilia damna. Et hinc Joannes Gerſon docere non dubitavit: *ſilentium frangere erit in caſu ſcandali grande delictum, aut ſimiliter aliqua talium offenſarum aliunde levium, dum novitii, vel tota Religio inde turbantur, ita ut negligendo minima, ipſe Religionis vigor paulatim decidat, & in magnis etiam totus abſcedat.* Verum eſt itaque quod apud Salluſtium dicit Julius Cæſar: *In maxima fortuna minima eſt licentia. Sic in maximis viris vel ordine, vel ſanctitate, vel gradu ſublevatis, tanquam poſitis in exemplar aliorum, multa quandoque non licent.* Et niſi ex levi in ſe quandoque ſcandalo gravia ſcaturirent mala, magnaque dimanarent peccatorum diſcrimina, mehercule Divus Paulus Sancto Petro nunquam publicè ita in faciem reſtitiſſet, nunquam Petrum publicè ita confudiſſet, ac reprehendiſſet. *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam* (*inquit*) *in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Nam tota ac unica culpa Petri hæc erat, ne offenderet Judæos, â menſis gentilium ſe ſubduxit, uſus eſt jure ſuo, potuit enim comedere, vel non comedere, hinc in hoc facto juxta comunem Theologorum ad ſum̃um ſolùm venialiter peccavit. Verùm Paulus optimè

Tract. 3. libr. de vita Spirit. lect. 6.

Ad Galat. 2. v. 6.

novit, ex hoc facto fideles ex gentibus conversos scandalizari, ac induci ad credendum, se obligari ad servandas Judæorum cæremonias, idcirco Paulus usus est Zelo, ut impediret scandalorum pericula, & ostenderet, quanto studio ac circumspectione sit laborandum, ne vel unus ex pusillis per nos scandalizetur. Quòd verò ipse Paulus summo studio præcaverit omne scandalum, ac studuerit omnibus præbere bonum exemplum, testantur in pluribus locis propriæ ipsius Epistolæ: sic 1. Corinth. 8. v. 13. protestatur: *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Sic tametsi propter prædicationem Evangelii potuisset â fidelibus, pro sua sustentatione necessaria petere, & accipere; *nam ita & Dominus* ordinavit iis, (ait) *qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Nihilominus, ut daret bonum exemplum, noluit hoc jure ac licentiâ uti: *non usi sumus* (asserit) *hâc potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Sic & Religiosus per bonum exemplum debet se exhibere omnibus formam vivendi, ita ut cum eodem Apostolo Paulo securè asseverare audeat: *Imitatores*

1. Corinth. 9. v. 14.

1. Corinth. 9. 2. 12.

2. Thess. 3. v. 9.

tores

tores mei estote, sicut & ego Christi, ut cognoscant omnes, qui nos viderint; *quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus*, æmulatores Magni Benedicti, qui *gloriosus confessor Domini vitam Angelicam gerens in terris, speculum bonorum operum factus est mundo.* Speculum debet Religiosus esse, non speculum inanes duntaxat species repræsentans, sed speculum bonorum operum, speculum urens, ut suo ardore omnes accendat aspicientes ad virtutis studium, ad devotionis affectum, ad vitæ sanctioris amorem; ita, ut aspectus religiosorum sit aspectus *quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* Nam (teste Eusebio Nierembergio) *opera & exempla justorum, & ardentibus carbonibus, & lucentibus lampadibus comparantur; quoniam tanquam carbones accendunt in amorem virtutis; & sicut lampades illuminant, ut alii virtutis imitatione resplendeant.* Speculum urens ac accendens agat Religiosus canendo, psallendo, loquendo, &c. Ut ædificentur audientes, speculum urens & ad bonum accendens agat ambulando, operando, & cum hominibus tractando, aut conversando, ut ad meliora inflammentur intuentes. Tale speculum fuit Sanctus Lucianus Martyr, de quo Alphonsus Rodericius ex Metaphraste & Surio refert, *gentiles solo ejus aspectu*

1. Corinth. 11. v. 1.
Isaiæ 61. v. 9.
Breviarium in Festo S. Bened.
Ezechiel. 1. v. 13.
Homil. 67.
S. Regul. cap. 38.
Tract. 2. cap. 1.

aspectu conversos, & pertractos fuisse, ut Christiana Sacra susciperent. Tale speculum erant tempore Sancti Bernardi Monachi Claræ Vallenses, quibus visis ipse summus Pontifex Innocentius secundus cum suis Cardinalibus præ ædificationis copia in multas lacrymas erupit, nempe *mirabantur omnes piam & decoram sanctæ hujus congregationis gravitatem, quòd scilicet in festo & gaudio tam solemni ac insolito, (ut erat nimirum summum Pontificem & Cardinales in domo illa præsentes videre) cuncti oculos humi defixos tenerent, nec aliquam in partem verterent, & cum ab omnibus aspicerentur, ipsi neminem aspicerent.* Tale speculum erat Sanctus Ephrem; siquidem (uti refert Sanctus Gregorius in ejus vita) *aspectus illius Angelicus idoneus erat, qui sine ulla oratione solus ad commiserationem intuentes commoveret. Tanta in eo tum simplicitas, tum mansuetudo, tum probitas cernebatur. Nullus erat tam impudens, qui non intuens eum, rubore perfunderetur, seque ipso melior & modestior fieret.* Tale speculum erat Alphonsus Rodriquez: nam (uti Nicolaus Lancicius testatur) *Solo aspectu ejus, qui eum intuebantur, componebantur, & movebantur ad devotionem, & desiderium ejus imitationis, eo quod fervor interior illius, per omnia ejus membra & sensus, tan-*

Idem loco cit.

Opuscul. 2. cap. 2. n. 318.

tanquam vaporem quemdam effunderent, & fumum ex igne incluso. Tale speculum erant tempore Imperatoris Ottonis Magni Monachi ad Sanctum Gallum in Helvetia: Excitatus quippe horum optimâ famâ Imperator, rei veritatem experimento exploraturus, quâdam die, dum Monachi in Choro collecti consistebant, cum Brunone Archiepiscopo Coloniensi, & aliis è suis proceribus non solùm per medium eorum transiens, sed etiam baculum, quem gestabat dexterâ, ad excitandum strepitum consultò in terram prolabi permittens, omnes ac singulos piè curioso involavit oculo, ast nec unum deprehendit, qui vel circumspexisset, vel caput movisset, quemadmodum enarrat Anselmus Bisling. Sic luceat lux nostra coram mundo, coram hominibus sæcularibus. Etenim (verba sunt Joannis Trithemii) *omnium oculi sæcularium in Monachos suspiciunt, & Sanctitatem, quam illos audiunt professos, in operibus exquirunt, &c. Unde malum verbum, aut factum apud illos Monacho ad damnationem adscribitur, quod mundano homini ad veniam imputatur. Nec immeritò, Monachus enim, qui sanctum & approbatum canonem professus est, omnem conatum suum tenetur ad perfectionem dirigere, & conversationem hominum sæcularium verbo & opere in omni puritate mentis & corporis*

In monte Thaboræo die 5. digress. 9.

Homil. 12.

poris longè superare: ita ut nunquam non
1. Theff. 5. v. 22. adimplere satagat illud Divi Pauli: *ab omni specie mala abstinete vos.* *Quia etiam* (inquit Sanctus Thomas) *quæ habent similitudinem malitiæ, vitare debemus, quæ scilicet non possumus servare coram hominibus absque scandalo.* Sed identidem & vel maximè luceat lux nostra coram propriis confratribus, quemadmodum iterum hortatur Apostolus: *ædificate alterutrum.* Quippe *prorsus damnabile & enorme est, in congregatione habere se negligenter, spirituali profectui non studere, non reprimere passiones, non componere mores, nec vivere timoratè, exemplariter, fructuosè!* Quapropter quilibet nostrum ex Regula Sancti Patris nostri Benedicti semper sit *memor Divini eloquii, quid mereatur, qui scandalizaverit unum de pusillis.* Ast quid meretur talis? Balthasarus Stromaier comparat scandalum illi magno lapidi molari, quem Angelus Apocalypsis 18. v. 21. misit in mare & certè convenienter verbis Domini asserentis: *utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis.* Porrò quare circum collum scandalizanti est imponendus lapis molaris? nempe, ut veluti zizanium, quod suffocavit triticum perpetuò inter infernales cruciatus quasi molatur, ut ipsi

Quot. 4. art. 24. ad 13.

1. Theff. 5. v. 11.

Divus Dionysius Carth. in Fest. S. Michaelis. Serm. 6.

Cap. 31.

In Theo. politica relig. Allocut. 21.

Lucæ 17. v. 2.

ipſi toties de novo novæ molendæ affundantur pœnæ, ut ipſe toties quaſi molendus de novo novis ſubjiciatur cruciatibus, quoties peccatur â viventibus in mundo, vel in cœnobio, occaſione ſcandali, quod ipſe dederat vivens, ſive innocentes ſeducendo, ſive ſuâ licentioſâ vitâ ad pares licentias, ac transgreſſiones inducendo, ſive ferventiores aut ſuaſu, aut malo exemplo â fervore ſuo abducendo. Sed cur ſcandalizanti melius foret mitti in mare? nimirum, ut in profundo abſconderetur a ventura ira judicii: confundetur enim in extremo judicio confuſione horribili, non ſolùm propter ſua propria, ſed etiam propter aliena peccata, & tametſi de peccatis propriis forſitan pœnitentiam egeris; aſt quomodo fiet ſatisfactio pro peccatis alienis, per ſcandalum vel inductionem cauſatis? Unde Berengarius, ille notus hæreſiarcha, abjuratâ ſua hæreſi pœnitens factus, haud immeritò paulò ante ſuam mortem circumſtantes hiſce affatus eſt: *Paulò poſt ad Dei debebo tribunal comparere, rationem vitæ meæ redditurus, & quantum mea peccata attinet, veniam ſpero, eò quòd pœnitentiam egerim ex animo; at quod peccata occaſione erroris mei commiſſa concernit, timeo etiam atque etiam, ne æternùm peream, cùm modum non ſciam, quo pro iis ſatisfaciam.* Hæc nota, ſimulque nota

Paulus Segneri in homine Chriſtiano parte 1. diſ. 21.

quæ ad marginem introductionis in opera Sancti Bernardi pag. 16. n. 65. præter ibi positam historiam hisce verbis notantur: *Nota technam Satanæ plerisque religionem in aliorum perniciem persuadentis.* O quàm cautè proinde sunt novitii ad professionem admittendi! ô quam diligenter est attendenda, & quàm attentè expendenda doctrina Patris Servatii de Lairvelz in suo Catechismo novitiorum parte 1. lect. 5. docum. 1. quid si etiam tam diabolica, etsi non explicitâ, saltem implicita intentione statum religiosum vel fuisses amplexus, vel hactenus eâdem intentione conversatus? detestare, nihil cunctatus omnem similem intentionem, ac tene firmiter, te esse in statum religiosum vocatum, non ad destruendum, sed ad ædificandum, non ad disciplinam minuendam, sed promovendam, non ad fervorem impediendum, sed ad accendendum, non ad deformationem, sed ad reformationem, & sic effugies tenebras exteriores, erisque filius lucis in luce perpetua.

MEDITATIO II.

De Religiosa modestia.

Punctum 1. De virtute & veritate modestiæ. 2. Quid ad acquirendam modestiam potissimùm conducat: 3. De actibus & exercitiis modestiæ.

Præ-

Præludium.

SIste te in conſpectu Altiſſimi, pro imitationis exemplo in modeſtia tuum proprium Angelum cuſtodem proponentis, ac dicentis: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paravi, obſerva eum, & audi vocem ejus.*

Punctum I.

Conſidera, veræ modeſtiæ magnam inesse virtutem ac vim ad ædificandos proximos, nam ſi ſculptum ſimulacrum, aut picta imago potens eſt ad excitandos in intuentium animis illos, quos exprimit affectus, quantò magis ad pietatis affectus intuentem accendet viva Dei imago, Religioſus ad religioſam gravitatem, & ad omnem Sanctitatem compoſitus. Si exempla lecta movent, quantò fortius trahent exempla viva, intuentium oculis injecta; ſi tamen ipſa modeſtia non eſt ficta, & ſolùm ad ſimulationem aſſumpta, ſed vera, internè radicata, & in charitate fundata, conformiter Divinæ ſcripturæ dicenti: *cum mo-* 1. Petri 3.
deſtia & timore conſcientiam habentes bonam, v. 15.
ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur veſtram bonam in Chriſto converſationem. Si tamen ipſa modeſtia non eſt de ſubtus â Sathana transfi-

gurante

Jacob. 3. v. 17. gurante ſe in Angelum lucis ſed â vero Angelo lucis, deſurſum; ſicut ait ſcriptura: *quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens.* Si tamen modeſtia noſtra eſt ad imitationem

In cap. 9. Matth. Chriſti, de cujus modeſtia ita loquitur Sanctus Hieronymus, *fulgor ipſe, & majeſtas Divinitatis, quæ etiam in humana Chriſti facie relucebat, ex ſolo ad ſe videntes trahere po-*

2. Corinth. 10. v. 1. *terat aſpectu.* Quapropter ex Sancto Paulo *obſecro vos per manſuetudinem & mode-*

Matth. 6. v. 16. *ſtiam Chriſti:* Examinate veſtram mode-

Job. 8. v. 13. ſtiam, & *nolite fieri ſicut hypocritæ.* Quoniam *ſpes hypocritæ peribit.* Suaque ſimu-

Job. 36. v. 13. latione *ſimulatores & callidi provocant iram Dei.*

Punctum II.

Conſidera, ad radicandam religioſam gravitatem ac veram modeſtiam, duo potiſſimùm requiri, ac præcipuè ſervire. Primum eſt, ut per vivam fidem ſemper verſemur in præſentia Dei, ac in oculis noſtri Angeli tutelaris, quemadmodum nobis in ſacra Regula hiſce expreſſis verbis præſcribi-

Cap. 7. tur: *Æſtimet ſe homo de cœlis ſemper à Deo reſpici omni hora, & facta ſua in omni loco ab aſpectu Divinitatis videri, & ab Angelis omni hora nunciari.* Nam quis erit adeò impudens, ut Divinam majeſtatem, quam cre-

credit præsentem, non revereatur omni re-
verentiâ ac decentiâ morum? erit omnis
honestatis oblitus tam insolens, ut non eru-
bescat coram suo custode, spiritu mundissi-
mo & attendissimo vel minimam etiam le-
vitatem aut morum indecentiam admittere?
Tune audeas illo præsente, quod, vidente me, S.Bernard.
non auderes? Secundum est, ut huic me- super Psal.
moriæ Dei ubique præsentis, & Angeli ubi- qui habitat.
que nos attendentis conformes actus reve-
rentiæ, modestiæ, omnisque observantiæ
frequenter eliciamus; non enim nudâ spe-
culatione, sed assiduâ exercitatione radica-
tur virtus, & acquiritur habitus. Certè si
homo assiduè recogitaret, se in conspectu
Dei, & Sanctorum Angelorum conversari,
intra breve temporis spatium vita ac mori-
bus vix non Angelus evaderet. Nam ecce!
quàm strenuè laborant servi intuente suo he-
ro! quàm quieti ac modesti sedent pueri, at-
tendente ludimagistro, vel ipsi canes ac fe-
les non tangunt illicita, ubi se ab hero, vel
ab hera videri attendunt. Tune his omni-
bus deterior? quare *in omni actu vel cogi-* S.Bernard.
tatu suo, sibi Deum adesse memoret Religio- in speculo
sus, & omne tempus, quo de ipso non cogi- Monach.
tatur, perdidisse se computet.

Punctum III.

Ecce! *Hæc est modestia & grata compo-* S. Doroth.
sitio, Serm. 24.

sitio, non circumferre huc & illuc oculos, sed quæ ante se sunt solùm intueri, neque vana & otiosa loqui, sed tantùm necessaria. Ecce! hæc est sententia Sancti Basilii: *Monachum oportet corpus quietum, habitum non sordentem, sed honestum, vocem moderatam, sermonem compositum habere, in cibo potioneque minimè turbulentum esse, sed sedatum potiùs & gravem, coram majoribus natu silere, non esse ad risum proclivem, oculos habere ad terram dejectos, animum ad cœlum erectum.* Sic nos instruit Hugo de Sancto Victore: *Diligenter observandum est, ut singula membra suum teneant officium, nec usurpent alienum. Deinde ut unumquodque suum opus tam decenter ac modestè impleat, ut per indisciplinam oculos inspicientium non offendat. Nil igitur levitatis, insolentiæ nihil, nec inquietudo motuum corporis in nobis appareat,* sed omnis conversatio nostra *sit mundi speculum, perfectionis forma, norma virtutum, religionis decus.* Hæc observa, & observa Angelum tuum custodem, continuò tibi ingeminans: talesne actus exercet, talesne mores præsefert meus Angelus custos? siccine? hæcne mihi inspiravit Angelus bonus? totus deinceps ero non solum in Angelorum protectione, sed etiam in ipsorum imitatione.

Serm. de Ascesi.

de nova instruct. c. 12.

Divus Dionys. Carth. in Festo Visit. B. Virg. Serm. 3.

S. Laur. Justin. de vita solitaria c. 9.

BONA

BONA PROPOSITA
Ex
Præſenti Meditatione.

1. IN actionibus ac moribus meis conſideratè agam, non ignarus, quòd potiſſimi ferè defectus contra religioſam gravitatem ex inconſideratione & animo incurioſo proficiſcantur.

2. Quotidie per certos actus omnem ſimulationem ac hypocriſin tanquam duplicem iniquitatem & Diaboli larvam deteſtabor.

3. Totus ero in cuſtodiendo duodecimo gradu humilitatis ex Regula Sancti Patris Benedicti.

4. Pariter tanquam modeſtiæ teſſeram ſemper memori mente volvam illam modeſtiæ Regulam Sancti Auguſtini: *In inceſſu, ſtatu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cujusquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.*

5. Ad imitationem coronati Prophetæ ſemper providebo Dominum in conſpectu meo: *Hoc enim continet cor apud ſe, ne commoveatur à ſe per vanam lætitiam, vel irrationabilem triſtitiam.* S. Bonav. de Profectu Religioſor. cap. 5.

EXA-

EXAMEN PARTICULARE
De
Cuſtodia paupertatis.

1. UTrum omnino nihil clam ac inſciis ſuperioribus penes te retineas?

2. Utrum plenè ſis liber ab omni affectu, quidquam tanquam proprium habendi, vel ab oculis ſuperiorum abſcondendi?

3. Utrum nihil aliis tribuas, vel â quoquam accipias, vel commodes aliis, vel ab aliis mutues absque ſuperioris licentia?

4. Utrum nihil de eſculentis, aut poculentis, aut de aliis rebus monaſterii ſurripias, tibique clandeſtinò applices?

5. Utrum careas ſuperfluis, & utrum ſemper modeſtè repudies, ſi tibi ſuperflua etiam ab ipſomet ſuperiore offeruntur?

6. Utrum quandoque & ſaltem ſemel in menſe tuam cellam curiosè excutias, perluſtrans omnia, an nihil adſit vel lateat ſuperflui, ac ſanctæ paupertati contrarium?

7. Utrum in tua cella nihil moretur ſeu inveniatur curioſi, vel delicati, uti ſunt dulciaria, fructus? &c.

8. Utrum aliàs tuam cellam non ornes ad vani-

vanitatem, uti elegantioribus tapetibus, raris ac pretiosis imaginibus? &c.

9. Utrum pariter nihil tecum retineas, aut circumferas, quod aliquam vanitatem vel curiositatem sapit?

10. Utrum erga nullam rem, tibi ad usum concessam inordinatè afficiaris, anxius, ne forsan tibi â superiore auferatur, aut non ulteriùs concedatur?

11. An non tangaris anxia ac nimia cura, de rebus necessariis semper habendis?

12. Utrum in rebus necessariis pro datâ occasione semper viliora eligas, & extremâ vilitate sis contentus?

13. Utrum læto feras animo omnes defectus etiam in rebus necessariis fortassis, subinde occurrentes?

14. Utrum res ad usum tibi indultas non tractes luridè, sed serves, ac custodias cautè, veluti res Dei, de quibus tibi aliquando erit reddenda ratio?

LECTIO SPIRITUALIS
Pro
Tempore Pomeridiano.

ARGUMENTUN.

SIcut ex vana gloria bona non facienda, sic neque ex verecundia, aut ex humano

respectu sunt omittenda, sed timendum est illud Christi præmonitum: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* Luc. 9. v. 26.

Sede anima, inscribe citò tuæ memoriæ
summatim pauca duntaxat ex historia de fi-
Psal. 104. v. 23. liis Israel, & de Pharaone. Ecce! *Introivit*
Israel in Ægyptum, positus est *in optimo*
Genes. 47. v. 11. *terræ loco.* *Habitavit ergo Israel in Ægy-*
v. 27. *pto, id est in terra Gessen, & possedit eam,*
auctusque est, & multiplicatus nimis. Sed
Exod. 1. hem tibi invidiam Diaboli! *Surrexit inter-*
v. 8. *ea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat*
v. 14. *Joseph.* Hic oneribus omnique famulatu
cæpit opprimere Hebræos. Et quod
v. 22. omnium crudelissimum videtur: *Præcepit*
ergo Pharao omni populo suo, dicens, quidquid masculini sexûs natum fuerit, in flumen projicite: quid fœminini, servate. O tyranidem! Jam quid si isthanc historiam statui religioso applicarem? Nam esse statum religiosum terram Gessen, terram optimam, terram verè benedictam, procul dubio mihi facilè assenties. In hanc terram tu, ego cum tot aliis intravimus, accensi fame justitiæ, ut nimirum in statu religioso possemus perfectiùs ac sanctiùs Deo servire, audivimus enim in statu religioso pro labo-

re & applicatione venale proſtare frumentum electorum ac aurum ignitum perfectæ charitatis, percepimus, in ſtatu religioſo adhuc vivere Joſeph, ſive, quod ſecundùm interpretes idem ſonat, Domini augmentum,& ſpecialem gratiarum benedictionem. Tum famâ, tum lectione hauſimus, in ſtatu religioſo viros ſanctitate ac eruditione celebres auctos & multiplicatos eſſe in ingentem numerum: hoc forſan dicere non licebit, in ſtatu religioſo interim etiam ſurrexiſſe Pharaones. Abſit à me, ne quid ſimile de ullo ſtatu religioſo cogitem, aut aſſeverem, interim tamen haud poterimus omni ex parte inficias ire, in ſacris quoque ordinibus quandoque reperiri Pharaonis imitatores, homines nempe, qui ſubdolâ Dæmonis invidiâ decepti omnem religionis fervorem ac pietatis zelum opprimere, omne maſculinum, id eſt, omnem maſculam virtutem, etiam vix natam, omnemque diſciplinæ rigorem, qua operibus, qua diſcurſibus ſuffocare machinantur, commendantes ſolum fœmininum, id eſt ſolum mollia, laxa, & ſenſui arridentia, vel, ne omnino ſæculares, aut ſæcularibus deteriores videantur, pro forma aliquam tepidam converſationem. Væ talibus; nam quia Pharao innocentes Hebræorum parvulos projecit in flumen, Deus juſtus Dominus *currus Pharaonis & exer-* Exodi I. v. 22.

Exodi 15. v. 4. *exercitum ejus projecit in mare!* his verò Pharaonis imitatoribus, qui Spiritum extingunt, impendet illa terribilis ſententia:
Marc. 9. v. 41. *Bonum eſt ei magis ſi circumdaretur mola aſinaria collo ejus, & in mare mitteretur.* Verùm iſtis jam præcedenti diſcurſu fuit lamentatum, neque cum iſtis, ſed cum ferventioribus te ambulare confido; unde in præſenti ſolum animandus es, ut Spiritum fervoris conſerves, & adaugeas, imiterisque obſtetrices Ægyptias, de quibus ſacer
Exod. 1. v. 17. textus ita loquitur: *Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, ſed conſervabant mares.* En! tria in obſtetricibus ſunt ſpecialis conſiderationis. Primò Deum timuerunt. Secundò præceptum Pharaonis neglexerunt. Tertiò mares conſervaverunt. Sic age, conſerva maſculas virtutes in timore Dei, conſerva Spiritum, nunquam deſeras primum fervorem, nunquam, nec latum quidem unquem recedas â prima inſtitutione, nunquam â bonis propoſitis occaſione horum exercitiorum conceptis, quidquid alii dixerint, ſive tua bona, tuamque ferventem converſationem ſugillaverint, ſive irriſerint, ſive in malam partem traxerint, ſive contempſerint. Quis enim vel tutâ conſcientia præſumet, te in novitiatu fuiſſe ma-
Theſs. 5. v. 21. lè inſtitutum? Sin autem bene? *Quod bonum*

num est, *tenete*, ad hoc enim datur tyronibus & adolescentibus rectè vivendi instructio, ut etiam, cùm senuerint, non recedant ab ea, ideò enim â turba in annuam solitudinem declinamus, ut ex illa toti mutati, toti novi, fervore accensi, ac spiritu pleni redeamus. Ecce! fœminæ generosæ contempserunt imperium regis, nec leguntur cogitâsse aut asseruisse; quid dicet rex? fœminæ Ægyptiacæ pepercerunt parvulis alienis, & religiosus suffocet proprias proles, volo dicere, propria bona proposita, proprios actus virtuosos, proprium fervorem, proprium profectum, proprium spiritum propter aliorum dicta, ex humano respectu, ne videlicet ab aliis notetur, aut irrideatur? Bonus Religiosus studet in se exprimere signa saltem boni novitii, inter quæ vix non est præcipuum illud apud Nicolaum Lancicium ordine sextum: *Quærit occasiones, omnes mortificandi se, tum in aliis rebus, tum in iis, quæ eum coram aliis confundunt, & erubescere faciunt, & pati jacturam bonæ opinionis apud alios, hoc est veluti essentia boni novitii, ut & mortificatio omnium humanorum respectuum, ob quos multi defectus committuntur â tepidis, & multa bona omittuntur.* Bonus Religiosus sic ratiocinatur secum: *Amice ad quid venisti?* An, ut Deo placeas? an verò ut hominibus com-

Opuscul. 1. c. 25.

Galat. 1. placeas? *An quæro hominibus placere? Si*
v. 10. *adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Planè si mansissem in sæculo, haud egissem aliorum mancipium, sed usus meo jure operam dedissem bonis operibus, quibus, quando ac ubi voluissem: & modò in Religione, in officina bonorum operum, veluti omnium mancipium, cujuslibet metuam oculum in bonis agendis, in exercendis virtutibus? Absit â me hæc injuria in Dominum Deum meum, nolo esse è nume-
Psal. 13. ro illorum, qui *Dominum non invocave-*
v. 5. *runt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*, qui bona omiserunt ex inani timore, ex humano respectu. Non est hic Spiritus
2. Corinth. â Spiritu Sancto, *ubi autem Spiritus Domi-*
3. v. 7. *ni, ibi libertas.* Ad bonum Religiosum
S. Vincent. pertinet, *vitare viriliter omnem personam,*
Ferrerius *& omnem creaturam aliam, quæ impelleret*
de vita spi- *eum, ut sibi esset occasio, non solum ad pec-*
rit. c. 16. *catum, sed etiam ad aliquam imperfectionem vitæ spiritualis.* Bonus Religiosus agit fidelem obstetricem bonis operibus, & non attendit principia malè applicata docentium è cathedra pestilentiæ. Ut verò eò patentius apprehendas, quàm exiguo atque adeò nullo fundamento imitatores Pharaonis nitantur, placeat potiora illorum principia mecum presse examinare. Primum itaque ipsorum fundamentum sic sonat: bona

sunt

ſunt occultanda & in occulto facienda. Nam *deprædari deſiderat, qui theſaurum publicè portat in via.* Præclarum quidem dictum, ſed malè applicatum. Sine dubio ſunt bona occultanda ex virtute, non autem ex vitio, minus omittenda. Ad devitandam laudem humanam, & cavendam vanam complacentiam in ſecreto ac ſeparato angulo actus ſpecialis devotionis ac humilitatis exercere, procul dubio virtuti ac humilitati adſcribitur: aſt ex vano timore, ex humano reſpectu, ex verecundia bona opera in publico omittere, exercitia boni Religioſi negligere, â fervore recedere, in diſſolutiones & laxitates conſentire, hoc vitioſum & periculoſum eſt maximè. Quæſo! ſi ſolum in occulto bonis operibus inſudamus, ubi manet virtus boni exempli? ubi eſt victoria de humanis reſpectibus? ubi triumphus de naturali verecundia, de confuſione propria? ubi humilitas, quæ nullam refugit confuſionem? ubi charitas, quæ præoptat pro nomine Jeſu & pro juſtitia contumeliam pati? Nonne ipſe Sanctus Gregorius præcitato textui ſtatim ſubjungit: *Hoc autem dico, non ut proximi opera noſtra bona non videant, cùm ſcriptum ſit: videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, ſed, ut per hoc, quod agimus, laudes exterius non quæramus.* Sic

S. Gregor. homil. 11. in Evangel.

loco cit.

autem ſit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ ſoli Deo placere quærimus, ſemper optemus ſecretum. Ubi manet iterum in Profeſſo illud ſignum boni novitii: *Conatur inter duo bona illud eligere, quod eſt perfectius, hoc eſt, quod continet in ſe magis generoſum & heroicum actum, & quod magis repugnat amori proprio, eumque magis mortificat, præſertim iis in rebus, quæ hominem magis humiliant, magis coram aliis confundunt,* & *contemptibiliorem reddunt mundanis.* O quot ſunt actus humilitatis, qui in occulto per ſe omni difficultate carent, in publico autem non niſi cum rubore ac ſui confuſione exercentur, donec per frequentatos actus triũphetur difficultas. Audiamus ſuper hâc re judicium ipſius Incarnatæ Sapientiæ. Ecce! ſuaſerat olim Dominus Sanctæ Gertrudi noſtræ orationem expanſis brachiis, cui illa confidenti ac ſimplici corde reſpondit: *Si quis hoc facere vellet, oporteret eum angulos quærere, eoquòd iſte modus non habetur in uſu.* Ad quæ Dominus reſpondens, ratum quidem habuit illud ſtudium quærendi angulos, ſed adjecit nihilominus: *Si quis hoc in uſum duceret, quod palam expanſis manibus orans nullius in hoc contradictionem expaveſceret: ille tantum mihi honoris*

Nicol. Lancicius opuſ. I. c. 25.

Lib. 4. inſinuat. Divinæ Pietatis c. 16.

noris exhiberet, quantum ille regi defert honoris, qui ipsum solemniter inthronizat. En tibi! tanti est apud regem gloriæ victoriam reportare de humano respectu.

Secundum ipsorum principium verisimiliter sic sonat, esse communitatem attendendam, omnemque singularitatem cane pejus & angue fugiendam, pro quo suo principio, forsan non nemo allegabit sacram Regulam Sancti Patris nostri Benedicti cap. 7. ita statuentis: *Octavus humilitatis gradus est: si nihil agat Monachus, nisi quod communis monasterii Regula, vel majorum cohortantur exempla.* Verùm necdum probatum est, quòd ejusmodi inimici fervoris, ac hostes rigoris sint communis Monasterii Regula, aut annumerandi majoribus. Est procul dubio *optima Religiosi perfectio, perfectè communia quæque conventualia servare*, & non parum hallucinatur, qui suas privatas devotiones præfert; porro his pro viribus observatis, quis ascetarum, quæ Regula inhibet, aut improbat opera supererogatoria, ad novitium fervorem conservandum conducentia, ipsique propriæ Ordinis Regulæ conformia? Communis nostra Regula est cum suo auctore omnium justorum spiritu plena, ut proîn hanc quis perfectè adimpleat, debet omnium justorum sitire justitiam, suos confratres prævenire

S. Bonav. in spec. discip. part. 2. c. 2.

S. Regul. c. 72. nire bono zelo, *qui separat à vitiis, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum ferventissimo amore exerceant Monachi*, debet imitari illos, qui *angustam viam arripiunt.* S. Regul. cap. 5. *Unde Dominus ait: Angusta via est, quæ ducit ad vitam.* Debet attendere ad Doctrinas sanctorum Patrum, *quarum* S. Regul. c. 73. *observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis.* in Oeconomia Monastica. Communis Monasterii Regula (uti benè observat Carolus Stengelius super hunc textum Regulæ) in his tribus consistit: Nempe *in communi dilectione fraterna*, quæ est omnibus impendenda. *In communi substantia*, quâ omnes debent esse contenti, nec ultra communem mensam, vel communem vestitum quidquam desiderare, & *in communi obedientia*, â qua nullus se debet excipere. At per istam communem Monasterii Regulam nullus inhibetur, quin possit plus laborare pro gloria Dei, quàm alter, parciùs ac austeriùs vivere, quam alter: majores nostri, quoad imitationem præsertim, non sunt mensurandi â statura, vel Professione, minùs â garrulitate, qua monasticum rigorem & Religionis fervorem impugnant, sed veri majores nostri sunt *homines magni virtute & prudentiâ* Eccli. 44. v. 3. *suâ præditi &c. homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes* v. 6. *in Domibus suis. Quisquis ergo virtuti studet,*

studet, cujus ordinis sit, advertat, & ejus ordinis Principes notet, eorumque exemplis atque trophæis se ad virtutem excitet. Tertium ipsorum principium est, omnem perfectionis zelum explodere, omnem sanctitatem jam quasi antiquatam habere, ac insipienti irrisione confundere, quidquid sapit imitationem Sanctorum. Verùm bonus suæque salutis amans Religiosus similibus non movetur retrorsum, Jobi insistens vestigiis, qui nequaquam â semita virtutis abscessit, tametsi à sua uxore fuerit irrisus. Bonus Religiosus inter irrisionum divexationes illum ante mentis oculos sibi statuere consuescit, qui, quid sibi â suis fratribus contigerit, ore prophetæ ita enarrat: *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ, quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Et operui in jejunio animam meam: & factum est in opprobrium mihi. Et posui vestimentum meum cilicium & factus sum illis in parabolam; adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum. Ego verò orationem meam ad te Domine tempus beneplaciti Deus.* Tunc vel maximè virtuti est tempus beneplaciti apud Deum, quando displicet in oculis irrisorum. Necdum intelligit virtutis decorem, qui vir-

Eusebius Nieremb. homil. 67.

Job. 2.

Psal. 68.

virtutis exercitia erubescit, facilè timor humani respectûs devincitur, ubi respectus habetur illi effato Domini minitantis: *qui*
Luc.9.v.26. *me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua.* Seipsum Sanctum existimare, aut inter Sanctos pro præsenti reputari velle, hoc equidem nimium protervum foret, ast vias Sanctorum exquirere, ipsorum vestigia premere, ad arctiorem cum Deo unionem aspirare, ad veræ sanctitatis lumen pro gloria Dei totis conatibus cor suum extendere, hoc non pudoris, sed honoris, non confusionis, sed obligationis, nostræque
de vita solitaria ad Fratres de monte c. 2. Professionis est. *Altissima enim* (inquit mellitus Abbas Claravallensis) *est Professio vestra. Cœlos transit, par Angelis est, Angelicæ similis puritati. Non enim solum vovistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, & omnis consummationis finem.* Quòd tam imperfecti & à sanctitate tam remoti inveniamur, non dimanat ex parte Dei largitoris semper prompti ad dandum, sed ex defectu nostræ dispositionis, tam tardæ, tamque inhabilis ad recipiendum. Tenendum quippe est cum San-
Opusc.62. cto Thoma, Angelico Magistro, *Deum creaturis communicare, quidquid communicabile, & ab eis receptibile est. Etiam singulis communicat, cùm habilitatem invenit.*

Ratio-

Rariores equidem nostrâ infaustâ ætate sunt Sancti, virique perfecti, at & vel ideò chariores, vel ideo Deo gratiores; quemadmodum refert beata Angela de Fulginio, ab ipso Spiritu Sancto in hunc modum sibi revelatum: *Si esset hodie aliqua persona, quæ me plus diligeret, quàm S. Franciscus, adhuc sibi plus facerem. Dicebat autem mihi* (subintellige Spiritus Sanctus) *quod pauci sunt hodie boni, & quòd erat pauca fides, & conquerebatur dicens: Tantus, inquiebat est amor, quem habeo, animæ, quæ diligit me sine malitia, quòd modo, si esset aliqua, quæ perfectè me diligeret, majorem gratiam facerem ei, quàm alias fecerim Sanctis, de quibus in tempore præterito multa referuntur, quæ Deus fecit eis. Et non est aliquis, qui possit se excusare de isto amore, quia omnis persona potest amare Deum, & ipse non requirit aliud, nisi ut anima requirat & diligat eum.* Ecce, tam amanti tamque liberali Domino quis non serviet totis viribus in omni possibili sanctitate vitæ? Egone deinceps magis attendam homines à fervore me retrahere cupientes, quàm ipsum Deum, tam amabiliter invitantem, tam amanter promittentem? *Nullo modo* (ait Sanctus Basilius) *impediri debet, qui Dei voluntatem facere velit, sive ea, quæ sit ex mandato Dei, sive ex ratione à mandato Dei* *non*

In vita edit Boll. c. 3.

in moral. Regul. 19. c. 1.

non alienâ, neque faciens impedire se volenti cuiquam auscultare, licèt ille arctissimâ ipsi necessitate conjunctus sit, sed in susceptâ deliberatione permanere. Bonus Religiosus non attendit ejusmodi inimicos spiritualis fervoris ac tineas sanctitatis, sed *habet ardens desiderium magnæ sanctitatis, idque non ob propriam, etsi bonam, utilitatem, sed ut det gustum Deo & gloriam quàm maximam ex sua persona, & ex suo modo vivendi, & causet magnum gaudium Christo suo Redemptori, qui vehementer lætatur, dum videt in aliquo copiosum suorum meritorum fructum, & nostræ Redemptionis amplam per magnarum incrementa virtutum dilatationem.* Præsertim nostris infaustis temporibus, quibus Deus jure merito contra plurimos apud Sanctam Brigittam conqueritur: *Ego Deus & creator omnium sum eis onerosus quasi lapis, sapio eis quasi venenum, ingluviei eorum sum quasi mica, ecce! quomodo abjectus sum! ecce! quid mihi pro Charitate rependitur? Relaxant oris sui custodiam, morum deserunt gravitatem, mentem incultam perniciosâ otiositate relinquunt, virtutum habitus & perfectionis culmen obtinere se posse diffidunt. Sat esse arbitrantur, si perseverent in claustro, si delicta priora non repetant, si aliena non rapiant, si in aperto opere mortaliter non delinquant. Quamobrem*

Nicolaus Lancicius opusc. 1. cap. 25.

In relevat. extravag. cap. 51.

S. Laurent. Justinian. de interiori conflictu c. 11.

obrem orationem negligunt, abhorrent pugnam, fugiunt ſanctitatem. Quapropter ſolicitè cuſtodi fervorem ſpititûs, ne eundem devoret locuſta & bruchus, inanis ſcilicet timor ac humanus reſpectus. Ne tui partus ac bona propoſita ſuffocentur ab imitatoribus Pharaonis in flumine diſſolutionis, *confide fili!* & crede Sancto Ignatio Lojolæ ad ſuos ita ſcribenti: *Summa Divinæ Majeſtatis noſtræ bonitas ſummè communicabilis donorum ſuorum & bonorum, & ille æternus amor promptior eſt ad dandam nobis perfectionem, quàm nos ad eam recipiendam. Nam ſi ſecus eſſet, non exhortaretur nos æternus ejus filius ad hoc, quod ex ejus tantum manu accipere poſſumus, dicens: Perfecti eſtote, ſicut & Pater veſter cœleſtis eſt perfectus atque ita quantum ex parte ejus, certum eſt, eum præparatum & promptum, dummodo ſua Majeſtas Divina nos videat uti benè donis ejus acceptis, & cooperari cum magna induſtria & diligentia ejus Divinæ gratiæ.* Matth. 9. v. 2. Nicolaus Lancicius opuſc. 6. c. 6.

ME-

MEDITATIO III.

De Fructuosa applicatione talentorum scientiarum, & gratiarum.

Punctum 1. De talentis. 2. De scientiis & artibus. 3. De Divinis gratiis bene applicandis.

Præludium.

COnstitue te in conspectu Domini cum servis suis rationem ponentis. Visne judicari cum illo, qui quinque talenta lucratus est? an cum illo, qui duo? an
Matth. 25. v. 18. verò cum illo, qui *abscondit pecuniam Domini sui?*

Punctum I.

Considera bonum ingenium, sagax judicium, felicem memoriam, cæterasque similes animæ dispositiones naturales communiter appellari talenta naturalia, & forsitan vel ideò, ut ex ipsâ appellatione hæc dona dignè æstimare, ac fructuose impendere condisceremus: nam talentum (teste Budæo) est tanti pretii ac æstimationis, ut unum talentum Atticum suo valore adæquet

quet ſexcentos aureos: ſecundùm Hebræorum computationem verò (teſte Cornelio à Lapide) omnino duodecim millia aureorum. Vah quanta ſumma! ô quantum argutus mercatur vel uno talento lucrari poteſt, ſi illo prudenter ac providè negotiatus fuerit! Econtra autem quanta contrahit ſervus debita, ſi vel unum talentum â Domino ſibi commiſſum malè expenderit, aut ludendo perdiderit! certè in Evangelio *oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.* Matth. 18. v. 24. Aſt nihilominus longè majus adhuc lucrum è tuis talentis tibi comportare poteris, ſi illis benè uſus fueris, longè adhuc amplioribus te involves debitis, ſi eisdem abuſus. Jam revoca ad calculos totam tuam ſpiritualem negotiationem, omnem fructuoſum & infructuoſum uſum tuorum talentorum, expende tecum verba illius ſervi, ita ad Dominum ſuum loquentis: *Timui enim te, quia homo auſterus es; tollis, quod non poſuiſti, & metis, quod non ſeminâſti.* Luc. 19. v. 21. Quid eſt hoc aliud dicere, niſi quod etiam de lucro ceſſante reddenda ſit ratio, etiam ille, qui pecuniam habuit repoſitam in ſudario, vocabatur ſervus nequam. Quid ergo fiet illis, qui talenta ſua impendunt in malum finem, ad ſuperbiam, ad captandam vanam gloriam &c.? forſan fuiſti quondam è numero illorum, de quibus

in Floribus Ind. 19. Septemb. Sanctus Franciscus Xaverius sic scribit: *Torpent ingenia desidiosa juventutis, nec in ullius honestæ rei labore exercentur.* Sed quid si isthæc verba etiamnum in religione te tangunt? ah quomodo de omni talentorum neglectu & abusu reddes rationem ei, *cui etiam numerati sunt capilli capitis nostri?* (S. August. lib. 1. conf. cap. 12.) Scire cupis, quomodo Religioso talenta sua sint impendenda? venerabilem Bedam imitare, *qui semper legit, semper scripsit, semper docuit, semper oravit.* (Breviarium in Festo.) Similis esto illis pecuniarum cupidis lusoribus, qui etiam durante lusu suas monetas numerant, & renumerant, semper astutè attenti, ut in omni lusu lucrentur.

Punctum II.

Considera, talentis jure annumerari scientias ac artes, & similia naturalia ornamenta animæ: de his quippe rigidissima quoque reddenda est ratio. Propter hæc quoque metuendum est Divinum judicium; siquidem *à nullis majus sumpsit Respublica detrimentum, quàm ab iis, quos sublimiori Deus ingenio, & literatura instruxit, illud menti cum gladio commune, quod auctior gravioribus aptetur vulneribus. Doctrina multis præluxit ad infernum, quos simplex ignorantia cœlo intulisset. Quot non inferni profundum literatissimi occupant! sapientia sine* (S. Francisc. Xaverius in Floribus Ind. 4. Nov.)

spiri-

ſpiritu ſtultitia eſt apud Deum, pernicies apud homines. Et *niſi litteris, literatisque Domini Spiritus præſit, literæ haud paulò plus detrimenti afferent, quam commodi.* Sic nempe Religioſi noſtri *operam dabunt comparandis ſcientiis, ut præcipuum eorum ſtudium ſit ad virtutem & perfectionem Status Monaſtici contendere.* Sic exercendæ ſunt artes ac ſcientiæ, *ut in omnibus glorificetur Deus.* Nempe ſecundùm diſpoſitionem ſuperiorum ad Divinum beneplacitum, non ad vanæ complacentiæ lucrum, non ad ambitionis refrigerium, non ad hauriendos humanos favores, non ad propriæ commoditatis ſolatium, non ad quæſtum æris. *Noli ergo extolli de ulla arte vel ſcientia ſed potiùs time de data tibi notitia.*

Statu congreg. c. 2. §. 3.

S. Regul. 57

de imit. Chriſti c. 2. lib. 1.

Punctum III.

Conſidera, omnium talenta pretioſiſſima eſſe dona gratiæ; hæc enim ſunt panis, quo confortatur Spiritus, ſunt margaritæ, quibus exornatur anima. Unde & Dominus ait: *Non eſt enim bonum, ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Tripliçi ex cauſa bonum non eſt, panem mittere ante canes. Primò quia canes carnem ſcientes, & carnium amantiores, frequentiùs panem faſtidire conſueverunt. Secundò,

Marc. 7. v. 27.

Matth. 6. v. 6.

quia vorantes circumquaque micas diſpergunt, nec facilè ampliùs colligunt. Tertiò, quia proprium vomitum rurſum devorant. Uti canis proinde reputabitur ac judicabitur, quisquis Divinas inſpirationes faſtidit, quisquis panem gratiæ non manducat, quisquis gratiæ Divinæ vel micam relinquit, & non cooperatur eidem ex integro, quisquis rurſum redit ad peccata, quæ ſumpta medicina Divinæ gratiæ ejecit. Canes quandoque, & quidem juſtè caſtigantur fame, aut expelluntur foras: ſic & faſtidientes divinam gratiam jure merito ſubtractâ gratiâ *famem patientur ut canes*, & dicetur ipſis aliquando in die Judicii: *foris canes*. Ante porcos non ſunt mittendæ margaritæ Divinæ gratiæ; quia eas conculcant pedibus, ac commiſcent ſordibus: uti porcus proinde judicabitur ac in judicio reputabitur, quisquis tempus Divinæ inſpirationis contemnit, quisquis gratiâ Divinâ abutitur ad liberiùs peccandum. Quapropter imitare illam mulierem fortem, quæ *panem otioſa non comedit*. Cooperare gratiæ Divinæ, ut poſſis cum Paulo aſſeverare: *Gratia ejus in me vacua non fuit.*

Pſal. 58. v. 15.

Apocal. 22. v. 15.

Proverb. 31 v. 27.

1. Corinth. 15. v. 10.

BONA

BONA PROPOSITA
Ex
Præſenti Meditatione.

1. SÆpius quotidiè cum Sancto Auguſtino deflebo, quòd toties â juventute mea in hunc usque diem fuerim abuſus talentis meis.

2. Pariter frequenter confitebor adverſus me injuſtitiam ac ingratitudinem meam Domino, quòd tot Divinas inſpirationes ſurdâ aure tranſiverim, & toties gratiam Dei neglectui duxerim.

3. Nunquam deinceps ampliùs margaritas Divinæ gratiæ inſtar porcorum conculcabo pedibus, nec abutar divinâ clementiâ ad peccandi licentiam, metuens juſtè, ne detur licentia dæmonibus, me invadendi, ac in præceps præcipitandi, quemadmodum quondam contigit gregi porcorum in regione Geraſenorum. Marci 5. v. 11. & 12.

4. Cum prudenti negotiatore omnia dabo pro qualibet margarita Divinæ gratiæ, ſemper gratus, ut merear gratias majores recipere. Matth. 13.

5. Talenta & omnia â Deo mihi indulta ſemper ponam ad menſam honeſtæ ac proficuæ occupationis, nunquam autem abſcondam ſub ſcamno otioſitatis.

6. Procul deinceps sint à me studia inutilia, ac omnis labor inutilis, quem nec obedientia nec charitas statuit; Statui enim mecum, imposterum cum Appelle pingere æternitati, ut mihi ac aliis semper prosim ad salutem.

CONSIDERATIO VESPERTINA.

De
Debita applicatione ad communia religiosa exercitia.

COnsidera lapsum Sancti Thomæ Apostoli, dubitantis in fide: nec tamen adeò mireris, minùs imiteris. *Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus.* Hæc procul dubio fuit potissima causa lapsûs, quia non erat congregatus cum congregatis, quando venit Jesus; nimis quippè periculosum est, se absentare, seque subducere præsenti Jesu. Sed quando venit Jesus? nempe ubi sunt discipuli congregati in unum, ubi Religiosi sunt congregati ad chorum, ad meditationem, ad examina, & ad reliqua religiosa exercitia, tunc venit Jesus, pacem suam, gratiam, & benedictionem daturus; quemadmodum ipse contestatur dicens:

Joan. 20. v. 24.

cens: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati* Matth. 18.
in nomine meo, ibi sum in medio eorum, v. 20.
Hinc gratiæ ac speciali benedictioni Dei se subtrahit, quisquis communibus Religionis exercitiis se subducit. Gloriantur nonnunquam veterani, quòd nunquam nocturnis vigiliis in choro, nunquam communi meditationi & similibus exercitiis abfuerint, nec immeritò, dummodo in Domino glorientur, nihil sibi adscribendo, sed soli Deo honorem & gloriam dando; quoniam hæc est gloria religionis nostræ ac disciplinæ monasticæ, ut omnia observentur ad punctum, ut omnia custodiantur ad amussim, ut omnia fiant absque menda. Quapropter Prov. 31.
mitte manus ad fortia, applica te totum ad v. 19.
communia religionis exercitia; nam virtus unita fortior, & exercitatio communis ad obtinendam cœlestem benedictionem efficacior. Exemplo tibi sit celebris Theologus Franciscus Suarezius, qui maluisset omnem scientiam Theologicam perdere, quâm unicam solitæ meditationis horulam intermittere. Hunc Theologum imitare, & eris bonus asceta. Tobias Lohner in sua Bibliotheca.

DIE SEXTA OBSERVATIONES.

1. DIes sexta Sacrorum exercitiorum, quæ supponitur sabbatum, dedicabitur

tur specialiter beatissimæ Virgini Mariæ, sinè labe conceptæ.

2. Singula hujus diei exercitia specialiter offeruntur tum pro impetranda efficaci gratia ad sua religiosa vota perpetuò inviolabiliter custodienda, tum pro conversione hæreticorum.

3. Tessera specialis pro hâc die erit: Deus planè vult, ut justam actionem secundùm suum beneplacitum perfectè peragam: Ergo fiat voluntas tua, Domine, quemadmodum tua Mater dixit, dum te de Spiritu Sancto concepit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Lucæ 1. v. 38.

4. Aspirationes frequentiores erunt:

O Maria, Virgo pia!
Mater admirabilis:
Per te, Deus Judex meus
Mihi sit placabilis.
O benigna, verè digna
Multis amatoribus;
In agone fer coronæ
Præmium victoribus.

5. Manè ante meditationem pro lect. spirit. ex libell. de imit. Christi serviet ex libr. 3. cap. 10. quòd spreto mundo, dulce est servire Deo, cap. 12. ex eodem libr. de informatione patientiæ, & luctamine adversus concupiscentias, & cap. 13. de obedientia humilis subditi, ad exemplum Jesu Christi.

6. Me-

6. Meditatio prima de paupertate. Secunda de caſtitate. Tertia de obedientia.

7. Lectio matutina de habendà ſolicitudine pro conſervando theſauro caſtitatis. Pomeridiana de religioſa ſimplicitate.

8. Examen particulare de indeſinenti cuſtodia caſtitatis.

9. Lectio veſpertina ex Sacra Regula cap. 5. 33. & cap. 54.

10. Conſideratio veſpertina de cultu Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

MEDITATIO I.

De Paupertate.

Punctum 1. De cultu ac amore paupertatis propter periculum. 2. De cultu paupertatis ad ſequelam & propter amorem Chriſti. 3. De cultu paupertatis propter remunerationis divitias.

Præludium:

AVola mente in ſublacum, contemplaturus in arctiſſimo ſpecu extremam paupertatem Sancti Benedicti. Ecce! tantus Princeps, tot deſertis opibus, amore Chriſti, in tanta quoad omnia degit paupertate! nota fili, ſequere Patrem.

Punctum I.

Considera obligationem tuam longè gravissimam. Paupertatem perpetuam vovisti: *Redde Altissimo vota tua; displicet enim ei infidelis & stulta promissio, sed quodcunque voveris, redde. Multoque melius est, non vovere, quàm post vota promissa non reddere.* Nimirum per vota *declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*, nisi adimplendo vota sua, obligationibus suis debitam satisfactionem præstiterint, in die judicii cognosces, quanta sit paupertatis obligatio; tunc videbis, verissimam fuisse illam horribilem visionem Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quæ â nostro Anselmo Fischer exactis Sanctorum hisce refertur: *cùm monstrâsset ei Dominus* (intellige Magdalenæ de Pazzis) *magnum numerum animarum religiosarum, quæ instar fulgurum præcipitabantur ad infernum, intellexit, ideò nominatim damnatas, quia non observaverant votum paupertatis: & exclamans inter alia etiam hæc dixit: ô Paupertas! ô paupertas religiosa! quâm parùm cognosceris, & observaris! ô si illa cognosceretur, non invenirentur cellæ plenæ ornatu. Tanquam venenum horrori foret pecunia ad proprium arbitrium expendenda, & tot aliæ vanitates nimiùm dedecentes religiosam paupertatem, procul exularent â sacris claustris.* In

Psal. 49. v. 14.
Eccle. 5. v. 3. & 4.
Parte 2. cap. 1.
Isaiæ 61. v. 8.

In judicio cognoſcetur *Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocauſto.* Rapinam committit, quisquis invito ſuperiore quid retinet, quid accipit, quid expendit, quid quâcunque occaſione de quâcunque re diſponit. Sive effectu, ſive affectu tantùm; nam *niſi ex toto corde, & affectu pauper ſis, ipſa non virtus, ſed miſeria judicanda eſt.* Væ tunc illis, *qui pauperes eſſe volunt eo tamen pacto, ut nihil eis deſit, & ſic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur.* Hæc quippe non eſt noſtra paupertatis Profeſſio, ſed paupertas noſtra, quam profitemur hæc eſt, libenter pro Chriſto multis defectum ac inopiam pati, in cibo, in potu, in veſtitu, & in omnibus neceſſariis ſolùm ea admittere, quæ pauperibus habentur in uſu. *Paupertas vera, & perfecta eſt* (inquit Albertus Magnus) *nihil præter ſolam neceſſitatem poſſidere, eademqúe neceſſitate ſe indignum putare, imo etiam ipſâ neceſſitate quandoque propter Deum, & propter paupertatis amorem, libenter carere.*

S. Cæſarius homil. 27. S. Bernardus Serm. 4. de duplici adventu.

ApudFranciſcum Wennium Tract. 7. cap. 3.

Punctum II.

En tibi ideam paupertatis ipſum Chriſtum Dominum; *quoniam propter vos* (inquit Sanctus Paulus) *egenus factus eſt, cùm eſſet dives*, & quidem adeò egenus, ut natus de Virgine non haberet aliud diverſorium,

2. Corinth. 8. v. 9.

rium, nisi fœtidum stabulum, hyemis tempore non alium lectulum, nisi præsepe frigidum,

Fæno jacere pertulit,
Præsepe non abhorruit,
Parvóque lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.

Hem tibi, tantus Rex & ipse thesaurorum Dominus propter te pauperior factus est, non solùm quovis mendicabulo, sed etiam ipsis avibus cœli & bestiis terræ. Nam *vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius hominis autem non habet, ubi caput suum reclinet.* Natus est in alieno stabulo, sepultus in alieno sepulchro, pauperrimus inter vivos & mortuos Rex vivorum ac mortuorum. *Necessitate cibi caruit, cùm nec sibi, nec discipulis suis spicas confricantibus, panem habere potuit. Vestium necessitate caruit, quando ante crucem penitus nudatus fuit. Sitiens in cruce, haustum aquæ habere non potuit, nec lapidem, nec asserem, in quo moriens, crucifixum caput reclinaret. Heu quàm sæpe ibi est superfluitas, ubi creditur vera esse necessitas.* Quapropter *imitemur, quoad possumus, eum, qui sic dilexit paupertatem, ut quamvis in ejus manu essent fines terræ, tamen non habuit, ubi caput reclinaret.* Immeritò enim Christi servus aut Religiosus audit, qui Christi sui Magistri

Lucæ 9. v. 58.

Albertus Magnus in Paradiso animæ cap. 5.

S. Bernard. Serm. 4. in adventu.

Magistri exemplo extremam paupertatem non diligit.

Punctum III.

Considera, & *noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Tobiæ 4. v. 23. Sed quænam sunt illa bona? nempe *qui carnalia pro salvatore dimiserit, Spiritualia recipiet, quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur.* S. Hieronymus libr. 3. in Matth. *Centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Matth. 9. v. 29. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth. 5. v. 3. Quid itaque perfectâ paupertate felicius? quid jucundius? quid salubrius? quid fructuosius? quid opulentius? quemadmodum enim quilibet actus humilitatis â charitate imperatus novum ac altiorem exaltationis gradum operatur in cœlis, ita pariter quodlibet paupertatis exercitium novum meretur augmentum divitiarum Spiritualium ac gloriæ sempiternæ. Amabo! *quid potest eo esse felicius, cui efficitur suus conditor census; & hæreditas ejus dignatur esse ipsa divinitas?* S. Prosper. libr. 2. de vita contempl. cap. 17. *Paupertas est etiam quædam manuductrix in viam, quæ ducit ad cœlum, unctio athletica, & exercitatio magna & mirabilis. Est quoque portus tranquillitatis, nutrix* S. Laurent. Justinianus in Ligno vitæ cap. 1.

nutrix confidentiæ, quietis fundamentum, orationis adjutorium, peregrinationis exhortatio, & perfectionis porta, sine quâ nemo coram Deo in Spiritu diu perdurare potest. Idcircò *tene breve & consummatum verbum: dimitte omnia, & invenies omnia: relinque cupidinem, & reperies quietem.*

De imit. Christi libr. 3. cap. 32.

BONA PROPOSITA
Ex
Præsenti Meditatione.

1. AD radicandum in me perfectæ paupertatis amorem frequentius ad memoriam, ac ad meditationem vocabo sequentia axiomata nostri Gerardi Belgæ. 1. *Tantum habeat Monachus, quantum amori Deo datum in cruce.* 2. *Satis supellectilis habet cella, si Monachum habeat, & crucifixum.* 3. *Tantum pateat cella Monachi, quantum brachia crucifixi.* 4. *Frustra mundum deseruit, qui quidquam ejus sibi retinuit.*

2. Meipsum sæpius confundam, & erubescam, quòd tam procul distem ab istis regulis paupertatis, & â paupertate amoris crucifixi in cruce.

3. Omnem navabo operam, ne Sanctam paupertatem vel in minimo transgrediar, sive accipiendo, sive dando, sive quidquam

quam usurpando contra superiorum voluntatem, aut ordinis statuta.

4. Si erga aliquam quamcunque rem mihi concessam inordinato me sentiam ferri aut vexari affectu, protinus è cella ejiciam, ac ad superiorem deferam.

5. Non attendam aliorum liberiorem licentiam, sed æmulabor semper perfectiora paupertatis charismata; siquidem nemo in ulla virtute proficit, qui languentium ac deficientium vestigia premit.

6. Studebo autem toto conatu adimplere illud beatissimæ Virginis Mariæ monitum cuidam olim Carthusiano hisce verbis datum: *Tibi aliquid singulare in mandatis tradam: stude vilibus escis, amplectere abjectas vestes, operi manuum devotus insiste.* Nicolaus Lancicius opusc. 2. cap. 6.

LECTIO SPIRITUALIS
Tempore matutino.
ARGUMENTUM.
Castitatem amare.

NOlo hic in castitatis præconia excurrere; omne enim in laudem castitatis ipse Spiritus Sanctus dixit, dum asseruit: *omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.* Nam *quis autem humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali* Sacra Regul. cap. 4. inst. 65. Eccl. 26. v. 20. S. Ambrosius libr. 1. de Virg.

rali voce complecti, quod ſupra uſum naturæ ſit? Supergreditur namque continentia humanæ naturæ conditionem, per quam homines utcunque angelis aſſimilantur. Major tamen in aliquo eſt victoria continentium quàm Angelorum. Angeli enim ſine carne vivunt: continentes autem in carne triumphant. Differuntque in hoc homo pudicus & Angelus; quia Angeli virginitas felicior: hominis verò continentia fortior eſſe cognoſcitur. Eſt continens Jeſu Chriſti domus amabilis & pulcherrima. Pulchritudinem enim quis majorem poteſt æſtimare decore pudici, qui amatur à rege, probatur à judice, dedicatur Domino, conſecratur Deo, &c. Eſt denique continentia ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, ſolamen mærentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus omnis religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, Creatoris omnium Dei amica, ſoror Angelorum, victoria libidinum, Schola virtutum, & poſſeſſio omnium bonorum, quam qui poſſidebit, habebit pacem in conſcientia, lumen in mente, hilaritatem in facie, gaudium in anima, ſecuritatem in morte, & partem in æternitate. Hoc ſolo itaque in iſtó diſcurſu tuam conſcientiam convenio, utrum hujusque caſtitatis cimelium verè amaveris? utrum caſtimoniam Angelicam tanquam mar-

S. Laurent. Juſtinianus in Lig. vitæ cap. 2.

margaritam inæstimabilem imposterum ex sincero corde amare intendas? & quidem amore efficacissimo, intensissimo, ac constantissimo? utrum secundùm documentum Chæremonis Abbatis tanto erga acquisitionem castimoniæ desiderio atque amore inflammeris, *quanto quis pecuniarum cupidissimus appetitor, vel qui summâ honorum ambitione distenditur.* Signa hujus amoris erga Angelicam castimoniam tantùm duo hîc ponuntur, ita tamen, ut alia plura, ac potissima, eaque fortissima media ad conservandam castitatis margaritam in eisdem includantur. Primum itaque signum est practicum ac incessabile odium vitii oppositi, libidinis videlicet, & omnis impuritatis; sicut enim nemo potest duobus, præsertim sibi invicem adversantibus, Dominis servire, sic etiam nemo potest duobus contrariis amore adhærere, sed necessario, si unum diligit, alterum oppositum odio habebit, nec potest quis dicere, se diligere castitatem, nisi odio habeat libidinem, ac horreat omnem impuritatem. Nisi horreat quatuor in cogitatione, quatuor in verbo, & quatuor in opere. In cogitatione quidem animus castus summoperè semperque horret turpia desideria, morosam delectationem, inhonestam imaginationem, & omnem negligentiam in similibus repellendis,

Apud Cass. Collat. 12. cap. 4.

lendis. In verbis horreſcit verba impudica, verba ſcurrilia, verba ſenſualia, & omnem occaſionem ſimilia audiendi. In opere perhorreſcit omnem turpem actum, omnem inhoneſtum tactum, omnem ſenſualem aſpectum, omne ad ſimilia alliciens periculum. Omnis quidem Religioſus, ſuæ Profeſſionis memor, eſt totus in eo, ut altas radices agat in horrore omnis peccati, præcipuè nihilominus ſingularem dat operam, ut ſingulari continuò ardeat horrore adverſus ſingularem feram peſſimam, adverſùs horribile luxuriæ monſtrum, quod tot jam proſtravit Sampſones, infatuavit Salomones, ſeduxit Davides, occidit Amnones. Quod potiſſimos facit apoſtatas, maxima perpetrat flagitia, plurima committit ſacrilegia, potiſſimas animas mittit in tartara, ſæpeque innumerabiles meritorum margaritas uno aufert momento, quas etiam ferventiſſimus vix pluribus colligit annis. Quod potiſſimas Eccleſiæ infert ſtrages, provocat lites, excitat bella, ſeminat ſcandala, inſidiatrix Innocentiæ, diſſipatrix famæ, naufragium marſupii, peſtis juventutis, infectrix omnis ætatis, deſtructio ſanitatis, pernicies religionis, exitium virtutum, lerna vitiorum, perditio animarum: blandiens, ut alliciat, alliciens, ut occidat. Eſt quippe hæc lues ſimilis illi monſtroſæ fœminæ,

minæ, quæ Joanne Herolt exemplo 68. referente, quondam sub noctis crepusculum viro cuidam nobili in Austria, dum animi causâ suum obambularet hortum, sese spectabilem stitit, â fronte quidem formosissimam exhibens Helenam, toto composita vultu ad propinandas delicias, â tergo verò post se trahens fœdam, ac plenam putredine, sordibus, vermibusque caudam. Sic & omnis carnis voluptas â fronte quidem, non nisi illecebras ac dulce venenum promittit, ast â tergo post se trahit caudam malorum maximam: nempe trahit post se summam injuriam supremæ majestatis, offensam Divinæ bonitatis, contemptum totius Sanctitatis, supremam contumeliam in Patrem omnium Creatorem, novam crudelissimæ mortis sententiam in filium dulcissimum Redemptorem, probrosissimum derisum in Spiritum Sanctum Sanctificatorem, subsannationem & illusionem in totam Sanctissimam Trinitatem, extremam ingratitudinem in Deum benefactorem, rebellionem contra Regem gloriæ, odium pro dilectione in sponsum cœlestem, aversionem Divini vultûs, & quasi dolorem intrinsecus in corde Dei. Justissimum fletum in Angelis pacis, æquissimam displicentiam in Regina Angelorum, indicibilem tristitiam in omnibus Sanctis ignominio-

ſiſſimam ſanguinis Chriſti peſſumdationem, dedecus fidei, religionis vilipenſionem, templi Spiritui Sancto ſacrati profanationem, ſuæ Profeſſionis violationem, voti transgreſſionem, Divini jugi abjectionem, æternæ hæreditatis privationem, gratiæ ſanctificantis amiſſionem, omnium meritorum jacturam, lethale vulnus conſcientiæ, mortem animæ, ſervitutem peccati, mancipatum Diaboli, obligationem ad cruciatus infernales, & ſi quid aliud infelicitatis, omnia hæc ſibi connexa habet quælibet, etſi momentanea, venerea delectatio. *Draconis* cauda ſignatur luxuria (inquit Joannes Sylveyra) *quæ inter omnia vitia eſt quid viliſſimum & abjectiſſimum, ac maximè fœdum & immundum. Sic & cauda præ cæteris corporis partibus hoc habet, ut ſit maximè vilis, abjecta, fœtida, & immunda, & ideò tot ſydera projicit, quia libido innumeros proſternit, ac in infernum præcipitat.* Non ergo â vultu, ſed â cauda reſpicienda eſt carnalis delectatio, & quidem illicò in principio mens totis conatibus avertenda eſt â delectationis ac omnis turpis curioſitatis objecto: nam in iſta materia curioſum eſſe, eſt omnium turpium tentationem colluviei latam portam repandere, animamque ſuam Diabolo ultronea invitatione pro præda exponere: in materia carnalium delecta-

In cap. 2. Apocal.

lecta-

lectationum ac curiositatum moram trahere, est infernali basilisco occasionem ac ansam ministrare, ut immisso veneno possit occidere, ac imminuere vires resistendi. *Diaboli primis titillationibus obviandum est* (recte monet Sanctus Cyprianus) *nec coluber foveri debet, donec in serpentem formetur. Omni cautela* (inquit Sanctus Gregorius) *carnales cogitationes, & immunda desideria, cùm se cordi volunt insinuare, sunt repellenda; ex quo enim luxuria semel mentem alicujus occupaverit, vix eum bona cogitare permittit. Sunt enim desideria viscosa, quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio; ex defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio.* Ecce caudam malorum usque ad perditionem pertingens! Ecce ignis scintilla usque ad ignem inextinguibilem succendens! nam *quid est libido! nisi ignis? Et quid item turpes cogitationes nisi palea? quis enim nesciat, quia si in paleis ignis negligenter extinguitur, parvâ scintillâ omnes paleæ accenduntur? Qui ergo virtutum incrementa non vult exurere, ita debet libidinis ignem extinguere, ut per tenuem scintillam nunquam possit ardere.* Quapropter sem-

Lib. 10. moral. cap. 6.

Idem S. Gregorius in moralibus.

ſemper memori mente volvendum illud monitum Bethlehemitici aſcetæ Sanctæ Virgini Euſtochio datum : *nolo ſinas cogitationem libidinis creſcere, nihil in te Babylonium, nihil confuſionis adoleſcat. Dum parvus eſt hoſtis, interfice. Nequitia, ne Zizania creſcant, elidatur in ſemine. Audi pſalmiſtam dicentem : filia Babylonis miſera, beatus, qui retribuit tibi retributionem tuam. Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram. Quia enim impoſſibile eſt, in ſenſum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui, ut cœperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad petram. Petra autem Chriſtus eſt.* Sed quomodo ſunt ad Chriſtum allidendi parvuli cogitatus tentationum ? Nempe vivo conſiderationis oculo aſpiciendum illud caput cunctis tremendum poteſtatibus, vultus ille deſiderabilis, in quem deſiderant Angeli proſpicere, cui tergum vertitur, dum turpi cogitationi attenditur ; cujus tota paſſio cum omni pretio pedibus conculcatur, dum carnalis cogitatio conſentiente mente tractatur. Heu *quanta iniquitas, & quàm lugenda perverſitas, ut animam, quam Chriſtus ſuo ſanguine redemit, luxorioſus quiſque propter unius momenti delectationem libidinis Diabolo vendat, verè enim nimiùm miſeran-*

S. Auguſtinus Sermon. 250. de temp.

seranda, & plangenda conditio, ubi citò præterit, quod delectat, & per Diabolum in cruce manet, quod sine fine cruciat. Libidinis impetus momento transit, & opprobrium infelicis animæ semper permanet. In Christo crucifixo clamant omnia vulnera, clamant sanguinis guttæ, clamant omnes dolores, clamant pedes clavis affixi, clamant manus extensæ, clamat caput inclinatum, clamat cor apertum, clamat totum talentum mundi: ergone me tanti non æstimas, quanti momentaneam delectationem, qui hircis, ac porcis, ipsisque bestiis silvæ communis? Siccine? ideone ad imaginem Dei creatus es, ut propter brutalem delectationem ad Dæmones declinares in præceps? siccine, ergone omnia merita, ac pretiosas margaritas humanæ redemptionis jam mittes ante porcos, ut momentaneâ delectatione experiaris, quo bruta fruantur? siccine, ergone, ideone ad servitium sanctum vocatus, & per solemnia vota cum Deo tuo pactus es, ut ipso tanto turpiùs rejecto, fœdus inires cum inferno? detestabile obsequium præstares Diabolo? in Domo Dei tui committeres scelera multa? & me conqueri cogeres: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Zach. 13. v. 6. Cur non potiùs invocas me, & ego exaudiam te in tempore tentationis? cur non clamas: *Deus in adjuto-*

rium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina : Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster. Jesus Nazarenus Rex Judæorum, Titulus triumphalis defendat nos ab omnibus malis. Fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda. Victoria nostra per Dominum nostrum Jesum Christum. Deus nostrum refugium & virtus, protector noster in tempore tribulationis. In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet omnes inimicos nostros. Per purissimam tuam virginitatem, & immaculatam conceptionem serva cor meum, & carnem meam impollutam, ô gloriosissima Virgo Maria, idque in Nomine ✠ Patris, & ✠ Filii, & ✠ Spiritûs Sancti, Amen.

Similia suspiriorum jacula, quorum Divina Scriptura passim plura ministrat, tempore malæ cogitationis experieris efficacissima, si tamen statim in principio, & ex cordis intimo vel verbo, vel cogitatu sursum miseris; sin verò tempore tentationis tardas similibus clamare, manifestum signum est, te castitatem necdum amare, sed te currere cum furibus, ac Dæmonibus in castitatis perniciem, in Creatoris injuriam, in Redemptoris contemptum, in Spiritûs Sancti tristitiam: quis enim suum thesaurum amat, & ne quidem clamat, approperantibus furibus præparatis ad prædam? Certè qui

qui thesaurum castitatis verè amat, imminente periculo non solùm clamat, sed etiam generosè pugnat, ut faciat ex tentatione proventum; quemadmodum tot Sancti, tot generosi athletæ glorioso nobis præluxère exemplo. Sic Sanctus Benedictus, libidinis æstu tentatus, nihil cunctatus se nudatum spinarum immisit aculeis, &

Inter urticas, rigidosque sentes
Vicit altricem scelerum juventam.

Sic Sanctus Bernardus veneris fortè in se scintillam sentiscens, nil moratus, in vicinum frigidum stagnum insiluit, & collotenus immersus, vix non conglaciatus tamdiu perduravit, donec omnem libidinis calorem ad nihilum redegerit. Sic Sanctus Franciscus Seraphicus, ut carnem Spiritui perfectè subjiceret, circa suæ conversionis primordia hyemali tempore seipsum persæpe mergebat in foveam glacie plenam: aliquando verò â proterva muliere tentatus succenso sese camino immisit, alias denique libidinis face vexatus, chordâ corpus suum egregiè contudit, subinferens: *Eja frater asine, sic te decet manere, sic subire flagella.* Deinde egressus è cella medias se projecit in nives. Sic Sanctus & ubique promeritis encomiis celebratus Niceta, ut â sua castitate instans arceret periculum,

In vita ej.

S. Bonav. in vita ejus cap. 5. Basilius Finckeneis.

Joannes Busæus in Panap.

Dissecuit mediam generoso vulnere linguam.

guam. Sic Sancta Amelberga sanctimonialis ordinis nostri generosa illa virago tam fortiter tamque constanter adversus Carolum Martellum Principem fortissimum pro virginitatis lilio conservando colluctata est, ut ne quidem, proprio jam confracto brachio cesserit amatoris blanditiis. Sic Sancta Maria Magdalena de Pazzis, ut ex castitatis præliis semper reportaret victoriam, quondam Sanctum Patrem Benedictum imitata, inter acutissimas volutavit se spinas, alias tentationi obviavit flagellis, in tenerum corpus ferreâ disciplinâ desæviit, se cinxit cilicio, quod clavos præacutos intextos habebat, fundebat præterea orationum suspiria, profundebat lacrymarum imbres pro obtinendo forti omnipotentis auxilio, specialemque reponebat fiduciam in Deipara Virgine, nec spe inani; quoniam visibili specie apparens Regina Divûm suam est consolata ancillam, eandem certam esse jubens, quòd in omnibus castitatis conflictibus nunquam Divinam inciderit offensam sed semper victorias victoriis accumulaverit. Ecce! sic dimicandum est in castitatis pugna pro acquirendo trophæo, vel si ita pugnare terret, saltem non terreat tempore tentationis fortiter clamare ad cœlum; nimis enim fœmineum foret in viro, neque habere animum ad clamandum, seu ad implorandum Divi-

Basilius Finckeneis. Michael â S. Cathar. vol. 2. tract. 15. erud. 2. n. 770.

Divinum auxilium, ubi inaudit, tot fœminas teneras que puellas, usque ad ſanguinem & ad ipſam acerbiſſimam mortem tam viriliter certâſſe pro defendendo pudicitiæ flore. Saltem non pigeat adhibere certandi modum, ab Alphonſo Rodriquez apud Michaelem à Sancta Catharina præſcriptum. *Ut nimirum iis dæmonem telis feriamus, quibus ille ferire nos nititur: ut ſi v. g. tibi immittitur à Dæmone carnalis & libidinoſa imaginatio, aut turpis corporis motus, tu libidinis odium, caſtitatisque concipe amorem, ac votum tuum, hâc in re Deo promiſſum, renova; & ſic iisdem feries Dæmonem jaculis, quibus ipſe te impetit.* Secundum ſignum amoris erga Angelicam caſtitatem eſt timor circumſpectus; quisquis enim ſuum theſaurum amat, ſemper eſt pavidus, ne auferatur à furibus, aut aliunde perditioni pateat, qui theſaurum cautè cuſtodit, fores domûs claudit, cuſtodem, aut ſaltem vigilem moloſſum apponit, arcam ſeris munit, nemini fidit, vix non omnem, etiam quandoque inter domeſticos ſuſpectum habet, præſertim illos, quorum longi digiti jam ſemel fuêre deprehenſi. Sic pariter ſuæ caſtitati nunquam non metuit, quisquis eandem dignè æſtimare ac adamare condidicit, curam impendit maximam ne theſaurum perdat, quem in vaſis fictilibus & in carne fragili portat, fores domùs

Vol. 1. tract. 17. erud. 7. n. 689.

mûs ſuæ per accuratam cuſtodiam ſenſuum vult occluſas, arcam cordis ſui, veluti ſeris, quotidianis propoſitis eisque quaſi ferreis communit, ipſum timorem Sanctum ante conſcientiæ introitum ponit quaſi loco canis, ut ſemper vigilet, ſemper latret, ſemper obſiſtat, quotiescunque quid adſerpit, quod noto caſtitatis odore non fragrat. Caſtitatis theſaurum cuſtodiæ Angeli cuſtodis cuſtodiendum quotidie devotâ oratione commendat, rogans atque rogitans, ut per ſuas Angelicas inſpirationes velit animum forſan incurium præmonere de adventu tentationis, ad reſiſtendum excitare torpentem, urgere tardantem, vigilare pro dormiente, ne perfodiatur domus pudici pectoris. Caſtitatis amans animo meditante ſic ſecum diſcurrit: Prudens viator, ubi vel ex aliqua vetula intelligit, hanc aut illam ſylvam occupari latronibus, propediem retrahit pedem, ſuæ crumenæ ac ſaluti cautè proſpicit, tutioremque viam arripit; Et ecce! non aliqua vetula, ſed Sanctus

Eccli. 4. 42. Bernardus vir tantæ auctoritatis *latrones la-*

v. 13. *trones* inclamat mulieres. Ipſe Spiritus Sanctus monet: *In medio mulierum noli*

Proverb. 6. *commorari. De veſtimentis enim procedit*

v. 26. *tinea, & à muliere iniquitas viri, mulier*

Tract. de ſingular. Clericorum *autem viri pretioſam animam capit. Quanti, & quales Epiſcopi* (clamat Sanctus Cypria-

prianus) *Clerici simul & Laici, post confessionem, victoriarumque calcata certamina, post magnalia, & mirabilia, & signa usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragâsse! quantos Leones domuit una mulier, infirmitas delicata, quæ cùm sit vilis & misera, de magnis efficit prædam. Experto crede* (acclamat mihi magnum Africæ sydus) *expertus loquor, coram Deo non mentior: cedros Libani, duces gregum, sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quàm de Ambrosii vel Hieronymi impudica turpitudine.* Ergone istis, & tot tantisque aliis auctoritatibus non credam? cum fœminis conversare, cum fœminis morari, aut in fœminas oculos mittere præsumam? Ubi ceciderunt tot fortes, tot Sancti, tot miraculis clari, ego infirmus, ego peccator, me posse stare aut pertransire illæsum, confidam? Non est hæc confidentia castitatem amantis, sed nimiùm de se præsumentis, ipsumque Deum tentantis; quoniam *janua Diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus est fœmina, cùm proximat stipulæ, viro scilicet, incendit.* Castitatis amator sic secum ratiocinatur: quivis simplex rusticus fores sui bovilis occludit, ne boves aut vaccæ abigantur â fure, & ego omni simplici rustico dementior, procacibus oculis, sensibusque incu-

Lib. de cohabit. Clericorum.

S.Hieron. apud Basilium Finckeneis inst. 65.

incustoditis mihi castitatem promittam? vel somnio, illum tantùm lusisse, qui sanctè mihi in Divinis Scripturis inculcat: *Noli circumspicere, in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Castitatem diligens similia secum confert in corde suo: nemo prudentum pedibus ludit, dum prope profundum lacum lubricâ eâque tenui planca incedit, & ego lubricis cogitationibus colludam? absit: hoc non est, parvulos cogitatus allidere ad Christum, neque illud Benedictinæ legis adimplere: *Desideria carnis amputare festinet. Veram enim castitatem illæsam custodire non sufficit, quisquis cum immundis cogitationibus quasi deliberans ludit.* Quapropter, ne longior sim, *dilectissime fili* (ex nostro Sancto Petro Damiano loquor) *castitatem servare vigilanti solertiâ satage, & omne crimen lethiferæ pollutionis exclude, ut scias juxta Apostolum, vas tuum possidere in sanctificatione, & honore. Hæc est enim sanctimonia, sine quâ nemo videbit Deum: servetur munda corporis tui tunica, & in tanti Regis nuptiis nullo petulantis luxuriæ reperiatur squalore fœdata. Sit ergo tibi castitas semper*

Eccli. 9. v. 7. 8. & 9.

S. Reg. in Prolog. Cap. 7.

Trithemius de vera castitate homil. 21.

Lib. 6. Epist. 26.

per in corpore, sit semper in mente: quatenus sic lilia indisciplinatæ carnis, velut exaratæ terræ cultura, candescant, ut radix quoque in sui viroris gratia inconvulsa permaneat. Carnis titillat illecebra, surgunt libidinis incentiva, ad Apostolica mox tela prosiliens, Evangelicum quoque gladium bellator fervidus arripe, & frementis cuneos, hostiumque barbariem, duce Christo, facile poteris obtruncare. Unum est, ut sobrietas quotidie tibi comes sit individua, nec aliquando à tuo sit collegio, gulâ pruriente, divulsa. Ubi enim viscerum pori ciborum repleti sunt, suum illic procul dubio robur sibi vindicat flam̄a libidinis. Hæc enim pestis ariditate repellitur, & ubi efferi corporis humor deficit, hæc etiam arescendo marcescit. Planè, ut ignis aquæ, sic luxuria inimica est frigori: atque ideo ubi genuinum carnis ardorem ciborum fomenta destituunt, fervor quoque luxuriæ, necesse est, extinguatur. Nolo ergo, cibis lautioribus inhies: nolo, vino affluenter indulgeas. Denique epiphonematis loco adamante notatam habeto illam brevem quidem nervosam tamen Sancti Cæsarii Arelatensis sententiam: *Esto libidinis fugitivus, si vis castitatis pugnator esse egregius.* Epist. ad Germ.

MEDI-

MEDITATIO II.

De
Habenda ſumma cura pro voto caſtitatis cuſtodiendo ex conſideratione noviſſimorum.

Punctum 1. Expendit caſtitatis transgreſſorem inter mortis anguſtias. 2. Expendit ejus judicium. 3. Proponit proponenda in judicio.

Præludium:

INclina aurem cordis Spiritui Sancto commonenti: *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Eccli. 7. v. 40. ſed ſervabis caſtitatis integritatem.

Punctum I.

Conſidera religioſæ caſtitatis transgreſſorem in mortis articulo conſtitutum, ſicque cum ſua conſcientia lamentantem: heu quid mihi profuit luxuria mea? quid mihi nunc prodeſt omnis moroſa delectatio? quid omnis turpis imaginatio? quid omnis erubeſcenda actio? tranſit turpe momentaneum, in januis eſt expaveſcendum æternum, hæc ipſa caro mea, cujus gratiâ offendi Deum creatorem meum, oſtentui habui Jeſum Salvatorem meum, ipſumque Spiritum

tum Sanctum contriſtavi, jam me affligit nimium, gravat ultra modum, cruciabitque usque in finem, ſi tamen mea hæc ultima lucta ſit finis, & non potiùs initium dolorum. Hæc ipſa mea caro, cujus gratiâ toties pretioſam, & unicam animam meam Diabolo tam turpiter venum dedi, jamjam orditur, continuoque degenerat in horridum cadaver, in putredinem fœdiſſimam, in graveolentem fœtorem, in vermes, in cineres! ô ſtulta! ô cœca! ô horribilis! ô maledicta! ô diabolica venditio! ut putredini per momentum ſit benè, non erubui animam meam, vivam Dei imaginem, inſtar crudeliſſimi latronis tot tantisque æternis expoliare bonis, ac tot tantisque adjicere malis perennibus? ut momento deguſtarem voluptatulam, quâ nec hircus, nec porcus caret, pro nihilo duxi terram deſiderabilem, inenarrabilem dulcedinem filiorum Dei, ingens æternæ gloriæ pondus. *Quis audivit unquam tale? & quis vidit huic ſimile?* Quid modo ſupereſt, niſi continuâ memoriâ tractare illud Divi Pauli? *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illorum mors eſt.* Omnia perdita ſunt, laboravi in vanum, irritum factum eſt pactum, votum caſtitatis vovi mihi in laqueum, confeſſiones Sacramentales ob nullam inde ſecutam

Iſaiæ 66. v. 8.

Rom. 6. v. 21.

X emen-

emendationem ſunt ambiguæ, ſacræ communiones fortaſſis fuerunt ſacrilegæ, miſer factus ſum, ac conturbatus vehementer, & hoc propter delectationẽ ſtercoream, quam cœno admiſi turpius, & quæ fumo evanuit citius. *Anguſtiæ mihi ſunt undique.* Caro mea mox revertetur in pulverem, ſed infelix anima quò ibit? Eam jamjam exſpectant Angeli accuſaturi, judex ſeverus judicaturus, dæmones abrepturi, infernus devoraturus. Ah quare non ſum factus velut inter mortuos liber? Si enim meditante animo ad mortuorum conditionem deſcendiſſem, planè à carnis peccatis liber permanſiſſem. Hæc cogita, ô ſacrate Deo! & noli fieri mancipium putridæ carnis, qui es ad majora natus, ad libertatem filiorum Dei vocatus, cogita, te moriturum, ne moriatur anima tua infelici morte peccati.

Daniel. 13. v. 22.

Punctum II.

Ecce! *abrenunciâſti Sathanæ, & Angelis ejus; pactus autem es Chriſto, coram multis teſtibus. At vide, cuinam pactus ſis, & ne parvi pendas. Id porrò noveris; quòd Angeli in hora illa voces tuas, & pacta tua, abrenuntiationemque tuam deſcripſerunt; & in cœlis, usque ad horribilem illum judicii diem conſervant.* In die judicii Sancti Angeli proferent chirographum Profeſſionis

S. Ephrem Tom. 3. Serm. de compunct.

tuæ, & verba oris tui coram formidabili
tribunali tremendi Judicis, tunc os tuum,
ſi mentitur, occidet animam tuam, & pro-
prius character tuus delebit te de libro vi-
ventium, ſi castè non vixiſti, ſicut ſcripſiſti.
Tunc ipſe Spiritus Sanctus arguet te de pec-
cato, ſi igne libidinis incendiſti ſanctuarium
ejus, & fœdo carnis peccato polluiſti tem-
plum nominis ejus. *An neſcitis, quoniam* 1. Corinth.
membra veſtra templum ſunt Spiritûs San- 6. v. 19.
cti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo,
& non eſtis veſtri. Ergo fratres debitores Rom. 8.
ſumus, non carni, ut ſecundùm carnem vi- v. 12.
vamus, ſed Spiritui Sancto, ut ſimus *ſancti* Epheſ. 1.
& immaculati in conſpectu ejus. Quia Rex v. 4.
Balthaſar ſacra vaſa in convivio ad profa-
num uſum adhibuit, *eâdem nocte interfe-* Daniel. 5.
ctus eſt. Væ igitur Religioſo! qui laſcivien-
do vaſa Domini, & templum Spiritùs San-
cti non ſolùm profanat, ſed & demutat in
ſpeluncam latronum, in habitaculum dæ-
monum, in ſtabulum porcorum, in ſter-
quilinium abominabilium fœditatum, in
poculum plenum abominatione & immun- Apocal. 17.
ditia fornicationis. Si nefas eſt, in dolo v. 4.
jurare proximo ſuo, quanti ſceleris erit ju-
rejurando dirupto, mentiri Spiritui Sancto?
Dum Petrus homo mortalis adhuc Ananiam
his verbis affatus: *Non es mentitus homini-* Actor. 5.
bus, ſed Deo, Ananias præ horrore mox *ce-* v. 4.

 cidit v. 5.

cidit, & expiravit. Qualis, quantusque proinde horror in tremendo judicio apprehendet Religiosum, si monstratâ propriæ Professionis schedulâ, â Rege sæculorum immortali illi exprobratur: *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?* O Domine Jesu mi! Judex venturi sæculi, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipent nos misericordiæ tuæ: *quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita*, sed *reddam vota mea de die in diem;* quemadmodum modo in conspectu tuo *juravi & statui.*

Actor. 5. v. 3.

Psal. 88. v. 35.

Psal. 60. v. 9.

Psal. 118. v. 106.

Punctum III.

Considera, & propone tibi ante mentis oculos proponenda, & exprobanda luxuriosis in tremendo judicio. Cœci quidem sunt omnes, â cœco puero decepti. Ast in die iræ, in die furoris *tunc aperientur oculi cœcorum*, & videbunt, & *turbabuntur timore horribili*, videntes amissam tam excelsam gloriam, ad quam per religiosam vocationem sunt vocati; videbunt tot gloriosas, ac penè innumerabiles victoriarum corollas, quas turpibus obstrependo cogitationibus, tam facilè sibi nectere potuissent; videbunt in stolis candidis castorum ac virginum choros, â quorum consortio propter momentaneam ac brutalem delectationem

Isaiæ 35. v. 5.

sese

ſeſe disgregaverunt. Videbunt damnatorum larvas, quibus ſe aſſociarunt; oſtendentur ipſis omnia inſtrumenta Dominicæ paſſionis, quæ amore tam fœdæ delectationis toties de novo in Dominum ac Redemptorem ſuum direxerunt. Tunc exprobrâbitur ipſis â tremendo Judice: ſiccine? vosne eſtis, qui mihi ſpoſpondiſtis ſervitium in omni ſanctitate & juſtitia omnibus diebus vitæ veſtræ? Vix ſervus peſſimus fornicatur, aut adulteratur inſpectante Domino: Vos verò, me intuente, ſacrilegè adulterati eſtis, amplexati eſtis ſtercora immunditiarum, *irritum feciſtis pactum.* Projeciſtis me poſt carnem veſtram, immolâſtis animas veſtras Dæmoniis. Hæc meditare, in his aſſiduus eſto, ne carnis illecebris ineſcatus abducaris in confuſionem perpetuam. Malach. 2. v. 8.

BONA PROPOSITA
Ex
Præſenti Meditatione.

1. NUnquam de propriis viribus præſumam, ſed meam fragilitatem ſemper ſuſpectam habens, me ipſum humiliabo: Nam (uti Cornelius à Lapide habet) *optimum remedium ad evitandas tentationes carnis eſt humilitas.* 2. Corinth. cap. 12.

2. Humiliabo in jejunio animam meam; quoniam (teſte Sancto Hieronymo) *ardentes Diaboli ſagittæ jejuniorum, & vigiliarum rigore reſtringendæ ſunt.*

Epiſt. 10. ad Furiam.

3. In omni tentatione cum Sancto Thoma Aquinate illicò ad Deum ac beatiſſimam Virginem clamabo! *Ne ſinas, quæſo Domine Jeſu, & tu ſanctiſſima Mater & Virgo Maria, ut tam immani me ſcelere obſtringam.*

4. Otium fugiens, ſemper me honeſtè & religiosè occupabo; ſiquidem *otioſitas mater eſt concupiſcentiarum, noverca virtutum. Ipſa eſt quæ virum pudicum fortiſſimè præcipitat in omnem reatum laſciviæ.*

S. Laurent. Juſtin. in ligno vitæ cap. 5.

5. Vivâ fide credam, me de *cœlis ſemper à Deo reſpici omni hora.*

S. Regul. c. 7.

6. Primos ſtatim pravos motus, & malas incidentias fortiter repellam. Etenim *vigilandum eſt, præcipuè circa initium tentationis, quia tunc facilius hoſtis vincitur, ſi oſtium mentis nullatenus intrare ſinitur.*

Libell. de imit. Chriſt. lib. c. 13.

7. Frequenter per diem iſtud nefandum luxuriæ vitium deteſtabor, ſummeque dolebo, quòd optimus Deus per iſtud Diabolicum vitium toties tamque graviter â mortalibus offendatur.

8. Neque lapſos, multò minùs tentatos unquam ſpernam, ſed potiùs cum illis commiſerationem habebo, ne & ego tenter, ad me-

memoriam revocans doctrinam Joannis Climaci tenentis: *In iis quidem, qui rudes imbuuntur, lapſus corporis ex deliciis maximè fieri ſolet: in mediocribus verò etiam elatione animi: Porrò in his, qui perfectioni proximiores ſunt, plerumque ex condemnatione contemptuque ſuperbo proximi.* In ſcala Paradiſi grad. 1.

EXAMEN PARTICULARE.

De Indeſinenti caſtitatis cuſtodia.

1. UTrum ſemper mortificatus ſis in oculis, non aſpiciendo nec res nec perſonas, ex quarum intuitu caſtitas periclitari ſolet?

2. Utrum nullam contraxeris familiaritatem cum perſonis, quæ tibi eſſe poſſunt tentationis laqueo?

3. An perſonas, erga quas ſentis peculiarem amoris affectum, in ſenſualitate fundatum, generosè relinquere, aut ſi eas relinquere nequeas, cautè cum eiſdem converſari ſatagas?

4. An devites occaſiones videndi, occurrendi, aut ſcribendi perſonis, è quarum memoria caſtitatis pericula generari queunt?

5. Utrum non libenter loquaris, vel audias verba, quæ inordinatos motus causant, & testantur, cor esse amore captum?

6. Utrum non libenter loquaris, vel audias discursus de forma, de venustate, de affabilitate; aut de aliis corporis dotibus cujuscunque personæ? similia quippe animum castum emolliunt.

7. Utrum nunquam tangas alterius manus vel alia corporis membra? per similia quippe sensuales affectus, & per hos sensim quoque carnales tentationes generantur; præsertim in altero sexu sunt ejusmodi tactus tum scandalosi, tum periculosi vel maximè.

8. Utrum nunquam ex sensualitate animalia tangas? vel minùs religiosè cum eisdem ludas?

9. Utrum pariter erga teipsum omnem pudicitiæ integritatem custodias, ac tum in vestiendo, tum in exuendo, tum in dormiendo, tum in omnibus aliis similibus occasionibus eam semper observes decentem verecundiam, qualem in oculis virorum gravium observares, semperque sis memor Sancti Angeli custodis tui ac Dei omnipotentis, cuncta cernentis?

10. Utrum, necessitate remotâ, nunquam legere aveas, aut non libentiùs legas materias lubricas, & ad excitandos motus saltem sensuales aptas?

11. Utrum materias Angelicæ castimoniæ periculosas nunquam mente volvas? vel utrum objecta ad sensuales motus pellicientia nunquam in phantasia depingas?

12. Utrum tempore tentationis semper resistas velociter? utrum fortiter, utrum constanter?

LECTIO SPIRITUALIS
Pro
Tempore Pomeridiano.

ARGUMENTUM.

Quisquis sua vota perfectè custodire desiderat, religiosam simplicitatem sibi familiarem reddat.

ECce gemma comparanda tibi hodie offertur. Gemma cujus pretium ipsis politicis, alias gemmarum cupidis, easque æstimare gnaris, plerumque incognitum. Gemma, quâ præcipuè ornatur status religiosus, & omnis Religiosus. Superstiosum est, glande damarum hominem effici invulnerabilem, verissimum autem; isthâc pretiosâ gemmà vota religiosa reddi quasi inviolabilia, ac ipsum Religiosum ad recipienda gratiarum omnisque sanctitatis charismata disponi optimè. Porrò quis nobis istam

tam raram, Deo verò tam charam gemmam digne describet? Ego planè, inspectis libris, & auditis multis discursibus, optarem hujus non solùm in cordibus mortalium majorem æstimationem, sed etiam frequentiorem eumque dignum de eâ tum in libris tum in discursibus sermonem. Nominare quidem hanc gemmam omnes resciunt, utrum verò omnes hujus naturam penetrent, meum non est, ferre judicium. Moraliter de re morali discurro: in sensu morali hæc gemma, hæc virtus communiter simplicitas vocatur, ob quam singulariter commen-
Genes. 25. v. 27. dantur Jacob & Job. *Jacob autem vir simplex* (inquit Scriptura) de Jobo verò quasi gloriatur Deus adversum Diabolum, eum
Job. 2. v. 3. isthac interrogatione confundens: *Nunquid considerâsti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum?* Hæc est illa virtus, quam Christus in suis prædicatoribus, & in omnibus suis discipulis præter prudentiam spe-
Matth. 10. v. 16. cialiter postulat, jubendo asseverans: *Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Verùm quis est vere simplex? *In moralibus* (asserit Laurentius Beyerlinck) *propriè simplex dicitur, qui se in res externas & vanas sollicitudines non effundit, quietus solique Deo vacans. Sive simplicem accipiunt Scriptores Ecclesiastici illum, qui veri-*

veritatem habet in verbis, & in moribus, expers est falsitatis, & simulationis. Talis enim per metaphoram simplex dicitur, quòd in se nihil habeat doli, compositionis aut permixtionis, & in omnibus sit sincerus, quales non sunt, qui loquuntur pacem cum proximo, mala autem in cordibus eorum. Sin verò terminus Hebraicus ac lingua Hebraica inspicitur (quemadmodum citatus auctor pergit) simplicitas *idem est, quod innocens, rectus, integer.* Unde ab hac simplicitate (teste Clemente Alexandrino) simplices in Divinis Scripturis vocantur, vel comparantur pueris & infantibus. Ut verò pretiosa gemma, clarissimè cognoscenda paucissimis proponatur: simplicitas est illa excellens virtus, quæ directè & immediatè opponitur prudentiæ hujus mundi. Ratio sic sentiendi, ac simplicitatem paucis exprimendi desumitur ex Sancto Gregorio magno disserente: *Hæc justorum simplicitas deridetur; quia ab hujus mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur;* nemo enim contemnit, aut persequitur, nisi quod sibi adversari opinatur. Patet præterea ex communi mortalium modo tum loquendi, tum judicandi. Illi quippe, qui nec ambulant nec discurrunt secundùm prudentiam hujus mundi, communiter simplices judicantur, *unde bene hujus mundi dilectoribus ille egregius*

Lib. Pæd. c. 5.

Lib. 10. moral. c. 27.

Idem S. Gregor. loc. cit.

sa-

ſapiens dicit: abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro? oves quippe Ægyptii edere dedignantur, ſed quod abominantur Ægyptii, hoc Iſraelitæ Deo offerunt, quia ſimplicitatem conſcientiæ, quam injuſti quique velut infimam abjectamque deſpiciunt, hanc juſti in virtutis ſacrificium vertunt. Ecce tibi! ex his paucis verbis magni Doctoris diſce dignitatem ac neceſſitatem ſimplicitatis, diſce ſimplicitatem ambabus ulnis amplexari, ſemperque deteſtari pruden-

1. Corinth. 3. v. 19. tiam hujus ſæculi. *Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Et â Sancto Gregorio conformiter, divinæ Scriptu-

Rom. 8. v. 7. ræ abominatio appellatur: *Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo.* Aſt ſimplicitas econtra vocatur ſapientia Sanctorum, quemadmodum ſtatim habetur in titulo ci-

Homil. 7. in Act. Apoſt. tati capitis ex Sancto Gregorio. *Quid aliud eſt ſimplicitas* (interrogat Sanctus Chryſoſtomus) quàm prudentia? non utique prudentia carnis, ſed ſapientia Spiritûs ſapientia, de qua Paulus diſſeruit, dum aſſe-

1. Corinth. 1. v. 23. & 24. ruit: *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſa-*

in Panap. de hypocriſi. *pientiam.* Ipſe enim Chriſtus (quemadmodum tenet Joannes Buſæus) fuit ſim-

1. Petr. 2. v. 22. plex; quoniam, *qui peccatum non fecit, nec inven-*

inventus est dolus in ore ejus, qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur : Sed *tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.* Actor. 8. v. 32. Et propter istam ovinam suam simplicitatem specialiter adeptus est potestatem super omnem creaturam; nam (quemadmodum Didacus Baëza asserit) *is meritò sibi terrenum & cœleste acquirit principatum, qui agni præsefert innocentiam, & simplicitatem, cujus in vita innocentia est, & in ore nullus dolus.* Lib. 6. c. 1. Per oves, juxta Sanctum Gregorium, supra citatum, simplicitas intelligitur; unde & Dominus suos fideles toties oves nominat, quia eosdem simplices desiderat, tales oves, tales simplices erant primi Christiani, de quibus sacer textus testatur: *Sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis.* Actor. 1. v. 46. Tales oves, tales simplices erant præcipuè ipsi Apostoli ac discipuli Domini, hinc & ipse Dominus non absque mysterio illos isthoc Divino discursu convenit: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Matth. 10. v. 16. Prudentiam serpentinam Christus â suis exigit, ut sibi nempe caveant â lupis, & instar serpentis obturent aures suas ad vocem incantantium insipienter, ad vocem incantantium per

per prudentiam hujus sæculi: prudentia quippe hujus mundi insipienter incantat, solum vero sapienter simplicitas columbina, cui soli tanquam incantanti sapienter aperiendæ sunt aures. Hac ovinâ ac columbinâ simplicitate præclarè nobis præluxerunt majores nostri. Hac simplicitate custodiebant exornabant religiosam paupertatem; simplicitatem amabant in ædificiis, & in habitaculis, adamabant in vestimentis & in supellectile, deamabant in victu & vitæ necessariis; quemadmodum in pluribus passim videre est historiis. Sic Sanctus Benedictus Abbas Ananiensis, tametsi nequaquam caruerit mediis ad magnificum ponendũ ædificium, voluit nihilominus adeò simplicitati ac extremæ vilitati studere, ut toti suo
Sæcul. Ben. simpliciter ac recenter exstructo cœnobio ne
4.P.1.n.14. quidem tectum de coctis lapidibus, sed de
Lib. 6. solo vili stramine superimposuerit. Sic
Epist. 14. Sanctus Petrus Damianus ad Mainardum Abbatem scribens de seipso ac de suis confratribus ita testatur; *Ego cum cæteris fratribus, vilibus coram te fuimus contenti semper exuviis.* Sic de Sanctis nostris majoribus canit Ecclesia:

Vobis olus cibaria
Fuêre, vel legumina:
Potumque lympha præbuit,
Humusque dura lectulum.

Ecce Sancti Patres noſtri prædeceſſores in eremo, & in cœnobiis panem hordeaceum comederunt in ſtatera, & aquam petræ frigidam biberunt in menſura, ſomnum acceperunt ſtando, ſive ſedendo: & nos qui eorum debemus ſequi veſtigia, panem noſtrum comedimus triticeum in abundantia, vinum bibimus ſine menſura, ſomnum capimus ad libitum in ſtrato & pulvillis? &c. O quam diſparis vitæ ſumus à Sanctis illis Monachis! à quibus hæreditavimus nomen religionis, qui non tantùm non amaverunt mollia: ſed etiam veſtimenta reſpuerunt neceſſaria, circumeuntes in melotis & pellibus caprinis, ſacco aut cilicio tegentes corpora ſua &c.

Joannes Trithemius Comment. in c. 7. Sacræ Reg.

Paulò ſupra in eundem gradum 6. humilitat.

Facilè equidem contra ſimilia noſtrorum majorum exempla ac magiſtrorum ſpiritualium hortamenta inveniuntur excuſationes, facilè prætenduntur varii tituli, uti titulus honeſtatis, titulus humanæ infirmitatis, titulus diſcretionis, titulus modernæ conſuetudinis; verùm ſic cudendo excuſationes, ratiocinatur mundana prudentia, non autem religioſa ſimplicitas. Religioſa ſimplicitas eligit abjecta eſſe in domo Dei, perſeverat extremâ vilitate contenta; religioſa ſimplicitas meditatur illum Sancti Petri Damiani diſcurſum: *Quid eſt, quod Apoſtolus ait: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus? Cur enim, cùm dicit:*

Lib. 6. Epiſt. 14.

Haben-

Habentes alimenta ; non protinus addidit, & vestes? sed tantummodò, cùm præmittit, habentes alimenta, præstò subjungit, & quibus tegamur, cur hoc? nisi ut perspicuè doceat, nos debere tam despicabilibus operimentis indui, quæ digna non sint vestium vocabulo nuncupari? Religiosa simplicitas quasi pro Regula tenet illud Divi Bernardi effatum: *Non sit affectatus corporis decor, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quam expetitus.* Religiosa simplicitas metuit illud Divinæ Scripturæ: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis;* hinc nec studet excusationes prætendere, nec effugia quærere, sed simpliciter abstinens ab omni specie mali, propediem respicit, abjicitque, quidquid vel umbram superfluitatis sapit, dum audit vel legit illam planè terribilem historiam, quam Joannes major ex libro de viris illustribus ordinis Cisterciensis ferè similibus refert de Abbate quodam Cisterciensi in Saxonia, is panno in sua Patria texto haud contentus, pro suis necessariis vestimentis annuatim subtiliores pannos è Flandria sibi afferri, ac comparari curavit: Contigit porrò, ut, eodem Abbate per mortem sublato, Monachi, consentiente Priore, tum pannum illum, tum ex illo jam confectas ac in Abbatia inventas vestes inter sese dividerent. Et hem! ubi ipse Prior primus ratio-

Psal. 13. v. 2.

ratione ſolemnioris feſti ejusmodi tunicam ab Abbate relictam induerat, confeſtim occlamitare occæpit, de ſua vita conclamatum eſſe, ſe candentibus laminis aduri, comburi, in cineres redigi, ſicque identidem vociferando tunicam, quàm primùm potuit, exuit, abjecit, projecit, accurrunt Monachi ad inſolitum Prioris clamorem, intuentur, ad terram projectam tunicam, conſpiciuntque ſtupentibus oculis ex ea circumquaque ignitas coacervatim proſilire ſcintillas; quâ re perterriti, totique attoniti Monachi, absque mora quidquid veſtium, quidquid panni ab Abbate habuêrunt, in unum conjecêre tumulum. Et en tibi idem de novo portentum! totus enim hic congeſtus, velut ſuccenſa fornax, omni ex parte evomuit flammas, ac emiſit ſcintillas, nec iſta prodigioſa res videri deſiit, donec omnes vicini confluxerint Abbates, flammas propriis inſpexerint oculis, atque exinde didicerint, non contemnere noſtram Regulam, quæ cap. 55. id pro religioſo habitu præſcribit, quod vilius comparari, & in propria provincia haberi poteſt. Quid jam ad hæc vanitatum amatores, modò ad iſta modò ad illa, tum curioſa, tum pretioſa vel rara ſibi procuranda & acquirenda intenti? forſitan deridebitur ſcribentis ſimplicitas? verumtamen attendamus, quæſo, ne aliquando à Divina ſa-

pientia derideatur ac condemnatur tanquam ſtultitia carnis & mundi hujus prudentia. *Quid nos miſeri in illa die reſpondebimus, ubi omnia nuda erunt; qui de nomine Monachi gloriamur, & opera Monachorum non facimus?* Opus Monachi eſt in vita & in moribus, in converſatione & in habitu exprimere illud Divinæ Scripturæ: *Ut ſitis ſine querela & ſimplices filii Dei, ſine reprehenſione.* Quis autem non juſtè reprehendit Monachum deditum vanitati? addictum oſtentationi? vacuum ſimplicitate filiorum Dei? ô ſancta ſimplicitas! per te prætereà aut puerilis innocentia cuſtoditur, aut ad eam reditur: ſicut enim maledicta curioſitas, inſtigante Diabolo, prurit intueri ſpecies mulierum, audire tacenda, ſcire neſcienda, experiri pudenda, ſic è diverſo religioſa ſimplicitas ſapienter ignorat, & ignorare laborat omne id, quod caſtitatis ac innocentiæ flori poſſet eſſe pruina. Uterque audit, legit, & meditatur caſtitatis diſcrimina, aſt magno tamen diſcrimine; nam ſimplex commonitionibus Spiritûs Sancti obedit ſimpliciter, & ideò confidenter, lapſusque evadit feliciter: curioſus autem, ac prudens in carne fingit laborem in præcepto, excogitat excuſationes in conſilio, præſumit ſe fortem in lubrico, & contaminatur peccato. Simplicitas ſimpliciter acceptat, ſim-

Joannes Trithemius Comment. in cap. 7. S. Regul.

Philipp. 2. v. 15.

ſimpliciterque absque effugii aut oblivionis nota attendit, ne mereatur reprehenſionem Sancti Sabbæ Abbatis quondam ſuo curioſo ſocio datam: conſtitutus quippe vir ſanctus cum ſuo ſocio in itinere obviam ſibi habuit fœminam formoſam, multoque ſtipatam famulitio, unde ſocii ſui religioſam ſimplicitatem, ac oculorum mortificationem explorare percupiens, eundem ita affatus eſt: ſanè hæc mulier gratioſa eſſet oculis, niſi altero careret oculo, cui cùm ſocius reponeret: Falleris Pater: ambos habet oculos, & quidem formoſiſſimos, jam vir juſto zelo accenſus ita curioſum perſtrinxit: ſiccine? ergone tam curiosè in fœminas reſpicis? apage cum tali comite. Hæc dixit, ſimulque eum in pœnam curioſitatis completo itinere per longum tempus incluſit. Heu quot noſtra infauſtâ tempeſtate vix non quotidie includendi forent, ſi zelus ſancti Sabbæ adhuc in more eſſet! Sed quare hodie tot exempla ad cautelam conſcripta, tot pleni admonitionibus libri parùm aut nihil curantur? nimirum deridetur ſancta ſimplicitas, deridetur ſimilia ~~ſimpliciter~~ credens, ſimilia ſimpliciter attendens, ſimilibus admonitionibus ſimpliciter obediens, magnificatur autem carnis prudentia, quæ ſuis excuſationum ac rationum apparentiis etiam ipſo Spiritu Sancto præmonitore prudentiorem ſe

Surius Tom. 6. in vita S. Sabbæ.

credit. Potissimùm verò requiritur, & servit sancta simplicitas ad reddendum perfectæ obedientiæ votum: sine hac enim, videlicet sine religiosa simplicitate nunquam nanciscêris illam obedientiam, de quâ Sanctus Gregorius ita disserit: *Vera obedientia nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ judicium majori subdidit, hoc solo gaudet, si, quod sibi præcipitur, operatur: nescit enim judicare, quisquis perfectè didicerit obedire, quia hoc tantùm bonum putat, si præceptis obtemperat.* Sine religiosa simplicitate subditus omnia discutit, modo jubentis personam, modo ejus vitam, modo mores, modo intentionem, modo discretionem, modo ipsum imperium, modo locum, modo tempus, modo alias circumstantias: jam reperit suâ carnali prudentiâ indiscretionem, jam honoris præjudicium, propriæ æstimationis periculum, jam virium impossibilitatem, jam aliam difficultatem. Sancta verò simplicitas horum omnium immemor, obtemperat simpliciter, & ideò in medio flammarum ac inter feras silvarum manet illæsa, & ideò habetur Deo tam accepta; nam *voluntas ejus in iis, qui simpliciter ambulant. Et proteget ambulantes simpliciter.* Per obedientiam simplicitate conditam Paulus simplex ad tantam vitæ perfectionem ascen-

in lib. 1. Reg.

Proverb. 11 v. 20.

Proverb. 2. v. 7.

ascendit, Sanctus Maurus noster lacûs undas sicco pede calcavit. Per obedientiam simplicem (quemadmodum in vitis Patrum habetur) Joannes brevis dictus, aridum lignum rigavit ad frugem, Joannes junior Abbatis Pauli discipulus, ferocem leænam veluti agnum mansuetum ad suum adduxit Abbatem. Alius, jubente suo Abbate, proprium filium jactavit in furnum voracibus flammis infartum, & nihilominus eundem post longam moram, jussu ejusdem sui Abbatis ex eo rursum extraxit illæsum. Alius, quemadmodum Sulpitius refert, mandante suo superiore, succensum clibanum per medias flammas intravit, & dum putabatur arsurus, mansit veluti frigido rore perfusus, seque ipsum nil læsum obstupuit. Sancta simplicitas est proinde illud pretiosum aroma, quo obedientia condita toties tot mira patravit, Leones cicuravit, varia monstra placavit, voracitatem Vulcani inhibuit, diffluasque Nymphas instar continentis fecit calcabiles. Obedientia simplex alias â spiritualibus magistris cœca appellatur. Et cur cœca? cur non potiùs abnegans aut captivans proprium judicium in obsequium obedientiæ? Nimirum haud satis est, oculum solùm claudere, aut proprium captivare judicium, sed penitus exoculandus, & cœcitati tradendus est oculus

Lib. 5. c. 4.

1. Dialog. c. 12.

humanæ prudentiæ, ne ampliùs poſſit redire ad actum, ſed ſolo oculo ſimplici ſancta ſimplicitas ſemper videat altiora humanis, ac totum corpus noſtrarum actionum reddat perlucidum. Hoc Sanctus Paulus voluit, dum aſſeruit: *Siquis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens.* Sic pariter, ſi quis eſt videns oculo politiciſmi & mundanæ prudentiæ, fiat cœcus, ut ſit videns, ſimplici oculo per ſimplicitatem cordis ambulando in lumine. Hoc etiam Zachæus exemplo monſtravit, dum arborem ſycomorum aſcendit. *Sycomorus quippe ficus fatua dicitur: Puſillus itaque Zachæus ſycomorum ſubiit, & Dominum vidit, quia qui mundi ſtultitiam humiliter eligunt, ipſi Dei ſapientiam ſubtiliter contemplantur.* Stultum enim apparet mundanæ prudentiæ, quòd Princeps publicanorum homo dives, vir tantæ authoritatis inſtar ſimplicium puerorum arborem & quidem arborem fatuam aſcendat, aſt hàc ipsâ ſuâ (ſi ita dicere fas eſt) puerili ſimplicitate meruit videre, hoſpitioque recipere incarnatam ſapientiam, nobis ad exemplum, ut *ſi veraciter ſapientis eſſe, atque ipſam Dei ſapientiam contemplari appetimus, ſtultos nos humiliter cognoſcamus, relinquamus noxiam ſapientiam, diſcamus laudabilem fatuitatem.* Id ipſum & Dominus intendit, dum dicit:

1. Corinth. 3. v. 8.

Luc. 19. Lib. 27. moral. c. 27

S. Gregor. loco cit.

Niſi

Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut Matth. 18.
parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. v. 3.
Revertendum igitur est ad simplicitatem in- S. Hilarius
fantium. Qui politicismum ignorant, se Comment.
simulare nesciunt, curam opum negligunt, in Matth.
paucis contenti vivunt, innocentiam volu- c. 48.
ptatibus præferunt, non alta sapiunt, non superbiendo discurrunt, nemini invident, omnibus se subjiciunt, simpliciter obediunt, nec contradicunt, dum corripiuntur, & sic per suam simplicitatem proficiunt in sapientia & ætate. Quapropter contestor vos omnes hodie, qui verè mundo mortui, & â sæculi actibus alieni estis, eruite, proculque projicite tam scandalosum vestris animabus oculum mundanæ prudentiæ. Permaneamus cum Jobo simplici ac recto constantes in nostra religiosa simplicitate, nihil curantes gannitum, derisum, aut quemcunque latratum prudentiæ mundanâ politiâ subsutæ, quæ moderno ævo mundo, veluti uxor suo marito copulata, omnia stulta reputat, nisi sapiant fœmineum judicium, & rationem vivendi, decipere gnaram.
Moriamur omnes in simplicitate nostra, ut 1. Macch.
in novissimis cum Paulo ac ex Sancto Pau- 2. v. 37.
lo aliquando contestari queamus: *Gloria no-* 2. Corinth.
stra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, 1. v. 12.
quòd in simplicitate, & synceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.

MEDITATIO III.

Quomodo voto obedientiæ ſit ſatisfaciendum?

Punctum 1. De modo obediendi, exemplo militum. 2. De fide requiſita ad obediendum. 3. De verbo obedientiæ ſine limitatione adimplendo.

Præludium.

SIſte te in conſpectu Chriſti Domini tui usque ad mortem crucis obedientis, & crede firmiter, ab ipſo profluxiſſe illam vocem: *Diſce obtemperare pulvis, diſce te humiliare terra & limus, & ſub omnium pedibus incurvare. Diſce voluntates tuas frangere, & ad omnem ſubjectionem te dare.* Lib. 3. de imit. Chriſti c. 13.

Punctum I.

Conſidera, obedientiam noſtram â ſanctiſſimo Patre noſtro obedientiæ militum comparari, quemadmodum clariſſimè id indicant illa verba in Prologo ſacræ Regulæ poſita: *Ad te ergo nunc meus ſermo dirigitur, quisquis abrenuncians propriis voluntatibus, Domino Chriſto vero Regi militaturus, obedientiæ fortiſſima atque præclara arma aſ-*

ſumis.

ſumis. Eſtne talis tua obedientia, qualis militum ? Ecce milites promptè obediunt in rebus difficillimis currunt per vias aſperas onerati ſarcinis, incedunt per loca invia, & devia, tenent excubias, irruunt in hoſtes, aſcendunt per ſcalas ac muros cum periculo vitæ. Obtemperant usque ad ſanguinem, usque ad vulnera, usque ad mortem. Milites obediunt ad quodlibet ſui ducis ſignum, ad quemlibet nutum, ad quodlibet verbum: ſi dicitur: dextrorſum: ad dextram ſe vertunt, ſi ſiniſtrorſum: ad ſiniſtram. Et hæc vix non eodem momento, quo jubentur, & quidem omnes una ſimul, ad unicum tympani ſonitum, vel ad aliud ſimile ſignum integer exercitus movetur; ut verò Monacho & forſan unico obedientia perſuadeatur, tot quandoque indigemus verbis: ô miſeriam noſtram! milites obediunt, tametſi malè habeantur, tametſi pondus frigoris & æſtûs ferre; tametſi ſitim & famem perferre cogantur, & Religioſus tunc ſolùm prompte atque absque murmure obediat, quando ſolatia vel favores ſperare poteſt? Abſit â nobis talis carnalis obedientia. Milites de loco ad locum commigrant, juſſa plurima executioni mandant, tametſi ignorent, quarè? vel ex quo fine? & cur Religioſo ad obediendum ſemper ſit aperta intentio jubentis? Si milites vel modicè ad ſibi injun-

ēta serò veniant, si vel modicà jussa ducum transgrediantur, heu quot verberibus vapulant! O quot propter exiguam transgressionem jam fuêre in proximâ arbore suspensi! quid ergo aliquando fiet in tremendo judicio inobedienti, vel omnino contumaci Religioso? nec mirum in bello inter milites tam rigidam exigi obedientiam, hâc enim neglectà, tota disciplina militaris necessariò corruit, totus exercitus, & integrum quandoque etiam regnum extremo discrimini exponitur. Ast longè potiori jure talis tamque rigida obedientia desideratur in quolibet Religioso, hâc enim non observatâ, non Christo, sed Diabolo militatur, salus animæ periclitatur, Spiritus Sanctus spernitur, superior affligitur, tota disciplina monastica pessumdatur, ipseque religiosus cætus non meretur ampliùs vocari, *ut castrorum acies ordinata.* Quapropter *obedite præpositis vestris, & subjacete eis: Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis;* quoniam continget vobis in judicium confusionis, quod Pagani Paganis, quòd Dæmones quoqueDæmonibus promptius obediverint ad majorem suam damnationem, quam vos Christo in suis vicariis ad æternam vestram salutem.

Cant. 6. v. 9.

Hebr. 13. v. 17.

Pun-

Punctum II.

Conſidera Chriſtum & centurionem illum Evangelicum invicem colloquentes. Ex quibus poſterior obedientiam ſuorum militum ita deprædicat: *Ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alii veni, & venit: & ſervo meo, fac hoc, & facit.* Præclarum profectò obedientiæ exemplum nobis exhibetur in iſtis militibus. Sed cur placuit ita diſcurrere? cur obedientiam ſuorum militum allegare? voluit nempe per hoc ſuam fidem in Divinam omnipotentiam oſtendere, & (quemadmodum ex ipſo Evangelico contextu liquet) quaſi dicere: mihi puro homini, & quidem adhuc altiori poteſtati ſubjecto obtemperant milites ac ſervi mei ad omnem vocem, ad omnem nutum, quanto magis tibi Deo vero ac ſupremo Domino obediet paralyſis, ita ut ad unicum verbum oris tui, ad unicum velle tui Divini beneplaciti â ſervo abſcedat, tametſi in domum meam non deſcendas: Et hinc Dominus ſubintulit: *Non inveni tantam fidem in Iſraël.* Nec immeritò; magna quippe fuit fides hujus centurionis; & tamen veriſſima credidit: Nam Sol & Luna, maria & venti, febres, paralyſes, hydropiſes, peſtilentiæ, peſtes, omnes morbi, & ipſa

Matth. 8. v. 9.

Matth. 8. v. 10.

ipsa mors, omnia ad solam vocem ad solúm velle obediunt Domino. Qualis proinde pestilentia? qualis lepra? qualis pestis erit inobediens monachus? Religiosus juratus servus? juratus miles Christi? heu! heu! procul dubio pestilentia ac pestis perniciosissima est inobedientia in castris Domini, in religiosis claustris. Verissima loqueris Domine! non reperis tantam fidem in Israel, defecit viva fides in terra, loco hujus repleta est terra humanâ scientiâ, & hinc claudicat nostra obedientia. Si enim vere ac vivaciter crederemus, quod in propria lege

S. Regul. c. 5. nostra profitemur; *quia obedientia, quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur*, quis unquam tantæ proterviæ foret, ut tibi Deo suo, aut tardè, aut tepidè, aut cum murmure aut cum tædio obtemperaret? aut tuum imperium implere omnino negligeret? quis non staret vicino obedientiæ pede semper paratus, ad faciendas hilari affectu omni præscripto momento omnes tuas voluntates? Si crederemus Spiritui Sancto as-

1. Reg. 15. v. 21. severanti: *Melior est enim obedientia quam victimæ.* Quis unquam tantæ stultitiæ foret, ut vel unum obedientiæ actum negli-

Hebr. 11. v. 17. geret? *Fide obtulit Abraham Isaac.* Hunc sequamur, credentes voci Domini propriam nostram mactando voluntatem, ut filii Abrahæ simus.

Pun-

Punctum III.

Considera, & pro obedientiæ tessera accipe illud virgineum à virgine Matre consilium: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Joan. 2. v. 5 Nota primò, *quodcunque*, nihil excipiendo, neque externè se excusando, aut internè secum discurrendo; ad hoc non teneor, ad istud me non obligavi, isthæc obedientia videtur indiscreta &c. Nam nemo ad impossibilia se obligasse censetur, & tamen Sanctus Pater Benedictus expressè vult, ut S. Regul. 68 etiam impossibilia injungenti de Dei confisi adjutorio obtemperemus. Ergo verissimum manet illud Sancti Bernardi: *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, longiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & id omne, quod injungitur, spontanea, vigore liberalis, alacrisque animi, modum non considerans in infinitam libertatem extenditur.* de præcept. & dispens. *Quia, an aliquid sit possibile, subditus non debet suo judicio definire, sed in unoquoque superioris judicio stare.* S. Thom. apud Michaelem à S. Cathar. vol. 2. Tract. 16. erud. 2. n. 867.

Secundò ait Beatissima Virgo: *quodcunque dixerit*: hinc obediendum est superioribus non solùm in præceptis, & in jussis, sed in omnibus, quæ dixerint, aut alio signo manifestaverint, sive jubendo, sive consulendo, sive docendo, aut adhortando,

do, quemadmodum idipſum ipſe Spiritus
Deut. c. 7. v. 10. & 11 Sanctus nos docet, dum ait: *Facies, quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit. Dominus, & docuerint te, juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.*

Tertiò in verbo *dixerit*: ſubintelligitur Chriſtus: Per quod noſtræ debili altè imprimendum venit memoriæ, ut ſemper memores Divini beneplaciti, in omni obedientiæ opere non perſonam hominis jubentis, ſed perſonam Chriſti ita volentis promptè obedienti animo veneremur: *Hæc* namque
S. Regula cap. 5. obedientia *convenit his, qui nihil ſibi Chriſto charius exiſtimant.* Quapropter *quid-*
Cæſarius ad Monachos homil. 8. *quid tibi à ſenioribus fuerit imperatum, accipe tanquam de Cœlo; ſicut de ore Dei prolatum: nihil reprehendas, nihil diſſentias, in nullo penitùs murmurare præſumas: quia in Monaſterio ſervire veniſti, non imperare: priùs obedire, quàm jubere. Totum Sanctum, totum juſtum ac utile judica, quidquid tibi à Prælato videris imperari.*

BONA

BONA PROPOSITA
Ex
præsenti Meditatione.

1. STudebo de meis superioribus magnam æstimationem alere.

2. Conabor impedire pro possibilitate omnem vilipensionem superiorum, semper memor Divini eloquii: *nolite tangere Christos meos.* Psal. 104. v. 15.

3. Fovebo semper filialem confidentiam erga meos superiores.

4. Consuescam mea quotidiana exercitia, & quælibet obedientiæ opera, semper ex formali obedientia peragere; nempe me reflectendo ad ipsam obedientiam, ac saltem internè dicendo: Istud jam hilari mente, humiliter, fideliter, ac reverenter perficiam, quia Deus per meos superiores mihi manifestavit, quòd secundùm suum sanctissimum beneplacitum ita velit.

5. Pariter in observatione Sacræ Regulæ, in observatione præceptorum Ecclesiæ &c. semper faciam reflexionem ad formalem obedientiam, dicendo intra me: Ecce anima mea! hæc est voluntas Dei, hoc est Divinum beneplacitum, tuum jam est, amore ac exemplo Christi obedire fideliter sinè hæsitatione, simpliciter sinè præcepti discus-

discussione, velociter sinè cunctatione, humiliter sinè contradictione, hilariter sinè tædio, devotè sinè dissolutione, plenè sinè exceptione, fortiter sinè dejectione, constanter sinè operis aut obedientiæ diminutione, ferventer sinè tepiditate, diligenter sinè negligentia, sincero animo cum plenâ submissione, ex intimo corde, cum omnimodâ voluntatis conformitate ac mei ipsius abnegatione.

6. Intra ipsa obedientiæ opera, non intermittam crebriùs formales similes obedientiæ actus renovando exercere, meque ipsum ad obedientiæ perfectionem attingendam excitare.

7. Tentationibus contra perfectam obedientiam occurrentibus confestim in principio ad primam advertentiam resistam fortiter: animando me ipsum verbi gratiâ illo divino effato: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Qualiscunque sit superior, est tamen creatura humana; qualecunque sit opus injunctum, dummodò non sit peccatum, semper faciendum est propter Deum; quia ipse Dominus est, ego indignum instrumentum, ad quodcunque voluerit, me applicabit.

1. Petr. 2. v. 13.

8. Frequentiùs in oratione coram Deo effundam cor meum, ut dignetur me per meos superiores secundùm suum sanctissimum beneplacitum dirigere.

CON-

CONSIDERATIO VESPERTINA.

De Cultu beatissimæ Virginis Mariæ.

HOnoranda ac amanda castissimo amore est beatissima Virgo Maria; quia eandem ipse Deus præ omnibus creaturis specialiter honoravit, ac amavit; Ipsam enim cœlestis Pater per suum deputatum Angelum salutavit gratiâ plenam: hanc unigenitus Dei Filius honoravit ut matrem, hanc Spiritus Sanctus specialiter obumbravit ut sponsam. Hæc præ omnibus creaturis exaltata super Choros Angelorum, est ipsi Sanctissimæ Trinitati in gloria & honore magis vicina, ergone servus illam non honorabit ut Dominam, quam Dominus elegit in matrem? Amanda ac colenda est Maria Virgo propter suam excellentiam; quia tantæ excellentiæ, dignitatis, ac sanctitatis existit, ut *si omnes creaturæ* (verba sunt Sancti Bonaventuræ) *quantumcunque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent præsentes, omnes deberent reverentiam Matri Dei.* Amanda & honoranda est ex titulo debitæ gratitudinis; nam *genitrix Domini nostri salutem attulit mundo.* Amanda de Sanctis.

P. 1. qu. 25. a ult. ad 4.

S. August. Serm. 8.

da eſt beatiſſima Virgo Maria tanquam Mater pulchræ dilectionis, colenda tanquam Mater honoris & honeſtatis, invocanda tanquam ſpes viæ, & veritatis, honoranda per imitationem tanquam ratio vivendi, & exemplar ſanctitatis.

Ipſam cole, ut de mole
Criminum te liberet.
Hanc appella, ne procella
Vitiorum ſuperet.

DIE SEPTIMA OBSERVATIONES.

1. DIes ſeptima ſacrorum exercitiorum, quæ ſupponitur dies Dominica, ſpecialiter dedicabitur Sanctiſſimæ Trinitati.

2. Offeruntur ſingula hujus diei exercitia ſpecialiter pro obtinendo dono devotionis in orationibus & pro impetrandâ efficaci gratia ad devincendas mentis evagationes, tum & pro conſtanti concordia Catholicorum Principum inter ſe, ad majorem Eccleſiæ pacem & exaltationem.

3. Teſſera ſpecialis pro hac die erit: Ecce! tota ſanctiſſima Trinitas vult ſibi hanc actionem ſpecialiter ſanctificari, ergo ea ipſa tua actio ſpecialiter tanta perfectione peragenda eſt, ut in illa nihil niſi ſanctum reperiatur.

4. Aſpi-

4. Aspirationes frequentiores erunt: Benedicamus Patrem, & filium cum Sancto Spiritu, laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. Laus & perennis gloria Deo Patri, & Filio, Sancto simul paraclito in sæculorum sæcula.

5. Manè ante meditationem ex libr. de Imit. Christi pro lect. Spirituali serviet ex libr. 4. cap. 1. cum quâ reverentiâ Christus sit suscipiendus: Ex libr. 1. cap. 19. de exercitiis boni Religiosi & cap. 18. ex eodem libr. 1. de exemplis sanctorum Patrum.

6. Meditatio prima de studio devotæ orationis. Secunda de ferventi Zelo pro gloria Dei, & pro salute animarum. Tertia de diligendo Deo ex toto corde.

7. Lectio Spiritualis matutina de observandà summà reverentiâ in cultu Dei, & in omnibus Divinis. Lectio Spiritualis pomeridiana de amore Dei erga nos viles mortales nunquam satis æstimando.

8. Examen particulare de charitate Dei & proximi.

9. Lectio Vespertina ex Sacra Regula cap. 19. 20. & 43.

10. Consideratio Vespertina de cultu Augustissimi Sacramenti Eucharistiæ.

MEDITATIO I.
De
Orationis Studio.

Punctum 1. De Studio orationis, Religiosis maximè amando. 2. De modo orandi, ac Deum colendi. 3. De fructibus & dignitate orationis.

Præludium:

ELeva Spiritum tuum cum Joanne Evangelista, ad thronúm Dei, teque in omni puritate & humilitate animi adjunge Sanctis Angelis, qui *ciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt Deum.* Apoc. 7. v. 12.

Punctum I.

Considera verba salvatoris nostri dicentis: *oportet semper orare, & non deficere.*
Lucæ 18. v. 1. *Hoc Domini consilium* (inquit noster Joannes Trithemius) *præ cunctis mortalibus maximè decet Monachos, & omnes in quacunque Religione claustrales, quorum omnis actio & tota vita; immo quicquid faciunt, aut oratio esse debet, aut saltem orationi conforme,* unde (quemadmodum inferiùs idem auctor loco citato pergit) *non sufficit Monacho in Schola Christi regis æterni ad perfectionem tendenti orationes canonicas persolvere, nec*
Homilia 8.

sufficit

ſufficit homini, Deo per votum ſolemniter dicato preces ordinis communes in conventu adimplere; quoniam qui ſemper orare ſine intermiſſione præcipitur, ultra verbales etiam ad ſpirituales orationes obligatur. Et hoc multis de cauſis. 1. Ratione ſui ſtatûs & vocationis. Nam *Monachus eſt, qui ſolùm ad Deum acie mentis intentus, illum ſemper orat in omni tempore, loco, & re.* Joannes Climacus in Scala Paradiſi gradu 1.
2. Ratione fundationis vel eleemoſinarum; quia fideles ex hoc fine ſua bona monaſteriis conferunt & eleemoſinas tribuunt, ut per religioſos Deus jugiter laudetur in orationibus Sanctis. 3. Quia Religioſi idcirco ſpecialiter deputantur ad cultum Divinum, & eximuntur à laborum oneribus, ut eò liberiùs poſſint vacare orationibus & meditari in lege Dei die ac nocte. *Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in juſtitia ſua meditabitur.* Eccli 14. v. 22. *O ſi nihil aliud faciendum incumberet, niſi Dominum Deum noſtrum toto corde & ore laudare.* ! ait, ac ingemiſcit noſter Joannes Gerſon. De Imit. Chriſti libr. 1. cap. 25. Eſne hujus quoque Spiritûs? deſideraſne quoque continùo tuum laudare creatorem? & Deo tuo colloqui in meditationibus ac orationibus Sanctis? Crede mihi, malum, & vix non peſſimum ſignum eſt in Religioſo, non delectari ſtudio ſanctæ orationis. *Cùm videro quempiam* (inquit Sanctus Joannes Chry- Libr. de orando Deo.

Chrysostomus) *non amantem orandi studium, nec hujus rei fervidà vehementique cura teneri, continuò mihi palàm est, eum nihil egregiæ dotis possidere. Et quisquis non orat, nec Divino colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est, & vita carens, expersque sanæ mentis; nam hoc ipsum est evidentissimum argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium.* Quapropter *non impediaris orare semper.*

Eccli. 18. v. 22.

Punctum II.

Considera, & *ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Ante orationem *ergo* consideremus, *qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis & Angelorum esse.* Nam *si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi cum humilitate & reverentia: quantò magis Domino Deo universorum cum omni humilitate, & puritatis devotione supplicandum est.* Porrò orationi (secundùm Sanctum Laurentium Justinianum) debent inesse *cordis munditia, sincera fides, prolatio postulationum simplex, devotio pia, Divinæ præsentiæ consideratio certa, & obtinendi, quod petitur, indubia spes. Hæc profectò sunt spiritualia ornamenta orationis non minus mentalis, quàm verbalis.* Religiosus dignè orare

Eccli. 18. v. 23.

S. Regula cap. 19. cap. 20.

De Gradibus Perfectionis cap. 12.

volens, convocet ſuas cogitationes omnesque affectus ad interiora deſerti, ut clauſo oſtio toto ſpiritu per deſertum aſcendat ad thronum gratiæ, compareatque in conſpectu Divinæ Majeſtatis *ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii.* Virgula fumi, ſeu fragrans candela, juxta ipſius Spiritûs Sancti teſtimonium fit ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii: ſic & Religioſus debet quaſi eſſe conflatus ex aromatibus virtutum, præcipuè imprimis ex myrrha mortificationis, ita ut omnes inordinatas affectiones poſſideat mortificatas; nam inordinatis affectibus orare eſt idem, ac lutulentis, fœtentibusque ocreis ad thronum regis accedere. Secundò ex thure devotionis, & promptæ voluntatis ad omne Divinum beneplacitum. Tertiò ex univerſis pulveribus pigmentariis ſanctorum affectuum, ac deſideriorum. Virgula fumi tunc ſolûm cubile odore ſuavitatis adimplet, quando accenſa, ſubtiliter ardendo diffluit, & in cineres abit; ſic & oratio Religioſi tunc demum fit Deo acceptus ſuffitus, quando Spiritus ejus in oratione accenditur. Quando præ ardore Divini amoris quaſi diffluit, quando coram Divinâ Majeſtate ſe humiliat usque ad pulverem, dicens cum Abrahamo,

Cant. 3. v. 6.

Genes. 18. v. 27. *loquor ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis.*

Vide, utrum tuæ orationes sint tales? Inquire tuarum distractionum aliorumque defectuum causas, tolle radices. Pete donum orationis, cum Propheta ad Deum suspirans: *dirigatur oratio mea sicut Incensum in conspectu tuo.* Psal. 140. v. 2.

Punctum III.

Considera fructus & excellentiam perfectæ ac Sanctæ orationis. *Magna prorsus* (ait Sanctus Laurentius Justinianus) *est orationis virtus, Divino conspectui oblata per Angelos (si tamen sit charitate ignita, fide plena, intentioni rectæ subnixa, humilitate sociata, à delictorum sordibus impolluta, bonisque operibus decorata, (hæc placat Deum, lætificat Angelos, redolet Sanctos, penetrat cœlos, postulata reportat, terret Dæmones, adversarios superat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem, cor illuminat, propinquam reddit animam Deo, devotionem parit, deprecantem complet dulcedine, dispersas cogitationes, & se frequentantem secum delectabiliter habitare facit. Nullus perfectè enarrare sufficit, quàm potens sit assidua justi oratio, quàm necessaria cunctis, & quantùm ad perfectionem venire anhelantibus omnino sit congrua.* Ecce! quot & quanti fructus

De Gradibus Perfect. cap. 12.

fructus ex devotâ eâque constanti oratione! Experirisne istos fructus in tuis orationibus? fortassis non oras sicut oportet? discute mentem tuam, emenda defectus, *spera in Domino, & fac bonitatem.* Et largietur tibi fructus in tempore suo.

BONA PROPOSITA
Ex
Præsenti Meditatione.

1. JUxta monitum Sanctissimi Patris nostri Benedicti, orationi frequenter incumbam. S. Regula cap. 4.

2. Quia *quid oremus, sicut oportet, nescimus;* frequenter ac ferventer petam donum orationis, ad Dominum suspirans; *Domine, doce nos orare.* Rom. 8. v. 26. Luc. 11. v. 1.

3. Sollicitus ero ad opus Dei, ita ut omnia verba ritè pronunciem, ut debitam intentionem præmittam, attentionem conservem, ac fructum orationis degustem, ut mens voci concordet, ut cum Sancto Paulo *psallam Spiritu, psallam & mente.* 1. Corinth. 14. v. 15.

4. Ante orationem semper valedicam omnibus impertinentibus cogitationibus & affectibus, implorans Divinum auxilium contra Diabolum infensissimum orationis inimicum, suspirabo ad Dominum, cum

Heroina Judith dicens : *confirma me Domine Deus in hac hora.*

5. In ipſa oratione humilians animam meam, ſemper memor ero vilitatis meæ,
1. Reg. 7. v. 18. dicens cum regio vate: *quis ergo ſum, Domine Deus? Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.*
Pſal. 38. v. 6.

6. Ad devitandas diſtractiones ſub ipſa oratione rigidus cuſtos meorum ſenſuum perſiſtam, ne detur occaſio maligno.

7. Meditationes, & ejusmodi orationis exercitia nunquam negligam, ſed ſemper accuratiſſimè peragam, ſicque ero addictus orationi mentali, ut mihi cum Propheta
Pſal. 118. v. 97. dicere liceat : *quomodo dilexi legem tuam Domine? totâ die meditatio mea eſt.*

8. Aſſueſcam præterea preces jaculatorias & pias aſpirationes ſemper in promptu habere.

LECTIO SPIRITUALIS Tempore matutino.

ARGUMENTUM.

RELigioſus ſit ſollicitus ad opus Dei & omnia Divina, ſic enim ab ipſo exigit ipſa virtus religionis, cui ſpecialiter dedicatus, & obligatus eſt, unde ſummoperè cavendæ ſunt in Divinis irreverentiæ; quia de

de his omnibus in tremendo judicio exigetur reddenda ratio.

Non eſt equidem, quod nos Religioſos magis delectet, ſed nec eſt, quod meritò terreat magis, quàm virtus religionis, â qua omnis Religioſus nomen Religioſi ſortitur. Quid enim delectabilius ſitienti bonum & fontem aquæ vivæ, quàm quaſi aſſiduè in actibus religionis verſari? cultu Divino occupari? toties in oratione Altiſſimo confiteri? ad imitationem Angelorum in Choro Deo pſallere? terribile ac Sanctum nomen Domini benedicere? laudes Divinas decantare? Sacroſancta Sacramenta ſæpius frequentare? tremendum miſſæ ſacrificium Divinæ Majeſtati offerre? & quaſi continuâ occaſione gaudere, Chriſtum Regem gloriæ in Sacramento amoris viſitandi, adorandi, laudandi, amoris actibus celebrandi, ſuaſque neceſſitates eidem aperiendi? gloriabatur quondam Moyſes, feliceṁque reputabat populum Iſraëliticum, dicens: *En populus ſapiens, & intelligens, gens magna. Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinguantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſervationibus noſtris*, longè potiori tamen jure nos Religioſi gloriari poſſumus de præſentia Dei noſtri, qui pſallentibus in Choro, tractantibus Divina ſub Sacramento altaris adeſt

Deut. 4. v. 6. & 7.

nobis

nobis & cunctis obſervationibus noſtris, qui ſe manducantibus quotidie præbet in cibum. En quanta propinquitas! quanta dignitas! quanta delectatio! panem omne delectamentum in ſe habentem quotidie in manus accipere (loquar ad Sacerdotes) ore ſumere, in intima cordis penetralia recipere? verè non eſt, quod magis delectet, ſed nec eſt, quod deterreat magis; quoniam de his omnibus aliquando in tremendo judicio erit nobis rigidiſſima reddenda ratio. Increpabit nos tunc terribilis omnipotentis majeſtas, cujus præſentiæ in actionibus noſtris forſitan tam exiguum reſpectum habuimus, accuſabunt nos Sancti Angeli Dei de omnibus irreverentiis, quas Divina tractantes, noſtrumque ſervitutis penſum perſolventes, in conſpectu ipſorum commiſimus, arguent nos Dæmones de omni oſcitantia in Divinis admiſſâ, de omni negligentia commiſſâ, de omni faſtidio concepto, de omni remiſſione in cultu Divino habita, de omni culpa patrata, coarguent nos filii hujus ſæculi; tum, quia ipſi longè majori reverentia ſuis famulati ſunt Dominis carnalibus, quàm nos forſan ſupremæ majeſtati Regis immortalis, tum quia longè majorem in nobis crediderint, ac ſperâſſent reverentiæ & devotionis induſtriam. Tunc omnes & ſingulæ horæ canonicæ, in itine-

itinere, in ſtudiis & ubicunque locorum, omnes meditationes, omnes orationes, omnes Sacramentorum receptiones, &c. accuratè trutinabuntur ad canonem Juris, ad amuſſim Regulæ, ad Regulam Sanctæ reverentiæ, quâ tantæ majeſtati ſupplicandum fuiſſet. Unde operæ pretium duxi, in præſenti diſcurſu quoad hoc punctum ſaltem brevem inſtructionem propinare, quâ altè imbibitâ, ex Divinis tum deguſtare delectationis dulcedinem, tum præoccupare venturam iram Dei valeamus.

Primò itaque toto pectore collaborandum eſt, ut non ſolùm ad tremenda myſteria tractanda, aut ad Sacramentum altaris recipiendum, ſed etiam ad omnem orationem, & ad omnia Divina conſcientiâ purâ & immaculatâ accedamus: Nam *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum & immaculatum ſe* Jacobi 1. v. 27. *cuſtodire ab hoc Sæculo. Peccatori autem* Pſal. 49. *dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas,* v. 16. *& aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Nam *ſi nec juſtus ſine modeſtia & verecun-* S. Bernar- *dia quâdam ad Sanctorum præſumit accede-* dus in Vi- *re laudes, quantò magis peccator, in cujus* gil. S. An- *ore non eſt laus ſpecioſa, timeat ſemper, ne-* dreæ. *ceſſe eſt, vocem illam: Quare tu enarras juſtitias meas,&c.* Deſiderat quidem ſponſus

Cant. 2. v. 15. ſus vocem ſuæ ſponſæ Cant. 2. v. 14. deſiderat Deus vocem orantis, ſed cujus? illius nempe, de qua ſubjungit: *facies tua decora.* Si (teſte Lampridio) ſtulta græcorum gentilitas Eleuſinæ Cereri Sacra celebratura ante fores templi præconem conſtituit, publico iſthoc decreto, ut quosvis ingreſſuros hâc voce altè perſtringeret, *nemo ingrediatur, niſi qui ſe innocentem cognovit.* Si nefas eſt, apud Turcarum Imperatorem in atra veſte comparere, ſi admittendus ad Magnum Moſcoviæ ducem feſtivis veſtimentis induitur, quantò magis nefas erit coram Divina majeſtate in oratione ad audientiam comparere, in Choro pſallere, Divinis aſſiſtere, opus Dei peragere, & tractare Sancta ſine indumento juſtitiæ. Quis hoc præſumpſerit, niſi ſe innocentem cognoverit? quis non advigilet, ut in veſtitu charitate deaurato & circumdatus varietate virtutum ſemper accedat ad thronum gratiæ? Forſan tibi ſuggerit immatura minusque aſcetica prudentia: hæc quidem verum habere ante ſacram ſynaxin, ante ſacram communionem quidem in veteri Eccleſia Diaconum cantante voce clamâſſe ad fideles ſacro epulo reficiendos: *Sancta Sanctis: Nemo niſi Sanctus accedat*, aſt mundam, & quidem ab omni etiam nævo veniali immaculatam con-

conſcientiam ante omnem orationem exigere, eſſe ſcrupulis fomitem miniſtrare, cùm de præmittenda orationi confeſſione ſecundùm ſe nullum exſtet præceptum, & elicere contritionem ſit quidem decentiæ, non tamen præcepti aut ſtrictæ obligationis: ſic forſan diſcurrit caſuiſta, ſed nullus approbat Aſceta. Omnium ſcrupulorum facilè eſt peſſimus, nihil boni velle perficere niſi ſub obligatione, & quidem tam palpabili, ut in ſcholis per nullam ſententiam â culpa mortali excuſetur. Hinc nemini mirum videri debet, quòd noſter Gerhardus Belga Caſiſtarum diſcurſus tam ægrè ferre ſit ſolitus. *Nihil minus ferebat* (inquit Bucelinus in ipſius dictis & factis) *quàm quosdam caſiſticè diſputare, quidnam in hoc vel illo liceat? Dicebat autem, ejusmodi quæſtiones, ſcrupuloſis tantummodò & deſperabundis, iisque quorum intereſſet, ejusmodi hominibus ſuccurrere, ſalutares & utiles, cæterùm aliis noxias nimiùm in praxi & peſtilentes eſſe, & qui ejusmodi ſententias pro arbitratu ſequerentur, ſtatuiſſe eo ipſo nunquam proficere, imo rigorem omnem & quidquid adverſum carni & voluntati eſſet, imminuere aut tollere. Addebatque: ſanctos attendamus, quid fecerint, quidquid tandem tantæ libertatis auctores contenderint. Et certè, fratres, hoc eſt in miſericordias Domi-*

ni

ni peccare, amplecti ea, quibus videt Sanctos omnes actu contradicere. Vel si sancti nequeunt nos suis exemplis movere, audiamus saltem visionem, Justino Capucino in raptu ostensam. Is (uti Nebriduis in suo Antiquario ex Boverio enarrat) rapiebatur quondam per spiritum ad chorum, & ponebatur in medio fratrum matutinas laudes dicentium. Sperabat bonus Pater, se ibi auditurum quasi terrestrium Angelorum melodiam. Sed hem! locò suavis concentûs, auribus nihil hausit aliud, nisi horrendos canum latratus, mugitus boum, grunitus porcorum, & verba blasphemiæ. Ad hæc audita inhorruit vir optimus fundensque coram Deo preces mistas lacrymis, sibi revelari petiit, quid tam monstrosum indicaret matutinum? Et ecce! hæc cælica vox auribus ejus illabitur: *Illorum Religiosorum preces, qui dissolutè vivunt, Regulam negligunt, aliosque rectè viventes impediunt, nihil aliud sunt, quàm blasphemiæ, & voces belluarum.* Manet proinde verissimum illud Sancti Laurentii Justiniani effatum: *Sicut nullum medicamentum proficit, donec ferrum latet in vulnere, ita nihil prodest illius oratio, cujus voluntas versatur in scelere.* Non quivis precator aut Sacricola est Deo minister acceptus, sed *ambulans in via immaculata, hic mihi mi-*

Epist. 71.

In ligno vitæ cap. 4. de orat.

Psal. 100. v. 6.

ni-

niſtrabit: ait omnipotens. Alterum in omni religionis exercitio & in cultu Divino requiſitum eſt debita reverentia tam externa quàm interna cum devotione conjuncta. Unde reverentia noſtra non debet eſſe politica, aut ſæculum ſapiens, ſed religioſa, ex omni parte devotionem ſpirans, ædificationem diffundens, corda ſurſum ſublevans. Interna reverentia conſiſtit in attentione mentis & ſubmiſſione cordis, ita ut omnes cogitatus & affectus collecti unicè occupentur in cultu Divinæ majeſtati exhibendo, & in actibus religionis exercendis. Externa eſt totius exterioris hominis condecora compoſitio in devotionis obſequium, importans ſenſuum exteriorum continentiam, actuum ac membrorum decentiam, & præſcriptorum rituum ſeu ſacrarum cæremoniarum obſervantem cuſtodiam. Utramque â nobis exigit Deus, dum ait: *filius honorat Patrem, & ſervus Dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Et quid eſt opus ad perſuadendam reverentiam in cultu Divino multos ſcripturæ textus aut Patrum ſententias proferre? Nam ſi ſecundùm ſacram noſtram Regulam *debitum terror ipſe ſibi exigit honorem*, quantò magis terror Divinæ majeſtatis per ſe verè credenti incu-

Malach. 1. v. 6.

cap. 53.

tiet timorem, ſibique exiget omnem honorem ac reverentiam. Dum Jacob in ſomno per ſcalam deſcendentes & aſcendentes Angelos vidit, expergefactus haud opus habuit ad exhibendam loco reverentiam multâ exhortatione, ſed per ſe plenus pavore exclamans ajebat: *quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte! non eſt hîc aliud niſi domus Dei, & porta Cœli.* Hæc toties contingunt, quoties Deum colimus, quoties Divina tractamus, quoties oramus, toties tanquam mendici portam cœli pulſamus, toties nos Deus reſpicit de excelſo ſolio gloriæ ſuæ, toties deſcendunt Angeli, offerendo merentibus gratiarum charismata, toties & aſcendunt, Divinæ majeſtati quaſi nunciaturi, quâ decentiâ perſolvamus noſtræ ſervitutis penſum, quemadmodum colligitur ex illa viſione Divi Bernardi, quâ nocturnis quondam inſiſtens vigiliis, vidit Sanctos Angelos junctos pſallentibus Monachis, totos occupatos in notandis ſingulorum orationibus; illorum quidem orationem, qui totà attentionis ac intentionis puritate, charitatisque fervore orationi & pſalmodiæ vacabant, litteris notabant aureis, illorum, qui aliquo modo quidem minùs ferventer, ſed tamen devotè & attentè pſallebant, litteris argenteis, illorum, qui â devotione quidem deficiebant, ſed bonam

Geneſ. 28. v. 17.

Speculum exemplorum, verb. Angel. exemp. 11.

bonam nihilominus Deum colendi voluntatem retinebant, átramento: illorum qui diſtractionibus non ſatis reſiſtebant, vel pigrè ſe duntaxat applicabant, ſcribebant tantùm aquâ, apud illos autem, qui timoris Dei immemores aut ſomno ſe dabant, aut levitates exercebant, aut pronâ voluntate vanis cogitationibus, & impertinentibus objectis ſe occupabant, Sancti Angeli ſignabant nihil, ſed illis ſuos Angelicos vultus cum ſigno mœſtitiæ avertentibus, totum ſtylo ferreo diligentiſſimè annotabat Diabolus. Jam hîc mente ſubſiſte pauliſper, donec ád trutinam revocemus omnes orationes noſtras, â primis annis hucusquè fuſas, omnia exercitia cultûs Divini, quorum ingens procul dubio reperietur numerus ac cumulus, ſed qualibus litteris deſcriptus? an aureis? ah utinam! an argenteis? optarem planè! an átramento? & de hoc dubito. An aquâ? ut plurimùm credo. An fortè in noſtris orationibus nihil â Sanctis Angelis, ſed omnia â Dæmonibus notata comparebunt? non immeritò metuo. Metuo planè, dum & aliam ex ſpeculo exemplorum lego hiſtoriam de duobus fratribus, qui quondam in ſuis lectis, commoditatis cauſâ, ſedendo, nocturnas ſimul recitabant vigilias. Et hem! continuò viſibili ſpecie aſtitit dæmon horribili ac intolerabili

Verbo: Orat. Exemp. 14.

lerabili fætore circumquaque diffuso, vociferans cum sarcasmo: *Tali orationi debetur tale incensum.* *Ideò semper memores simus, quod ait propheta: servite Domino in timore: Et iterum : Psallite sapienter. Et in conspectu Angelorum psallam tibi.* Præsentiam Angelorum verè & actu non credit, Deo in timore non servit, nec sapienter, sed insipienter psallit, quisquis ad hoc solùm attendit, ut quoad substantiam satisfaciat præcepto, & saltem peccati mortalis effugiat reatum; hoc enim non est verè colere Deum, nec Divinam revereri majestatem; nam canis neque venialiter quidem in ecclesia peccat, sed propterea Deum non colit. Si aliud Ecclesia non vellet, preces canonicas certè minùs sapienter præscriberet. Quem enim, quæso! Ecclesia ex nostris orationibus fructum acquireret, si tantùm externum cantum aut clamorem intenderet? quoniam *non plus delectatur Deus in oratione vocali sine attentione mentali, quàm in garritu avium, vel in grunitu porcorum: si cor non orat, in vanum lingua laborat. Talis non solùm non impetrabit, quod petit, sed etiam magis Deum irritabit.* Ille tanquam minister intelligens ad intentionem, & secundùm intentionem Ecclesiæ sapienter psallit, qui in toto corde Deum deprecatur pro populo, qui confite-

S. Regula cap. 19.

Vincentius Bellova. in Spec. Moral. dist. 33. p. 10. glossæ. S. Basilius apud S. Thom. 2. 3. q. 83. a. 13.

tur

tur Altissimo in cithara sanctorum affectuum, qui majori reverentiæ & humilitatis subjectione tam exteriùs quàm interiùs Divinæ majestatis reveretur præsentiam, quàm Regina Esther vultum regis Assueri; infinitè quippe magis verificatur de Deo Dominorum Domino, quàm de rege Assvero illud Reginæ Esther dicentis: *valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* Hinc Esther 15. v. 17.

Tertium requisitum est in cultu Divino, ac in omni religionis exercitio charitatis fervor cum hilaritate cordis conjunctus: quemadmodum asserit scriptura: *glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis, supervalebit adhuc, & admirabilis magnificentia ejus, Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantùm potestis; major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute*, ut totis viribus in lætitia & exultatione laudetis Deum, & imitemini spiritualiter Davidem, qui *saltabat totis viribus ante Dominum.* Pessimum signum est, siquis in Divinis fastidium concipit; nam fastidiosos & ipse Deus fastidit, quemadmodum ad Deum Ecclesia canit: *Esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes*, cujus rei satis terribile Nebridius enarrat exemplum de quodam Carthusiano Monacho, Divina fastidiente, hic quon-

Eccli 43. v. 32. 33. & 34.

2. Reg. 6. v. 14.

In festo Corporis Christi.

Epist. 68. in antiquar.

dam die tardioris psalmodiæ pertæsus, vesperarum se synaxi subducens, tœdii dispellendi causâ capitulum intravit, quò vix primum pedem inferente, ecce tibi! crucifixi imago, ante oculos ingredientium posita, visibiliter se vertit, vultuque in alteram partem acto, dorsum exhibet fastidioso. Quo viso infelix adeò conterritus est, ut illicò in amentiam inciderit, & licèt fratrum precibus semestri transacto iterum sibi compos evaserit, nunquam tamen evasit emendatus, sed semper ad deteriora prolapsus, tandem ex senténtia capituli generalis ab ipso sacro ordine projectus est. Ecce hic est fructus fastidii in Divinis, semper suspirantis ad finem. Idcirco summoperè cavendum est, *ne acedia, dum Divinis assistimus officiis, animum nostrum subeat, efficiatque, ut ex medicina nobis venenum adsciscamus, id est, ne exinde orans acquirat peccatum, ubi habere potuit remedium.* Semper nostram occupet memoriam illud notum Divinæ scripturæ oraculum: *maledictus, qui facit opus Domini negligenter,* sive, uti alii legunt: *fraudulenter.* Quid sit opus Dei, ex Sacra Regula scimus, in hoc itaque opere, in cultu Divino scilicet nobis strenùe laborandum est, & quidem magnus labor adhibendus est, dicente beato Agathone Abbate, *quia puto, non alium esse*

S. Cæsarius Arelatensis homil. 21.

Jerem. 48. v. 10.

esse laborem talem, qualem orare Deum: Dum enim voluerit homo orare Deum suum, semper inimici Dæmones festinant interrumpere orationem ejus, scientes, quia ex nulla re impediuntur, nisi per orationem ad Deum; siquidem omnem laborem alium, quem homo in religiosa conversatione positus assumpserit, quamvis instanter & toleranter agat, habet tamen & possidet aliquam requiem: Oratio autem usque ad ultimam exhalationem opus est, & habet laborem magni certaminis. Laborandum est in opere Dei, in cultu Divino non *negligenter*, non *fraudulenter.* Negligenter opus Dei facit, qui æquo minùs est solicitus sive quoad dispositionem & præparationem tam sui, quâm ipsius functionis sacræ, sive quoad intentionem, sive quoad attentionem, sive quoad alias rationes, cultum Divinum condecentes. Opus Dei fraudulenter agit, qui sive de requisito temporis, sive de ipsis verbis, plus æquo properando quid subtrahit, aut omittit: opus Dei fraudulenter facit, qui ad favendum suæ laxitati aut commoditati in fraudem & devotionis diminutionem, sententias magis Platonicis speculationibus, quàm veræ devotioni, ac piorum sensui conformes amplectitur. Religionis amans, suæque Professionis observans Religiosus non attendit, quidnam per scholasticas sententias

Apud Michaelem â Catharina vol. 3. Tract. 14. Erud. 4. n. 804.

tias denique liceat, sed quidnam juxta solidæ asceos regulas sanctæ devotioni & spirituali profectui magis conveniat, fundatus in illo nostri Gerardi Belgæ Proverbio: *Nihil libeat Monacho, quod licet, id unum agat, quod agere præstat. Da operam* (commonens ait Nicolaus Lancicius) *ut tua oratio semper sit ardens, & quodammodo bullienti erga Deum affectu, & res Divinas inflammata. Hæc enim actuum fervens intensio, est quidam seraphicus Deum amandi ardor, & gustum præbet Divinæ majestati incredibilem, & magna merita cumulat, & multa impetrat, & pœnas purgatorii aut penitùs submovet, aut valde minuit, & animum flectit ad declinandas heroico studio omnes, etiam levissimas imperfectiones & frequentandos actus virtutum heroicarum.* Si tamen adeò percontari libet: utrum in cultu Divino non possit fieri excessus? Respondeo, respiciendo ipsam Divinæ majestatis supereminentiam, non posse fieri excessum; siquidem Deus est omni cultu major, & omni sancto, etiam infinito honore dignior; respiciendo verò nostram infirmitatem, per nimiam intensionem posse fieri excessum, unde in hoc quoque opus est discretione, ne fervoris intensio ultra vires prosiliat. Cæterûm plura quidem adhuc restant, quæ cultum Divinum tum nobilitant,

Opusc. 2. cap. 9.

tant, tum quasi necessariò comitantur; verùm, quoniam potissima in positis conditionibus partim jam includuntur, partim ex meditatione facilè eruuntur, partim aliàs jam nota supponuntur; hinc nimiæ prolixitatis declinandæ ergo, submotam de hac tabula manum aliis adjicio, pro memoriæ ac continuæ considerationis tessera cordibus nostris insculpens illud scripturæ incitamentum: *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostra sit jucunda decoraque laudatio.*

MEDITATIO II.

De Zelo pro Divino honore ac pro salute animarum.

Punctum 1. In quonam verus zelus consistat? 2. De actibus seu exercitiis zeli. 3. De discretione in exercitio zeli adhibenda, præsertim quoad extraneos.

Præludium:

Siste te in præsentia Domini Dei dicentis: *Nunc reducam captivitatem Jacob,* Ezechiel
& miserebor omnis Domûs Israël, & assu- 39. v. 25.
mam zelum pro nomine Sancto meo. Satage cooperari zelo Divino; quoniam (quemadmodum magistri spirituales ex Sancto Dionysio Areopagita tradunt, omnium

Divinorum diviniſſimum eſt cooperari Deo in animarum ſalutem.

Punctum I.

Conſidera, Sanctum zelum à Jacobo Alvarez definiri, *quòd ſit intenſus charitatis actus, & amantis affectus, quo diligentiſſimè quærit honorem Dei, & proximorum ſalutem, ac quicquid hiſce duobus contrariatur, fortiter, conſtanterque repellit.* Motiva ad fovendum hunc zelum nos ſtringunt plurima. 1. Eo ipſo, quia eſt charitatis actus & proprius ſponſæ, aſſerentis: *dura ſicut infernus æmulatio.* Quanto igitur zelo amaritudinis totus infernus ardet ac vigilat ad minuendum Dei honorem & ad perdendas animas, tanto charitatis zelo quivis noſtrûm deberet ſudare ad promovendum Dei honorem ac ad lucrifaciendas Chriſto animas. 2. Quia hunc zelum nos docet, & ſignificat ſtatim prima petitio in oratione Dominica, illis verbis: *Sanctificetur nomen tuum.* Nam per zelum Divini honoris! & per zelum animarum propriè & potiſſimùm ſanctificatur nomen Domini. Primam itaque petitionem in oratione Dominica ignorat, qui Sancto zelo non flagrat. 3. Voluntas Dei, quemadmodum colligere fas eſt ex illis verbis Chriſti Domini: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi*

Tom. 2. libr. 3. P. 2. cap. 5.

Cant. 8. v. 6.

Matth. 6. v. 9.

Luc. 12. v. 49.

nisi ut accendatur? Sed qualem ignem venit mittere? quali igne nos vult accendi? *In* Sophon. 3.
igne enim zeli mei (inquit Spiritus Sanctus) v. 8.
devorabitur omnis terra, & ut tollat nobis omnem scrupulum, aliud sentiendi, ibidem continuò subjungit: *Quia tunc red-* v. 9.
dam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno. Ecce! In igne zeli devorari debet omnis terra, id est, consumi debet omnis terrena affectio, omnes nostri affectus id unum spirare, ut omnes populi serviant Deo uno humero, sive sub uno eodemque jugo Christi. Ecce! lingua ex zelo loquens appellatur labium electum. Unde 4. zelus est Deo sacrificium gratissimum.
Nullam quippe omnipotenti Deo tale est sacri- S. Greg.
ficium, quale est zelus animarum. Et hinc homil. 12.
cacodæmon totis conatibus laborat, ut istud in Ezech.
Deo gratissimum sacrificium nimirum zelum, impediat, tum suggerendo varias excusationes, tum incutiendo timores. 5.
Exemplum ipsius Domini Dei, *qui etiam* Rom. 8.
proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omni- v. 32.
bus tradidit illum. Ecce! si propter salutem animarum Deus non pepercit vitæ sui filii, tune parces laboribus? 6. Exemplum Sanctorum, quo nobis præluxerunt nostri majores, non solum viri, sed etiam fœminæ. Quo enim penicillo satis exprimes zelum San-

Sanctæ Therefiæ, Mariæ à Jefu, & aliarum virginum? tune hifce timidus & fæmineus
Daniel. 12. v. 3. magis? 7. Ingens meritum, nam *qui ad juftitiam erudiunt multos, fulgebunt, quafi ftellæ in perpetuas æternitates.* *Si enim ma-*
Lib. 19. moral. c. 16. *gnæ mercedis eft* (inquit Sanctus Gregorius) *à morte eripere carnem quandoque morituram, quanti eft meriti, à morte animam liberare, in cœlefti patria fine fine victuram? Hunc ergo zelum ferventiffimo amore exerceant Monachi.* Sunt ipfiffima verba facræ noftræ Regulæ. cap. 72,

Punctum II.

Confidera, zelum poffe variis actibus ac modis exerceri. 1. Eft dura æmulatio & dolor zeli, quod in Ecclefia apud multos fit tam exiguus, immo minor zelus pro dilatatione fidei Catholicæ, quàm apud hæreticos zelus perverfus ad differminandos fuos errores. Talem zelum Elias habuit, dum refpondit: *Zelo zelatus fum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filii Ifrael: altaria tua deftruxerunt, & prophetas tuas occiderunt gladio, & derelictus fum ego folus.* 2. Alios accendere ad zelum five prædicatione, five exhortatione, five linguâ, five calamo, ad exemplum
Ifaiæ 42. v. 13. illius, de quo fcriptum eft: *ficut vir prœliator fufcitabit zelum.* 3. Ex ardore zeli dolere,

lere, quòd Deus tot peccatis offendatur, hoc zelo ille arsit, qui dixit: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* 4. Omni possibili modo operam dare, ut peccata impediantur, juxta exemplum Sancti Ignatii Lojolæ, qui insudans convertendis fœminis luxuriosis dicere solitus est: *Si omnibus vitæ meæ curis ac laboribus id possim efficere, ut vèl unam noctem peccato vacuam transigere proponeret istarum aliqua, omnes ego quidem nervos contendam, ut vel illo exiguo tempore Deus & Dominus noster non offendatur.* 5. Laborare omni possibili modo, ut peccatores ad pœnitentiam adducantur, juxta illud Divinæ Scripturæ: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* 6. In conversione hæreticorum ac infidelium occupari juxta verbum Domini dicentis: *Euntes ergo docete omnes gentes.* 7. Fatigari & operam navare, ut cultus Divinus & devotio fidelium ubique adaugeatur, juxta exemplum illius, de quo scriptum est: *Zelus domûs tuæ comedit me.* 8. Nulli labori parcere, ut boni continuò proficiant in meliùs, ut reformentur sacri religiosi ordines, & eant omnes fideles præsertim Religiosi de virtute in virtutem: sicut scriptum legitur: *Qui justus est, justificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur adhuc*

Psal. 118. v. 139.

Michael à S.Cath. v.3. tract. 11. Erud. 6.

Proverb. 24 v. 11.

Matth. 28. v. 19.

Joann. 2. v. 17.

Apocal. 22. v. 11.

adhuc. Paucis imitare illum, de quo Scri-
Isaiæ 59. v. 17. ptura ait: *Opertus est quasi pallio zeli*. Nec dimittas pallium zeli tui, donec cum Zelote Elia rapiaris in Paradisum Dei.

Punctum III.

Considera, in zelo esse discretionem & magnam prudentiam adhibendam: nam *ho-*
Psal. 98. v. 4. *nor regis judicium diligit*. Hinc & Dominus dum suos discipulos ad prædicandum Evangelium destinavit, hisce eos commu-
Matth. 10. v. 16. niit: *Estote ergo prudentes sicut serpentes*. 1. Quidem requiritur, ut quis seipsum priùs curet, ac perficiat, antequam ad alios curandos vel perficiendos progrediatur, ne
Luc. 4. v. 23. aliàs ipsi dicatur: *Medice cura teipsum*. *Concham te exhibebis* (ait Sanctus Bernardus)
Serm. 18. in Cant. *& non canalem. Hic siquidem penè recipit & refundit, illa verò donec impleatur exspectat, & sic quod superabundat sine suo damno communicat, sciens maledictum, qui partem suam facit deteriorem*. 2. Zelator animarum debet sufficienter esse instructus, non qualicunque scientia, sed sapientiâ sa-
ad Titum 1. v. 9. lutari, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere*. 3. Zelus debet proficisci ex pura intentione & ex affectu charitatis, non autem ex ambitione, aut invidiâ, vel ex inquietudine, ex cupidine libertatis, propriæ commodita-

tis &c. Unde Paulus ait: *Æmulor enim vos Dei æmulatione*, non verò æmulatione propriæ utilitatis. 4. Ut zelus sit conformis superiorum voluntati ac sacræ obedientiæ: facilè enim, etiam suo bono zelo in laqueum Diaboli incidit, quisquis obedientiam non diligit, & *præstat unum veræ obedientiæ actum exercere, quàm sexcenta patrare miracula.* 5. Magna est adhibenda circumspectionis cautela, *ne fortè*, minus caute per discrimina incedens, *cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* 6. Magna opus est discretione in ipso zeli exercitio, cujus acquirendæ causâ præter crebras ad Deum fusas preces, inquirenda sunt prudentum consilia, ut singulis morbis semper proportionatâ obvietur medelâ, ne zelus per excessum transeat in crudelitatem, aut ne per nimiam remissionem foveat pestem vitiorum ad plurium & majorem contagionem. Denique populos convertere, & animas Christo lucrari, opus est non humanæ scientiæ, sed dexteræ Excelsi. *Tu fac, quod potes, Deus supplebit ea, quæ tu non potes.*

2. Corinth. 11. v. 2.

S. Franciſc. Xaverius in floribus Ind. 30. Aprilis.

1. Corinth. 9. v. 27.

S. Franciſc. Xaverius in floribus Ind. die 17. Maji.

BONA

BONA PROPOSITA
Ex
Præſenti Meditatione.

1. FRequentiùs rogabo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam, & ut ſuſcitet prædicationes, quas locuti ſunt in nomine ejus prophetæ priores.

2. Pariter orabo ſpecialiter & bona opera offeram pro Prælatis & Eccleſiarum Rectoribus, ut inardeſcant zelo pro Eccleſia Dei & animarum ſalute, ut veluti ſpeculatores poſiti ſpeculentur ſeriò in illis verbis Sancti Gregorii Papæ : *Nos convenimur, nos constringimur, nos rei eſſe oſtendimur, qui ſacerdotes vocamur, qui ſuper ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus; quia tot occidimus, quod ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus.*

Homil. 11. in Ezechiel.

3. Diligentem navabo operam, ut fiam aptus ad procurandam animarum ſalutem; *Nihil enim poteſt nos adeò imitatores Chriſti facere, ut proximorum cura.*

S. Joann. Chryſoſt. Homil. 25. in 1. ad Corinth.

4. Nulli labori parcam pro Eccleſia & pro lucro animarum, memor illius, quod quondam Henrico Suſoni deſuper dictum fuit: *Si tantum unus homo inde converteretur, lubenter ad ſcribendum te accingere deberes,*

In libello de 9. rupibus c. 1.

beres, licet propterea amaram ſubire mortem deberes.

5. Cum Sancta Thereſia optabo frequentiùs pro quâlibet ſalvandâ animâ mille vitas dare, ac mortes ſubire. Vel dicam ex intimo pectore cum Ludovico de Ponte: *Si ad peccatorum converſionem neceſſarium ſit, me in perpetuum ardere in flammis inferni ſine peccato, me offero, Deus, ad has flammas.*

Part. 2. vitæ. cap. 1. apud Michael. à S. Cathar. vol. 3. Tract. 11. Erud. 1.

EXAMEN PARTICULARE
De
Charitate Dei & proximi.

1. UTrum Deum ſæpiùs ames ex toto corde, id eſt, ſecundùm omnes animi affectus, unicè quieſcendo, & delectando in Deo ſummo bono, ex abundantia amoris dicendo: *Deus meus! amor meus! & omnia!*

2. Utrum ſæpius elicueris actus gaudii & complacentiæ, quòd Dominus Deus ſit tantus ac talis?

3. Utrum crebrius optaveris, Deo adhuc plura attribuere, ſi aliquo indigere poſſet, & tu illud ipſi tribuere valeres, dicendo verbi gratiâ: Domine Deus, ſi ego totum tuum

esse Divinum haberem, hoc idem tibi iterum donarem, solum cor tuum Divinum mihi tecum commune reservans, ut per omnem æternitatem infinito amore te amare valerem?

4. Utrum tibi Deus tam in se, quàm in suis dispositionibus semper super omnia placuerit?

5. Utrum omnia tua opera tam interna, quâm externa ex puro amore Dei peregeris?

6. Utrum frequentiùs elicias animi dolores, quod optimus Deus tum â te, tum ab aliis creaturis toties offendatur?

7. Utrum frequenter elicias ardentissima desideria, ut Deus ab omnibus creaturis purissimo ac intensissimo omnique possibili amore adametur?

8. Utrum ex puro amore pariter dilexeris omnes tuos confratres, aliosque homines, gaudendo gaudio spirituali de illorum bono, & dolendo de illorum malo, tanquam de proprio?

9. An præfatos omnes dilexeris, studendo, ne ullum ipsorum unquam offenderes, sive interne temerario judicio, aut suspicione, aut alia offendente cogitatione, sive externè aut verbo mordaci, aspero, irrisorio, aut alio injurioso?

10. Utrum nemini nocueris, aut nocere intenderis, sive in re, sive in fama, sive alio modo?

11. Utrum

11. Utrum ſtudueris à tuis proximis omne damnum tam famæ, quàm rei omni poſſibili modo avertere?

12. Utrum offenſus â tuis proximis, amore Dei libenter ignoſcas, & malè facientibus bona retribuas?

LECTIO SPIRITUALIS
Tempore Pomeridiano.
ARGUMENTUM.

ECce! quomodo amabat eum? Joannis 11. v. 35. Ut è veſtigio in hoc diſcurſu ad principium redeam, ecce voci clamanti in deſerto per iſtud tuæ ſacræ ſolitudinis octiduum auſcultas, ergo vel ſaltem hodie auſculta attentius, auſculta pronius. Hodie enim altius clamare præoptat, hodie cum Maria Magdalena de Pazzis intonat: *O amor! ô amor! ô amor! nunquam, nunquam ceſſabo te vocare amorem, ſpem noſtram & omnia. O Domine da mihi tam fortem vocem, ut cùm te amorem voco, vox mea ab ortu ad occidentem, & in omnibus finibus orbis usque ad inferos audiatur, ut omnes te ceu verum amorem agnoſcant, ament & gratias tibi agant:* De re magna, de re mirabili hodie diſſeritur, quid enim mirabilius? quid memoratu dignius Divino amore, in

Apud Joannem Schönleben. Conſid. 2. in die Paraſceves.

nos mortales, in te ac in me tam ſuperabundanter effuſo? Et

1. Quidem amorem maximè nobilitat magnitudo & excellentia amantis; ſiquidem omnium prudentum mentè longè majus optabiliusque eſt amari à Rege potente, quàm à vili mendico: & quis eſt noſter amatòr? Deus eſt, immenſum pelagus eſt incomprehenſibilis majeſtatis, infinitæ delectabilitatis, omnium perfectionum ac divitiarum ſine numero & pondere, ſine termino & menſura pelagus, quod nulla navicula creati intellectûs enavigare poteſt. Continens eſt, in quo continentur omnia deſiderabilia tanquam in Principio ſine Principio, tanquam in fine ſine fine. *Si cœlum terraque libris replerentur, vaſtiſſimumque pelagus omne atramentum foret, & omnes creaturæ Scriptores, citiùs mare totum ſcriptoresque cuncti deficerent, quàm vel minimam bonitatis aut cujusvis alterius virtutis illius abſolverent partem. Imò ſi cunctorum corda mortalium ſimul unita, hanc ipſam minimam bonitatis ſuæ partem, quantùm quidem in hac liceret vita, feliciter deguſtarent, mox omnia præ amore ſcinderentur & gaudio, viribusque deficerent, niſi Sancti Spiritûs temperante gratiâ, deſuper corroborarentur.* Ecce tantus ac talis eſt amator noſter! quisquis prudentum amari deſiderat

Joannes Thaulerus Tract. de cœcitatib. cap. 3.

rat

rat, amari â potente, â ſapiente, â divite, â juſto, à ſpecioſo, â delicioſo, ab amabili, â deſiderabili, â fideli, â ſatisfaciente, ſeu ſatiante; nam amari ab infirmo eſt exigui roboris, â ſtulto eſt exigui honoris, ab inope eſt exiguæ utilitatis, ab injuſto eſt exiguæ laudis, â turbulento vel inquieto eſt exiguæ conſolationis, â deformi eſt exiguæ gratioſitatis, â non delicioſo eſt exiguæ voluptatis, â non amabili eſt exiguæ delectationis, â non deſiderabili eſt exigui guſtûs, ab infideli eſt exiguæ æſtimationis, â non ſatiante eſt exiguæ quietationis. Sed en tibi! amator noſter eſt ipſe ſolus omnipotentiſſimus, ipſe ſolus ſapientiſſimus, ſolus ditiſſimus, ſolus juſtiſſimus, ſolus ſanctiſſimus, ſolus placidiſſimus, ſolus ſpecioſiſſimus, ſolus delicioſiſſimus, ſolus amabiliſſimus, ſolus deſideratiſſimus, ſolus fideliſſimus, ſolus ſatiativus. Ejus velle eſt poſſe, ejus poſſidere eſt nihil deeſſe, ejus ſapere eſt omnia cum guſtu comprehendere, ejus juſtitia eſt incomprehenſibilis, ejus placiditas imperturbabilis, ejus pulchritudo ineffabilis, ejus delicioſitas indefinibilis, ejus amabilitas inexplicabilis, ejus deſiderabilitas interminabilis, ejus fidelitas ſine fine, ejus ſatietas ſine termino, ejus majeſtas ſine menſura, omnis ejus perfectio ſine numero. Sic de Deo univerſa Eccleſia tenet, ſic ſana ratio ſuadet,

ſic ſcriptura dicit, & nemo niſi ſtultus contradicit: *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus.* Nec prudentiùs ſentit, qui aliquid boni vel perfectionis ſimpliciter talis Deo deeſſe credit; ſi enim aliquâ perfectio in quocunque gradu, vel aliquod bonum eſſet excogitabile, quo Deus careret, tunc nec foret quietus, nec ultimato beatus; quia quidquid boni, & quidquid perfecti eſt excogitabile, illud etiam eſt deſiderabile, ergo ſi ipſe Deus poſſet aliquod bonum in aliquo gradu excogitare, quod in ſe non haberet, tunc poſſet etiam illud deſiderare, & conſequenter nec foret quietus, nec beatus, quoniam ubi eſt inquietudo, ibi non eſt beatitudo, ubi eſt deſiderium aliquod bonum vel aliquem gradum boni habendi, ibi non eſt terminus, neque principium omnis boni, & conſequenter neque eſſet Deus. Ecce tantus eſt amator noſter, ut ne quidem prudens cogitatio quid inveniat, quod ultra perfectionis aut boni ipſi attribuat.

Pſal. 13. v. 1.

2. Amor multum admirabilis redditur, ſi multum diſpar amatur; nam ſi Rex ſuum filium, aut fidelem aulicum amore proſequitur, nemo adeò admiratur: ſed ſi rex, de cujus ſapientia dubitari nequit, amore inardeſcit in vilem mendicum, in hominem deformem, ulceroſum, in infidelem, inconſtantem, vagabundum, rebellem, perfidum,

in ſuum inimicum infenſiſſimum, talis amor
jure merito ab omnibus admirabilis reputa-
tur. Et hem tibi! amator noſter, Deus
ſupremæ majeſtatis amat hominem morta-
lem! quid? Deus amat hominem morta-
lem? Nonne David plenus admiratione ex-
clamat ad Deum? *Quid eſt homo, quod me-* Pſ. 8. v. 5.
mor es ejus? Nam planè jam quid ſtupen-
dum videtur, quòd tanta majeſtas viliſſimi
hominis tantum recordari dignetur, &
quid dicam amare? Nonnè *homo putredo,* Job. 25. v. 6
& filius hominis vermis? Quis rex deliciis
affluens, tantum memorià, ne dicam amo-
re dignam reputat putredinem? Et tamen
Deus amat hominem. Amabo! quid
Deus in te amabile reperit, ut te amaret?
forſitan ais, pretioſam meam animam,
mea bona opera, & ſimilia? aſt iſta ſunt
omnia affectus Divinis amoris: Hæc tibi
omnia dedit, quia te amavit, *quid autem ha-* 1. Corinth.
bes, quod non accepiſti? Antequam enim te 4. v. 7.
Deus amavit habuiſti minus de prudentia
vel de intellectu, quàm aſinus cras in lucem
edendus, minus pulchritudinis aut amabili-
tatis quàm urſus cras naſciturus; nam niſi
Deus amator tuus te producere voluiſſet,
manſiſſes perpetuò nihil, quovis pulvere mi-
nus, quovis atomo informius. Prævidit
præterea Deus, te futurum inconſtantem, in-
gratum, vagabundum, infidelem, rebel-

 lem,

lem, peccatorem ulcerosum, perfidum, inimicum pessimum, & tamen te creare voluit, nullâ necessitate coactus, sed solo amore impulsus. Domine Dominus noster quàm admirabilis est amor tuus in hominem mortalem!

3. Tertio amorem istum magnopere nobilitant tot tantaque munera data; omnium quippe prudentum sensu multa magnaque dona magnum amorem indicant. Jam, quis numerabit donâ â Deo data hominibus? quis imprimis dinumerabit dona naturæ?

Genes. 15. v. 5. *Numera stellas*, imò verò universas creaturas, omnes enim creaturæ sunt datæ & creatæ in obsequium hominis:

Psal. 8. v. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Naturæ talenta, dotes animæ, membra corporis, sani sensus, capilli capitis, cibus, qui editur, potus, qui bibitur, aer, qui trahitur, terra, quæ teritur, cœlum, quod aspicitur, cum sole, suo lucidissimo oculo, & universis stellarum facibus, omnia sunt dona Divini amoris, data in obsequium homini. Vah quantum famulitium! si oculos levamus ad dona supernaturalia, en tibi!

Joan. 3. v. 6. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Filium suum unigenitum, sibi coæqualem, sibi consubstan-

ſtantialem, in quo ſibi ſemper benè complacuit, quo charius non habuit, quo majus dare non potuit. Et *quomodo non etiam* Rom. 8.
cum illo omnia nobis donavit? per ipſum v. 32.
cum ipſo & in ipſo *dedit dona hominibus &* Epheſ. 4.
pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc v. 8.
efficiamini Divinæ conſortes naturæ. Donavit 2. Petr. 1.
v. 3.
homini gratias & virtutes ſupernaturales, dedit dona Spiritus Sancti, inſtituit Sacramenta, ſuppeditat abunde univerſa ſupernaturalia, & ſalutis media. O admirabilem Dei amorem in terræ vermiculum, in hominem mortalem! ſciſcitari hîc forſan placet, utrum Deus non magis amaſſet hominem, ſi eundem præſervâſſet â lapſu peccati? ſi eundem ab omnibus præſervaſſet miſeriis, â mortis ſententia, & pereundi timore? ſi nos non homines, ſed puros feciſſet Spiritus Seraphinis permixtos? Reſpondetur, ſimpliciter Angelum quidem eſſe homine quid perfectius, ſimpliciter eſſe quidem quid melius, â peccatis & ab omni miſeria præſervari, quàm ab eiſdem liberari, ratio hujus datur; quia illud ſimpliciter eſt cenſendum melius, quod â quolibet prudentum magis optandum foret, aſt utique quivis prudens potiùs deberet optare innocentiam cum Maria Virgine ſemper ſervatam, quàm poſt lapſum in Adamo, per Chriſtum iterum reparatam:

quilibet deberet magis optare, ut cum Seraphinis ſuum creatorem puriſſimo poſſet laudare amore, quàm quòd inter tot peccatorum pericula hîc in mundo cum timore ſuam debeat operari ſalutem. Nihilominus ſecundùm quid & ſub aliqua ratione majorem Deus impendit amorem homini quàm Angelo, ſub aliquâ ratione Deus homini majorem exhibuit amorem, lapſum permittendo, quàm exhibuiſſet impediendo, majorem oſtendit amorem, in noſtris miſeriis nobis dexteram ſuam porrigendo, quàm oſtendiſſet easdem à nobis penitùs auferendo, quoniam quò perſona amata eſt miſerior, eò ſuccurrrens amor amantis eſt major, quò perſona amata eſt vilior & abjectior, eò mirabilior ac pretioſior æſtimatur amor prudentis amatoris. Et nunquam Deus permiſiſſet mortalium lapſus & miſerias, niſi intendiſſet, inde occaſionem ſumere, ſuum magnificandi amorem; hinc ipſa permiſſio lapſûs, ipſæ noſtræ miſeriæ, prout culpâ carent, ſunt effectus Divini amoris; hinc etiam homini Deus ſuos Angelos ordinavit cuſtodes, ut oſtenderet, ſe erga homines ſub aliquâ ratione majori ferri amore, quâm erga ipſos cœleſtes Spiritus. Ecce in tantùm Deus dilexit hominem; ut tantos principes ad ipſius ordinaret cuſtodiam.

4. Amor

4. Amor iste Divinus erga homines in immensum magnificatur per ea, quæ Deus in assumpta natura humana pro nobis fecit, ac pertulit : vix enim est excellentius veri amoris signum, quàm libenter pro amato onerari doloribus, ac fatigari laboribus. Et quis vidit amori Divino quid simile? cùm enim erga hominem amorem suum patiendo non posset ostendere in natura Divina, sibi copulavit humanam, & quid passus est fons amoris in natura humana? ah; adeste lacrymæ, fluite rivuli, si Sanctus Gregorius Magnus de Mariæ Magdalenæ pœnitentia differens scribere non dubitavit, *flere magis libet, quam aliquid dicere:* quantò magis asserere fas erit : *cogitanti mihi de passione Domini nostri Jesu Christi flere magis lubet, quâm aliquid scribere.* Nam *quis tanquam regnans in cœlo sursum, aut peregrinans in terra deorsum audiens, aut mente pertractans, quomodo factus est opprobrium hominum ipse Dominus angelorum, poterit lacrymas continere?* Quilibet vel infimæ sortis homo ægrè fert infamiæ notam, mente volvens illum versiculum : Omnia si perdas, famam servare memento. Et hem! non homo vulgaris, non Princeps non Rex terrenus, sed ipse Rex sempiternæ gloriæ, & Dominus adorandæ majestatis, præ nimio amore erga

Homil. 33. in Evangelia.

S. Bernardus Tract. de Lament. B. Mariæ.

erga nos mortales suæ famæ ac gloriæ quasi
oblitus, factus est in derisum & in oppro-
Psal. 21. brium omni populo. *Omnes videntes me,*
v. 8. *deriserunt me* (ait ipse ex ore prophetæ)
Thren. 3. *locuti sunt labiis, & moverunt caput. Fa-*
v. 14. *ctus sum in derisum omni populo meo, canti-*
Jerem. 20. *cum eorum tota die. Factus sum in derisum*
v. 7. Psal. 34. *totâ die, omnes subsannant me: subsanna-*
v. 16. *verunt me subsannatione, frenduerunt su-*
Psal. 118. *per me dentibus suis. Factus sum opprobrium*
v. 25. *illis, viderunt me, & moverunt capita sua.*
Venditus est ut jumentum, & quasi equus
Matth. 26. vel mulus triginta argenteis, ô quantum
v. 15. opprobrium! quin imò ne quidem in pre-
tium venit, sed nullo facto pretii respectu,
Matth. 26. â venditore absolutè dictum est; *quid vul-*
v. 14. *tis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* haud
secus ac si nihil esset vilius, quam Dei Filius.
Captus est â militibus & lictoribus veluti
Matth. 26. latro, *tanquam ovis ac occisionem ductus est:*
v. 55. Act. 8. Et circumdederunt eum inimici sicut *canes*
v. 32. *ad lacerandum*, raptatus ac pedibus con-
Jerem. 15. culcatus est sicut vermis; quemadmodum
v. 3. ipse Rex maximus Regum testatur ex ore
Psal. 55. regii prophetæ dicentis: *conculcaverunt*
v. 3. Psal. 21. *me inimici mei totâ die. Ego autem sum*
v. 7. *vermis, & non homo, opprobrium hominum*
Joann. 18. *& abjectio plebis. Accusatus est ut malefa-*
v. 30. *ctor.* Judicatus est veluti blaphemus. Ve-
Matth. 26. ste albâ indutus est, & derisus veluti fa-
v. 65.

tuus

tuus aut stultus; *sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo.* Cùm esset ipsa sapientia patris illusus & saturatus opprobriis â scurris & hominibus infimæ fœcis; siquidem *expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt. Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza, quis te percussit, & alia multa blasphemantes, dicebant in eum & cœperunt salutare eum; Ave Rex Judæorum & percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum.* Ecce sic illusus fuit ille, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Barrabæ seditioso homicidæ fuit postpositus, *& cum iniquis deputatus est.* Suspensus in ignominioso crucis patibulo inter duos latrones, inspectantibus tot millionibus mortalium; *prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua, & dicentes: vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas; salva temetipsum, si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus dicebant: alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Paucis, adeò opprobriis & contumeliis obrutus est Dominus, ut *flevisset, si possibile esset, Deus, videns Filium suum*

Lucæ 23. v. 11.

Matth. 26. v. 67.

Lucæ 22. v. 64. & 65.

Marci 15. v. 18. & 19.

Coloss. 2. v. 3.

Luc. 23. v. 18.

Lucæ 22. v. 37.

Lucæ 23. v. 33.

Matth. 27. v. 39. 40. 41. & 42.

Jacobus de Vorag. Serm. 9. in quad.

tam

tam ignominiosè tractari. Nunquid hoc est ponere famam suam, atque exspoliari decore gloriæ suæ pro salute & amore amati. *Jam verò ô vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Attendamus etiam dolores nostri amatoris: quin immò attendamus dolores nostros; nam *dolores nostros ipse portavit.* Hinc tantos dolores sustinuit, quantos nos omnes per nostra peccata promeriti sumus. *Tantum* (inquit Sanctus Bernardinus Senensis) *in mente doluit pro æternaliter cruciandis, quanta erant tormenta, quibus erant æternaliter cruciandi, & quantum erat odium inter Deum & eos æternaliter generatum.* In intellectu doluit; quia omnium mortalium peccata, etiam mea & tua quoad suas species, circumstantias, & malitias clarissimè inspexit, â quibus tantùm abhorruit, quantùm offensam his Patris majestatem dilexit. O quantus horror! ô quantus dolor! In voluntate summos perpessus est dolores, quia vehementissimè sitivit, ardentissimoque desideravit desiderio, omnes homines ad æternam salutem perducere, æmulatus contra cacodæmonem pro tot pereuntibus animabus, tam pretiosis margaritis, & hæc erat ipsi *dura sicut infernus æmulatio.* Sitivit Dominus in cruce, & quid sitivit? nempe

Thren. 1. v. 12.
Isaiæ 53. v. 4.
Tom. 2. Serm. 56. a. 1. c. 2.
Cant. 8. v. 8.

pe vinum de vinea ſua, pro qua torcular calcavit ſolus, quemadmodum apud Iſaiam conqueritur: *Exſpectavi, ut faceret uvas & fecit labruſcas.* Sitivit ſalutem peccatorum, guſtato tamen hauſtu, noluit bibere, quoniam *fel draconum vinum eorum & venenum aſpidum inſanabile;* quia noluerunt ſanari â vulneribus peccatorum ſuorum. In memoria doluit, memor teſtamenti ſui ſancti, & tot beneficiorum collatorum mortalibus, pro quibus tamen tam exigua gratitudo, & â pluribus non niſi ſumma ingratitudo rependitur, cujus doloris magnitudinem indicare voluit ore prophetæ dicentis: *memoriâ memor ero, & tabeſcet in me anima mea.* Hunc ipſum Domini dolorem nobis ad memoriam revocare voluit Sanctus Bernardus, dum Chriſtum ita loquentem ac conquerentem induxit: *ô homo vide, qua pro te patior, non eſt dolor ſicut, quo crucior: ad te clamo, qui pro te morior, vide pœnas, quibus afficior, vide clavos, quibus confodior, & cum ſit tantus dolor exterior, intus tamen planctus eſt gravior, cùm te tam ingratum experior.* Paſſus eſt amator noſter in omnibus corporis ſenſibus. *Secundùm tactum quidem flagellatus, & clavis confixus, ſecundùm guſtum felle & aceto potatus, ſecundùm olfactum, in loco fœtido, qui dicitur calvariæ, appenſus patibulo;*

Iſaiæ 5. v. 4.

Deut. 32. v. 33.

Thren. 3. v. 20.

De Paſſione Domini.

S. Thomas 3. P. q. 46. a. 6.

lo; secundùm auditum lacessitus vocibus blasphemantium & irridentium; secundùm visum, videns Matrem & discipulum, quem diligebat, flentes. Summos pertulit dolores amator noster in singulis sui sacratissimi corporis membris. Unde te rogo ex Sancto Bernardo: *contemplare benè Dominum salvatorem tuum, contemplare benè in capite spinas, in auribus opprobria, in oculis fletum, in ore fel & acetum, in facie alapas & sputa, in collo colaphos, in naribus fœtorem, in manibus & pedibus clavos, flagella in dorso, lanceam in pectore.* Dire flagellatus est usque ad costas, *ita, ut costæ ejus viderentur, & quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur.* Spinis tam crudeliter coronatus, ut septuaginta spinarum aculei ipsum sanctissimum Christi cranium penetrârint, ut *sanguis ille permixtus cerebro ubertim per faciem, per collum, perque capillos in terram deflueret.* Paucis: *vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum, despectum, & novissimum virorum, virum dolorum.* A propriis discipulis derelictum omni solatio destitutum. *Circumspexi* (ait) *& non erat auxiliator, quæsivi, & fuit qui adjuvaret* ne quidem vel unus ex quinque millibus virorum, quos quinque panibus satiavit in deserto, ne quidem unus

In Planctu.

In Revelat. S. Brigittæ libr. 1. cap. 10.

S. August. apud Ignatium Trauner in gallo cantante con. 2. de Pass. Dom.

Isaiæ 53. v. 2. & 3.

Isaiæ 63. v.

ex tot aliis, quos à variis ſanavit languoribus. Sed quare amator noſter tot tantisque voluit ſubdi cruciatibus? nempe *propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos.* Unica ſanguinis gutta potuiſſet ſufficere *ad totius mundi Redemptionem*, ait Sanctus Bonaventura. Aſt (uti benè notat Petrus Chryſol gus) *quod ſufficiebat Redemptioni, non ſatis erat amori.*

Epheſ. 2. v. 4. Opus de perfect. cap. Homil. 122.

5. Amor divinus erga nos mortales ſingulariter celebrandus eſt propter excellentiſſimam communicationem, & arctiſſimam unionem, quâ nobis uniri expoſcit, tunc quippe amor verus ac verè flagrans cenſetur, quando amans cum amato quaſi unus & quaſi alter ipſe efficitur. *Jam qui autem adhæret Domino unus Spiritus eſt cum eo.* Omnia ſua, imò ſeipſum multipliciter communicat nobis noſter amator. Incarnatus ſe dedit in ſocium, crucifixus ſe donavit in pretium, ſub Sacramento altaris ſe impertit in edulium, per æternam promiſſam gloriam ſe offert in præmium, & quidem in præmium ſempiternum, unione perpetuâ, per omnem æternitatem neque finiendâ, neque interrumpendâ, unione, per quam amati cum ſuo amatore ſupremo tanquam domeſtici Dei, eodem regnant in regno, eâdem reſident in aula, eâdem ſuo modo veſtiuntur ſtolâ gloriæ, eâdem

1. Corinth. 6. v. 17.

epulantur mensâ, eâdem quodammodo potiuntur felicitate. *Vado parare vobis locum* (ait Dominus) *& si abiero & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Nam *justi epulentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.* Jam quæ posset esse gloriosior communicatio? quæ arctior inveniri unio? quæ major exoptari felicitas? quis optabilior, aut altior excogitari amor? *O duri & indurati, & obdurati filii Adam, quos non emollit tanta flamma, tanta benignitas, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator. Væ mihi, si non dilexero.* Quid enim respondebo in tremendo judicio de tanto amoris excessu, cui tam sero, tam tepido, tamque exiguo respondi amore? Væ mihi! qui tantum amorem tanti amatoris toties prætermisi absque reciproco amore, toties neglexi, toties contempsi. Vix siquidem quidquam ab amatore Sancto (& quidem justè) ægriùs fertur, quàm ubi amor tantus exiguo, aut omnino nullo reciproco amore respicitur, vel insuper contemnitur, & quasi nihili ducitur. Verùm pro tanto amore *quid reddam tibi Domine Jesu? nam etsi millies, millies animam meam rependere possem, quid sum ad Deum meum?*

Joann. 14. v. 3. Lucæ 22. v. 30.

Psal. 67. v. 4.

P. Bernardus Serm. 15. in cant.

S. Ambrosius in Lucam.

Joannes Taulerus Tract. de 10. cæcit. cap. 7.

reddam

reddam tamen quod possum, totam animam, totamque dilectionem meam ex toto corde, & ex tota mente, & virtute mea.

MEDITATIO III.

De Amore Dei super omnia.

Punctum 1. De motivis ad amandum Deum. 2. De removendis impedimentis amoris Divini. 3. De actibus & exercitio Divini amoris, seu de modo diligendi Deum.

Præludium.

POne tibi ante mentis oculos cœleste gymnasium, beatis Spiritibus refertum, in quo solemni triumpho sine intermissione frequentatur Schola Divini amoris, præsidente tanquam magistrà matre pulchræ dilectionis, hujus proinde jam imposterum discipulum age, amoris scholam nunquam non frequenta, indefessus æmulator existens Seraphinorum ac omnium beatorum amantium Deum.

Punctum I.

Considera, & mirare, posse inveniri hominem, qui Deum non amat.

1. Enim ipsum objectum tam amabile excedens omnem excogitabilem bonitatem,

tam desiderabile exsuperans omne desiderium, tam delectabile transcendens omnem delectabilitatem, tam speciosum, pulchrius omni pulchritudine, tam dulce, dulcius omni dulcedine, tam perfectum, majus omni perfectione, adeò suæ amabilitatis plenitudine rationalem creaturam in sui amorem trahit, ut videatur majus portentum, hominem non ardere amore Dei super omnia, quàm foret, si stipula in medio flammarum non accenderetur.

2. Ad amandum Deum nos urget ipsa felicitas Divini amoris; nam Deum perfectè amare, est gemmam æternæ felicitatis participare; sicut enim charitas in via est vinculum perfectionis, ita & in patria est vinculum omnis felicitatis, ac plenæ satietatis; adeò quidem, ut beati mallent carere clara Dei visione, quàm Dei amore, atque eligerent potiùs ex amore Dei æternos inferni cruciatus sustinere, quàm absque amore Dei cœlesti gloria gaudere. Hæc tecum expende, tuosque actus apprimè examina, utrum ejusdem cum beatis sis Spiritûs? Spiritus est amor Dei perfectus; hinc ille Deum verè in spiritu adorat, qui eum adorat ac colit ex puro amore. Ipse *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* O quanta felicitas! unum

1. Joann. 4. v. 16.

unum effici cum ſuprema felicitate, & omnis felicitatis immenſo oceano!

3. Amori Dei ſuper omnia ſtudendum eſt, quia dat omnibus actibus noſtris formam & vitam. Sola charitas operibus noſtris tribuit valorem & meritum, ſine hac fides etiam montes transferens, diſtributio omnium ſuarum facultatum in pauperes, traditio corporis, ita ut ardeat, & his ſimilia excellentiſſima opera ſunt veluti æs ſonans, aut cymbalum tinniens, nullius meriti, nullius valoris in conſpectu Dei, per dilectionem autem etiam opera in ſe viliſſima fiunt pretioſiſſima, & accepta coram Deo ſuper aurum & topazion. 1. Corinth. 13. v. 1.

4. Ad amandum Deum nos ſtringit ipſum mandatum Domini: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Matth. 22. v. 37.

5. Ipſa conditio hominis amorem Dei ab homine exigit, ideò namque homo creatus eſt, ut diligat ſuum factorem, ideò in ſimilitudinem Dei factus eſt, ut diligat illum, cujus vivam portat imaginem, ideò ad fidem, ideò præterea ad ſtatum religioſum vocatus eſt, ideò Religioſus â laboribus & negotiis ſæcularibus eximitur, ut omne tempus ſibi datum Divino impendat amori. Propterea *ecce tempus tuum, tempus amantium.* Ezech. 16. v. 8.
Vide, ne tempus unquam aliter impendas,

 niſi

nisi amando Deum. Si Deum multùm, assiduèque dilexeris, multùm & nunquam
Rom. 8. v. 28. non beatus eris: *quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Si autem non dilexeris Deum, reprobatus, excommuni-
1. Corinth. 16. v. 22. catus es, dicente scriptura: *Siquis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.*

Punctum II.

Considera, amorem Dei super omnia variè impediri, præcipuè impeditur per omnem inordinatum, quantumvis minimum affectum erga quamcunque creaturam: Nam quod sunt pedes in ave, hoc idem quasi sunt affectus in hominis corde. Quamdiu avis vel unico pede tantùm modicè virgæ viscatæ inhæret, avolare non valet, sed tenetur captiva, & quamdiu homo creaturæ inordinato adhæret affectu, tamdiu frustrâ connititur ad puri amoris
Isaiæ 40. v. 31. volatum. Verè amantes *assument pennas sicut aquilæ.* Sed quorsum volabunt? nempe extra se in suum amatum, in quo magis sunt, quàm ubi animant: & hinc est,
Cant. 6. v. 4. quòd sponsus ad sponsam asserat: *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Ac si dixisset; oculi tui me quasi rapuerunt extra me, & transtulerunt in te. Quid agis ô homo! ô ferreum pectus! Ecce

ce ſandalia Judith rapuerunt Holofernis Judith. 16.
oculos! & Deus tantæ amabilitatis magnes v. 11.
te non rapiat in amorem ſui ? O portentum! aliter perſæpe impedimur ab amore Dei vero ac efficaci ; quia non apprehendimus Deum, quemadmodum deberemus. Audis forſitan, Deum eſſe ſummum bonum, ſummum pulchrum, ſummum amabile? nec tamen moveris, quoniam potiùs imaginationem, quàm fidem ſequeris, quæ prior ſimilia non capit, accipe ergo adhuc aliud, quod ſervit magis imaginationi, licèt alioquin ſit ſupra omnem imaginationem. Ecce quidquid in humano corpore pulchritudinis, quidquid amabilitatis, quidquid delectabilitatis, quidquid vitæ invenitur, hoc totum habet â Spiritu, absque Spiritu humanum corpus eſt putridum cadaver ſine amabilitate, ſine delectatione, ſine vita, ſine forma. Jam quod eſt cadaver ſine Spiritu, hoc idem, & adhuc minus eſt omne excogitabile ſine Deo, quidquid eſt amabilitatis, id omne eſt â Deo & in Deo, quidquid amabilitatis excogitari poteſt, id omne reperitur in Deo. Sed in quo gradu? (ais) Ecce ipſæ noſtræ potentiæ materiales quaſi in infinitum intendi ac perfici poſſunt, ipſe oculus humanus per vires naturæ, tum etiam adjuvante quandoque arte adeò in ſua virtute vi-

ſiva perfici poteſt, ut remotiſſima, præſertim lucida videat, & quid de Deo ſentiendum? non dico, in Deo omnes rationes amabilitatis, omnes rationes delectabilitatis, omnes rationes perfectionis, & deſiderabilitatis poſſe infinitum intendi aut perfici, ſed hoc Catholicâ fide tenetur, Deum actu infinitè tranſcendere omnem intenſionem amabilitatis, perfectionis, ac delectabilitatis, quoad omnem rationem, ſub omni ratione, & ſuper omnem rationem omnis perfectionis & amabilitatis: Nam quidquid amabilitatis ac perfectionis non implicat, vel eſt in actu, vel eſt in potentia, atqui Deus ad nihil in ſe recipiendum poteſt eſſe in potentia, erga eſſentialiter omnem amabilitatem poſſidet actu, eſtque actu ipſe Spiritus, & non ſolùm quinta (uti loqui ſolemus, ſed prima ac ultima omniſque eſſentia omnis amabilitatis. Hinc inſipienter philoſophatus eſt Arius dicendo, genitorem debere genito eſſe priorem ac majorem; nam hæc philoſophia ſolum locum habet in illis principiis, quæ ſunt in potentia ad aliquid producendum, non autem in Divinis, ubi Pater nunquam eſt in potentia ad generandum, ſed ſemper in actu, & ſemper actu generat.

S. Auguſt. lib. 10. confeſs. c. 27.

Heu *ſerò te amavi pulchritudo tam antiqua & tam nova, ſerò te amavi.*

Pun-

Punctum III.

Considera, actum charitatis esse actum voluntatis, quo amamus Deum unicè propter Deum, seu propter infinitam ipsius amabilitatem, & alia solum in ordine ad ipsum magis diligendum. Unde facilè capere poteris, quid sit, Deum ex toto corde, ex tota mente, & ex totis viribus diligere: Ille nempe Deum ex toto corde diligit, qui omnes cordis affectus ad diligendum Deum ordinat, ita, ut in corde suo erga rem nullam afficiatur, nisi in ordine ad diligendum Deum. Ille in tota mente Deum diligit, qui mentem suam nulla re occupat, nisi in quantum servit ad diligendum Deum, ille Deum ex tota anima diligit, qui totam animam & omnes potentias animæ solum impendit in ordine ad diligendum Deum. Ille Deum ex totis viribus amat, qui in omni virium suarum applicatione omnia ordinat ad diligendum Deum. In illo est charitas ordinata, in quo omnia ordinantur ac tendunt ad diligendum Deum tanquam ad finem. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Et qui omnia purè ad diligendum Deum ordinat, hic legem implevit. *Utinam possint omnes de una Charitate cogitare. Ipsa est enim, quæ & vincit omnia, & sine quâ*

1. Timoth. 1. v. 5.

S. August. lib. 10. de civitate c. 4.

quâ nihil valent omnia, & ubicunque fuerit trahit ad se omnia. Hæc est verus Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita servitus, quid est enim pietas nisi Dei cultus? & unde colitur, nisi charitate? Ille enim colitur, qui diligitur, & inde colitur, unde diligitur. Deum diligere, est erga Deum benè affici, gaudere de divitiis gloriæ ejus, optare, ut ab omnibus ametur, dolere, quòd ab ullo offendatur. Quapropter *cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dilectionem ampliùs, quam ad Dei.*

S. Chrysost. homil. 42. in Matth.

BONA PROPOSITA
Ex
Præsenti Meditatione.

1. SUper hoc de die dolebo sæpius, & faciam planctum magnum, quòd hucusque tam raro Deum verè dilexerim.

2. Frequenter per diem eliciam similes actus amoris: *Amo te Deus meus, amo te, & magis atque magis amare volo. Da mihi Domine Deus meus speciose præ filiis hominum, ut desiderem te, ut amem te, quantum volo, & quantum debeo. Immensus es, & sine mensura debes amari.*

S. August. in manual. cap. 10.

3. Cum beato Thaulero frequenter totam

tam vitam meam ad amandum Deum ſimilibus offeram. *Diligam te Domine virtus mea, diligam te ineffabilis exultatio mea, & vivat jam non mihi, ſed tibi tota vita mea.* Tract. de 10. cœcit. cap. 6.

4. Diligenter quotidie per examen ſcrutabor cor meum, utrum nihil moretur in eo, quod purum amorem Dei impedire, aut puriſſimis oculis amati diſplicere poſſet? & Dei mei, tanquam unici theſauri ac amoris mei ſemper memor ero. Et quidnam memorem niſi te Deus! immemor anne eſſe tui poſſem, qui memor usque mei es?

5. Amore Dei omnia deſpiciam, quæ non ſerviunt ad amandum Deum, ſive omnia ſemper diſpliceant, & ſolus ſuper omnia ſemper placeat Deus.

6. Amore Dei deſiderabo multa pati; hoc enim pertinet ad dilectionem Dei, *pro ejus amore nec mortem, nec pœnarum qualibet genera formidare.* Joannes Trithemius homil. 23.

7. Frequenter deſiderabo, *ut* Deus ab omnibus hominibus *diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine.* Marci 12. v. 33.

8. Crebro gaudebo, & exultabo propter infinitum amorem, quo Deus ſeipſum diligit, & propter omnem amorem, quo amatur â Sanctis, dicens cum jubilo cordis; *Diligite Dominum omnes Sancti ejus*, mihique impetrate, ut & ego introducar in cellam Pſal. 30. v. 24.

lam vinariam, inebriandus vino ſanctæ dilectionis.

CONSIDERATIO VESPERTINA.

De Colendo & amando amore Euchariſtico.

Ecce memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus in Sacramento Euchariſtiæ, hujus proinde Sacramenti & tantæ dignationis in hoc Sacramento ſemper memor eſto toto mentis adniſu, toto cordis affectu, toto amoris effluxu. Vix non continuò ingemina animæ tuæ: Ecce anima mea! craſtina die, vel adhuc hodie erit tibi ſalus; veniet enim ad te Deus abſconditus, deſideratus cunctis gentibus; Parata igitur eſto præparatione tanto hoſpite dignâ. Lingua non niſi ſancta loquatur, quæ toties ſancta Sanctorum contrectat. Cor ſemper meditetur juſtitiam, in quo toties ſuum ponit tabernaculum ſol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter. Tota Religioſi vita non ſit aliud, niſi continua præparatio ad dignam ſuſceptionem hujus Sacramenti: *Opus enim grande eſt; neque enim homini præparatur habitatio, ſed Domi-*

1. Paralip. 29. v. 1.

Domino Deo. *Oportet autem, ut non ſolùm te præpares ad devotionem ante communionem, ſed ut etiam te ſollicitè conſerves in ea poſt Sacramenti perceptionem*, ut caveas omnem diſſolutionem, ſitque tuum potiſſimum ſolatium, amorem amorum, amore tui, in hoc Sacramento quaſi captivum frequenter viſitare, & exhibere eidem omnia poſſibilia amicitiæ ſigna, quæ tanto amori tanti amici debentur. Nec ulla prætereat hora, qua dilectum tuum non recipias ſancto deſiderio, ac pleno amoris actu & affectu, cum toties communicare non liceat externè, & effectu. Invita illum, vix non aſſiduè cum ſponſa ſuſpirans. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum.* Sed attende, ut in eo ſemper inveniat fructus juſtitiæ, ne ſecùs veluti illa ficulnea Evangelica inducas ſuper te maledictionem pro benedictione.

Lib. de imit. Chriſti lib. 4. c. 12.

Cant. 5. v. 1

Matth. 21.

DIE OCTAVA OBSERVATIONES.

1. Dies octava ſacrorum exercitiorum, quæ ſupponitur feria ſecunda, ſpecialiter dedicabitur Sancto Joſepho & omnibus Sanctis.

2. Offerentur ſpecialiter ſingula hujus diei exercitia, tum pro felici morte ſibimetipſi impetrandâ, tum pro animabus in purgato-

gatorio, præsertim pro benefactoribus nostris.

3. Tessera specialis pro hac die erit: sic age, sic perfice istam actionem, ut digna inveniatur ad liberandam animam è purgatorio & ad promerendam tibi pretiosam mortem in conspectu Domini.

4. Aspirationes crebriores erunt: O quam gloriosum est regnum! in quo cum Christo gaudent omnes Sancti. O Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro nobis, ut illuc feliciter pervenire mereamur; ut hodie vel una anima è purgatorio illuc ascendat.

5. Mane ante meditationem ex libro de imit. Christi pro lectione spirituali serviet ex lib. 3. c. 9. quòd omnia ad Deum sicut ad finem ultimum sunt referenda. Item ex lib. 1, c. 15. de operibus ex charitate factis, & ex eodem lib. 1. cap. 16. de sufferentia defectuum aliorum.

6. Meditatio prima, de diligendo Deo per puram intentionem. Secunda de diligendo Deo per resignationem, ac per plenam nostræ voluntatis cum Divina conformitatem. Tertia de spirituali connubio, seu casta unione animæ cum Deo.

7. Lectio spiritualis matutina de fraternâ charitate fovenda. Lectio spiritualis pomeridiana de studio semper proficiendi, & nunquam deficiendi.

8. Exa-

8. Examen particulare de indifferentia.

9. Lectio vespertina ex sacra Regula cap. 63. cap. 69. & cap. 73.

10. Consideratio vespertina de gratitudine.

MEDITATIO I.

De Diligendo Deo per intentionem perfectam, singulis operibus præmittendam.

Punctum 1. De obligatione & necessitate perfectæ intentionis operibus præmittendæ. 2. De habenda cautela, ne pura intentio vitietur. 3. De injuria deploranda, quòd pura intentio non magis curetur, ac omnibus inculcetur.

Præludium:

SIste te in conspectu tui Patris Benedicti, continuò tibi ingeminantis illud sacræ Regulæ cap. 57. *ut in omnibus glorificetur Deus.*

Punctum I.

Considera, singula opera nostra esse amore Dei, & unicè propter Deum inchoanda ac perficienda. Propter ipsam obligationem:

nem: nam quælibet res fructificat Domino suo, & quisquis, invito Domino fructum ex aliena arbore surripit, furtum committit. Arbori homo in sacris paginis crebrius comparatur, fructus hujus arboris sunt opera hominis, Dominus tam arboris, quàm omnium fructuum est ipse Deus, justè & sanctè desiderans, ut omnes fructus unicè pro suo gustu, unicè ad suum beneplacitum

1. Corinth. 10. v. 31. offerantur, dicente scriptura: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Autumas forsan, hoc non esse obligationis, sed solum liberæ devotionis? verum audi angelicum Doctorem desuper ita concludentem:

1. 2. q. 102. art. 6. & 7. *Quidam dicunt, quod hoc est consilium; sed hoc non est verum. Ex præcepto enim omnia facienda sunt, cum invocatione creatoris; ea intentione ut laudetur & glorificetur Deus.*

Colosſ. 3. v. 17. Nam scriptum est: *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite.* Ast toties non operaris in nomine Domini Jesu, quoties tuam operationem non refers ad gloriam Dei; toties palmes non fructificat ut vitis, quoties in sua operatione non intendit Divinum beneplacitum, Christus quippe vitis vera semper fructificavit ad beneplacitum sui Patris. Deus tanquam ens & operans essentialiter perfectissimum, ens & operans perfectissimum

mum esse desineret, nisi semper finem perfectissimum, qui est solum Divinum beneplacitum, intenderet ac vellet, & nisi ipsi omnis displiceret imperfectio: ergo intentioni Dei contrariaris, ergo Deo displicentiam moves toties, quoties non operaris ultimato propter solum Divinum beneplacitum, *qui timent Dominum* (inquit scriptura) Eccli. 2.
inquirent, quæ beneplacita sunt ei. Hinc v. 19.
planè necdum times Deum, nisi in omnibus tuis cogitatis, dictis & factis diligenter attendas, *quæ sit voluntas Dei bona, & be-* Rom. 12.
neplacens & perfecta. Multò minùs adhuc v. 2.
ascendisti ad classem perfectè diligentium Dominum; nam diligentes Altissimum non tantum sunt inquirentes, sed insuper probantes, *quid sit beneplacitum Deo*, ita, ut Ephes. 5.
nihil præsumant, nisi priùs vel scripturâ, vel v. 10.
obedientiâ probatum habeant, quod sic sit acceptum coram Altissimo. Nondum verè amat, qui adimplere non satagit illud Divi Pauli dicentis: *Omnia vestra in charita-* 1. Cor. 16.
te fiant. Frustra laborat, qui non amat, v. 14.
nec ulla operum moneta quidquam valet ad emenda cœlestia, nisi referat charitatis insignia. Displicet, quisquis non placet, sed nemo Deo placet, nisi eidem placere intendat. Quapropter *date confessionem Do-* 1. Esdræ
mino Deo Patrum vestrorum, & facite pla- 10. v. 11.
citum ejus.

Punctum II.

Conſidera, & imitare ſponſam dicentem:
Cant. 7. v. 13. *Omnia poma, nova & vetera, dilecte mi!*
ſervavi tibi. Per poma Didacus Baeza in-
Lib. 15. c. 10. §. 10. telligit opera, & quidem per poma vetera
benè intelliguntur opera ordinaria, ſeu con-
ſueta, per poma nova verò opera extraordi-
naria, ſive ſupererogatoria. Hæc proinde
amans anima ex puro amore omnia offert
ſuo dilecto. Scilicet pomis ludit amor,
Adamus Weberus. dum Theodora pomum ſervat, imperatrix
efficitur, & amantis opus, ex charitate fa-
ctum meretur omnino regnum cœlorum.
Job. 9. v. 26. De diebus vitæ ſuæ aſſerit Job: *Pertranſie-*
runt quaſi naves poma portantes. Utinam
& omnes dies vitæ meæ eſſent tales naves
plenæ pomis bonorum operum, utinam
Apocal. 18. v. 14. omnia opera mea eſſent *poma deſiderii animæ*
tuæ, ô dulciſſime Jeſu! ad tuum guſtum,
unicè ad tuum Divinum beneplacitum: ſed
ô quoties poma foris apparent pulchra,
quæ tamen intus ſunt putrida, vel ſcatent
vermibus! Vermis in pomis, eſt proprius
amor in noſtris operibus, putredo in po-
mis, eſt quælibet imperfectio in noſtris
operibus. Pomum corrumpit ac abſumit
vermis, proprius amor ingratum reddit
opus dilecto. Hinc toto oculo ſemper lu-
ſtrandus eſt oculus intentionis noſtræ, ne
ver-

vermis amor proprius in pomis operum nostrorum seipsum quærens, amori Divino omnem gustum præripiat, ne poma nostrorum operum corrumpantur tepiditatis putredine, ne cadant in lutum vanæ complacentiæ, ne maculentur labe negligentiæ, aut per intentionem malam offerantur omnino diabolo. Ad eam intentionis puritatem eluctari conare, quam illa habebat, quæ dicere non dubitabat, *si crederem, me uno verbo solo dicto, ob alium finem, quam ob amorem Dei, etiamsi non esset ejus offensa posse evadere Seraphinum; nunquam illud dicerem.* Ex tali semper amore operari tuam vocationem, tuamque felicitatem existima, dicens cum Sancto Francisco Salesio: *O quam bonum est, non vivere nisi Deo! non operari, nisi propter Deum! non delectari, nisi in Deo!*

S. Magdalena de Pazzis apud Lanicium opusc. spir. com. 2. p. 148.

In praxi spirit. p. 4. c. 13.

Punctum III.

Ponite corda vestra super vias vestras. Seminâstis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non calefacti. Forsan tu quoque fuisti unus ex illis? toties planè in vanum laborasti, quoties bona intentione caruisti: *Nam opus quodlibet, si interna virtutis ac charitatis directione informatum non est, æternæ vitæ*

Aggæi 1. v. 5. & 6.

S. Laurent. Justin. in Proœmio de gradib. perfection.

prorsus merito caret. O deploranda res! ô quot millia operationum fiunt absque bona, ne dicam absque perfecta intentione, jam ex mera consuetudine, & naturali habitu, jam ex naturali inclinatione, jam ex sensuali pruritu, jam ex cœco impetu; & hoc, quia aliqui de recta intentione partim debitâ instructione carent, partim alii non dignè æstimant, alii verò per incuriam eandem negligunt. Væ igitur animarum pastoribus, qui suis subditis diligenti instructione puram intentionem non inculcant! tot enim Christo gemmas â suâ gloriæ corona quasi surripiunt, quot vicibus propter ipsorum incuriam bona intentio omittitur. O deflendam cœcitatem nostram! opitulante perfectâ intentione singulis quasi momentis possemus nobis accumulare meritorum divitias; sine hac verò manemus nudi & inopes, etiam inter sudores, sine mercede etiam in medio laborum. Quapropter *omnes rectam habere intentionem studeant, non solum circa vitæ suæ statum, verùm etiam circa res omnes particulares, id semper in eis syncerè spectantes, ut serviant & placeant Divinæ bonitati propter seipsam, & propter charitatem & eximia beneficia, quibus prævenit nos. Ascendite in montem, portate ligna, ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificaber*, dicit Dominus apud Aggæum cap. ult. v. 8.

S. Ignatius Lojola 3. P. const. c. 1. §. 26. Reg. 17. ømm.

v. 8. ascendendum est ad montem charitatis, ad apicem puræ intentionis; tametsi intentio inferior (uti verbi gratiâ propter retributionem) quoque sit bona. Portanda sunt ligna, comportanda bona opera, ædificanda est domus Domini, non quidem domus materialis, neque templum manu factum, sed templum spirituale, ad similitudinem tamen illius templi, de quo ait scriptura: *Nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur.* 3. Reg. 6. v. 22. Sic etiam nulla occupatio, nulla actio, nulla operatio & nihil sit in homine, quod per præmissam puram intentionem non ornetur mundissimo auro sanctissimi amoris.

BONA PROPOSITA
Ex
Præsenti Meditatione.

1. CRebrius per diem quotidie detestabor corde contrito meam incuriam, quod toties puram neglexerim intentionem præmittere.

2. Imitabor deinceps jaculatorem in campo jaculatorio, nempe, sicut ille non prius exonerat bombardam, donec oculo attigerit centrum, sic nec ego prius exordiar opus quodcunque, donec puræ inten-

tionis oculum perfectè fixerim in ſolo centro meo, in Deo meo, in amore meo. Nam *in portis*, id eſt mox in principio ſponſa obtulit ſuo dilecto poma.

3. Omnes cordis diſcutiam latebras, utrum nihil lateat propriæ æſtimationis, proprii amoris, aut commoditatis ſemper memor ſponſæ conquerentis: *In lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea, quæſivi illum, & non inveni.* Nam in lectulo propriæ commoditatis non invenitur, & fruſtra quæritur dilectus, ſed aſcendendum eſt ſuper omnes amore Divino inferiores affectus, tunc intentione ſancta invenitur dilectus, quemadmodum ſponſa affirmat dicens: *Paulululum cum pertranſiſſem eos, inveni, quem diligit anima mea.* Cant. 3. v. 4.

4. Studebo fieri ejusdem cum Sancto Franciſco Saleſio mentis: Nimirum *ſi vel pilum affectûs in me deprehenderem, qui vel à Deo non oriretur, vel ad Deum non referretur, eum quantocius evellerem.* In praxi ſpirit. p. 4. c. 13.

5. Quoties in elicienda pura intentione negligentiam aut incuriam commiſero, mihimetipſi pœnitentiam injungam.

6. Sub quolibet, præſertim diutius durante opere puram intentionem renovabo, ne ſecus intentionis oculus ſuâ deſtituatur virtute, & iterum relabatur in terram; immo ſatagam cum Sancta Gertrude ad

omnem

omnem bolum, dum comedo, ad omnem gressum, dum incedo, atque ad omnem motum puræ intentionis oculum attollere sursum.

7. Pro occasione omnibus recommendabo, omnes excitabo ad puræ intentionis studium, ut in omnibus glorificetur Deus.

8. Ad imitationem Sanctæ Gertrudis nostræ omnia opera mea uniam cum operibus, & meritis Christi.

LECTIO SPIRITUALIS

Tempore Matutino.

ARGUMENTUM.

INjuriam non facere, sed & factam patienter sufferre, hæc duo plurimum juvant ad implendum illud instrumentum bonorum operum, *Charitatem non derelinquere. Ecce quàm bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum.* S. Reg. c.4. Psal. 132. *Propriè psalmus iste* (inquit Sanctus Hieronymus) *cœnobitis & monasteriis convenit. Licet enim & de Ecclesiis intelligatur, sed ibi propositi diversitate non videtur esse tanta concordia. Quæ est enim ibi fraternitas? Utique alius ad domum ire festinat, alius ad circum, alius in Ecclesia de usuris cogitat.* Apud le Blanc. in Psal. 132. *In monasteriis autem, sicut unum propositum, ita*

ita unus & animus est. Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Verè bonum, verè jucundum. Unum Fratrem dimisimus, & ecce quantos invenimus! frater meus sæcularis (quod de me loquor, de singulis loquor) non tantùm me amat, quàm substantiam meam. Cæterum fratres spirituales, qui sua utique negligunt, alia non quærunt. Sicut & legimus in actibus Apostolorum cap. 4. Quoniam multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Et erant, inquit, illis omnia communia. Rectè erant eis omnia communia, qui unum Christum possidebant. Verùm (quemadmodum idem Sanctus Hieronymus apud Divum Dionysium Carthusianum testatur. *Nulla pro certo vita deterior, quâm simul degere corpore, & non mente. Et verè infelices sunt, quibus non una, sed diversa inest voluntas.* In hos nempe non descendit,
Pſ. 132. v. 2. unctio Spiritus Sancti *sicut unguentum in capite, quod inde descendit in barbam, barbam Aaron*, sed potiùs ad eos ascendet Diabolus,
Pſal. 77. v. 49. permittente Deo *immissiones per Angelos malos.* In his non est beneplacitum Spiri-
Pſ. 132. v. 3. tui Dei, nec illis *mandavit Dominus benedictionem & vitam usque in sæculum.* Horum habitacula non sunt paradisus terrestris, sed potius gehenna anticipata, dicente Sancto Hieronymo in sua Regula; *Sine charitate*

ritate Monasteria sunt tartara, & habitatores in illis dæmones: econtra verò cum hac claustra sunt paradisus, & in eis degentes, Angeli. Omnibus quidem Christianis suadetur ac mandatur fraterna charitas; siquidem omnes Christiani fratres sunt in Christo, & membra unius corporis sub uno capite: omnibus Christianis dicitur: *Idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes, solliciti servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis. Unum corpus & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, & non sint in vobis schismata. Siquis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Præcipuè tamen ad Religiosos pertinet, fovere amorem fraternitatis, & totis viribus incumbere ad servandam unitatem pacis. Ad religiosos præcipuè spectat, ita in fraterna pace ac charitate adinvicem in domo Dei conversari, *ut unum hominem faciant, & sit illis verè, quomodo scriptum est, una anima, & unum cor, multa corpora, sed non multæ animæ, multa corpora, sed non multa corda.* Ad Religiosos pertinet præcipuè, fraternam charitatem primorum Christianorum in se exprimere, de quibus vel ipsi gentiles dicere soliti erant: *Vide, quomodo ament se, ut alter pro altero mori para-*

Philipp. 2. v. 2.

Ephes. 4. v. 3. 4. & 5.

1. Corinth. 1. v. 10.

1. Corinth. 11. v. 16.

S. August. in Psal. 132.

Tertullian. Apolog. c. 39.

parati ſint. Religioſi propria vocatione ſtringuntur, imitari ſanctos & juſtos, de quibus Sanctus Anſelmus ita ſcribit: *Omnes juſti tantæ concordiæ erunt, quantæ ſunt in præſenti oculi noſtri. Sicut oculus unus verti non poteſt, quo non vertatur & alius, ſed in eandem partem ſemper volvuntur: ſic ſocietas illa juſtorum nihil poterit velle diverſum, ſed eandem ſemper habebit voluntatem.* Fraternam charitatem, tanquam ſummè neceſſariam ferè omnium ordinum fundatores ſuis potiſſimùm commendarunt. Sic Sanctus Auguſtinus ſtatim in principio ſuæ Regulæ ſuos hiſce convenit: *ut unanimes habitetis in domo, & ſit vobis cor unum, & anima una in Deo.* Item idem Sanctus Pater: *Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: qui odit fratrem ſuum homicida eſt.* Sic Sanctus Cæſarius Arelatenſis in ſua Regula num. 13. ad ſuos ait: *Implete, quod Dominus dicit: Pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis. In hoc cognoſcent omnes homines, quod mei diſcipuli eſtis, ſi vos invicem diligitis. Dixit amplius Joannes: Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat. Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Charitas Deus eſt, qui manet*

Lib. de ſimilitud. c. 63.

in charitate, Deus in eo manet. Et qui inimicos jubemur diligere, & bene eis facere, quâ fronte fratres odimus. Sic Sanctus Ignatius Lojola in constitutionibus societatis ordinavit: *Si quis divisionis, aut dissensionis eorum, qui unâ vivunt inter se, vel cum suo capite, auctor esse inveniretur, diligentissimè ab ea congregatione, velut pestis, quæ eam potest inficere, si præsens remedium non adhibeatur, separandus est.* In hunc finem fraternæ conservandæ charitatis quoque tendunt illa verba in constitutionibus societatis: *Unio & conformitas mutua diligentissimè curanda est, nec ferenda inter ullos domesticorum perturbatio, vel ira mutua: Si quid autem hujusmodi accideret, curet, ut statim cum satisfactione debita in gratiam invicem redeant.* Sic pariter Sancta Theresia discordias in monasteriis religionis pestem appellat, damnatque ad perpetuos carceres monialem, discordiarum auctricem. Præprimis nihilominus fraternæ charitati fovendæ advigilandum est in nostro ordine, & in omnibus iis, qui nobiscum stabilitatem loci profitentur, quia dissensionis malum, semel admissum faciliùs radicatur, & plerumque difficiliùs sanatur. Verum non ob id cadendum est animo; sed eò fortiori pectore radicandæ fraternæ charitati adjiciendus est animus; nam quò isthanc

Part. 8. c. 1. §. 5.

Part. 3. c. 1. §. 18.

In via perfect. c. 7.

hanc confovere videtur difficilius, eò dulcius est, superatis difficultatibus, fratres stabili unione habitare in unum. Tum, quia ipsa assuetudo conversationem plerumque reddit jucundam, tum, quia præsentissima nobis præcipuè in nostra sacra Regula subministrantur remedia. Primum est, *injuriam non facere.* Sive, ut Apostolus loquitur, *nemini dantes ullam offensionem,* neque verbo, neque facto, neque signo, neque alio modo, omnis namque fraternæ charitatis læsio ut plurimum suam trahit originem ab aliqua injuria vel offensa: *sine offensione estote* unius moris in domo, & altum fundamentum positum est fraternæ charitatis. Porrò (loquor verbis Divi Dionysii Carthusiani) *quid ad hæc dicturi sunt, qui zelum inter se habent amarum, & contentiones, qui ad deridendum ac perturbandum se invicem proni sunt? immo qui crebriùs excogitant, qualiter aliquid facere queant, verbo, signo, aut opere, quod displiceat alteri, quo turbetur, ac contristetur? cumque tale quid egerint, gloriantur, quasi qui desiderio suo satisfecerint, ac sua bene expedierint facta. O quàm longè sunt isti â monastica ac syncerissima charitate.* Quàm longe â dictamine ipsius legis naturalis, ab illo instrumento bonorum operum, *quod sibi quis fieri non vult, alii non faciat.* Quis enim

S. Regula cap. 4.
2. Corinth. 6. v. 3.
1. Corinth. 10. v. 32.
Dom. 4. post Epiph. serm. 5.
S. Regul. c. 4.

enim vult offendi? dicteriis lacerari? irrisionibus confundi? vituperiis exasperari? signis vel verbis amarulentis mœstificari? aut alio modo internâ mentis tranquillitate spoliari? ô quam longe sunt tales Divinæ Scripturæ effato: *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* 1. Corinth. 13.
Nec est, quòd dicatur, similia fieri, joci gratiâ, aut recreationis causâ; nam recreationes religiosis indulgentur, non ad destruendam, vel lædendam, sed ad fovendam & constabiliendam fraternam charitatem, sales religiosi proferendi sunt, ut mentes honestè ac piè exhilarentur, non ut quispiam offendatur, aut tristitiâ afficiatur, Religiosis idcirco quandoque religiosa conceduntur solatia, ut omnes qui viderint illos, ædificentur, atque ex ipsorum conversatione cognoscant, quòd in istis per vinculum fraternæ charitatis vivat cor unum & anima una, mera charitas absque ullo offensionis verbo, sine ullo traductionis signo, sine ullo vilipensionis indicio, sine ullo aversionis argumento, in omni reverentia, in omni honore, in omni affabilitate, in omni ædificatione. Membra in eodem corpore se invicem non mordent, sed *si quid* 1. Corinth. 12. v. 26.
pati-

patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Hinc, *quòd si invicem mordetis, & comeditis*, membra planè Christi non estis. Esto, sint aliqui infirmi, sint aliqui defectuosi in communitate, non propterea sunt mordendi, aut ludibrio exponendi: nam, *quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt, & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus.* Sic etiam necessarii sunt nobis infirmi ad probandam nostram patientiam, sic etiam magis excusandi sunt defectuosi, præsertim coram sæcularibus, ne secus sibi sumant scandalum, & occasionem vituperandi totam religiosam communitatem. Si enim in nostra sacra Regula jubemur, *honorare omnes homines*, inter quos planè varii variè inveniuntur defectuosi, quanto magis nostros proprios confratres, etsi nostro forsan humori difformes. Si Sanctus Pater noster velit, ut pauperculi peregrini, & infimæ sortis homines cum tanta humilitate *inclinato* nempe *capite*, *vel prostrato omni corpore in terra* recipiantur hospitio, quomodo quis præsumet, proprio confratri honoris & charitatis denegare officium? Audire ac adamante notare placeat, quid Sanctus Augustinus ad maximum Episcopum Dona-

Galat. 5. v. 15.

1. Corinth. 12. v. 21. & 22.

Cap. 4. instr. 8.

S. Regul. c. 53.

Donatistarum, hominem hæreticum scribat: *Honorabilem* (inquit) *te ex ea regula libenter appello, quia novi te esse hominem, & novi hominem ad imaginem Dei, & similitudinem factum, & in honore positum, ipso ordine, & jure naturæ.* Quanto magis Religiosus in honore habebit omnem suum confratrem, tum propter similitudinem naturæ, tum propter gratiam fidei, & spiritualem regenerationem ex eodem lavacro baptismatis, tum propter donationem ejusdem vocationis, tum propter conjunctionem in eadem communitate, tum propter vinculum pacis in eodem corpore, eandem bajulante militiam. Alterum conservandæ fraternæ charitatis remedium est, injuriam *factam patienter sufferre.* Nam *charitas patiens est, benigna est* &c. *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Non sufficit ad fraternam charitatem sartam tectamque habendam, neminem offendere, sed necesse identidem est, & offensas patienter sufferre, *inimicos diligere. Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere.* Ac toto pectore illorum sequi vestigia, *qui percussi in maxillam, præbent & aliam, auferenti tunicam, dimittunt & pallium, angariati milliarium, vadunt & duo, cum Paulo Apostolo falsos fratres, & persecutionem sustinent, & maledicentes se bene-*

Apud Basilium Finckeneis inst. 8.

S. Regul. c. 4. instr. 30. 1. Corinth. 13. v. 4. & 7.

Instrum. 31

Instrum. 32

S. Regul. c. 7

Matth. 5. v. 9.

benedicunt. Beati pacifici ; quoniam filii Dei vocabuntur. Sed quales pacifici ? nempe qualis fuit ille, qui dixit : *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.* *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt.* *Non est magnum cum bonis & mansuetis conversari: hoc enim omnibus naturaliter placet; & unusquisque libenter pacem habet, & secum sentientes magis diligit. Sed cum duris & perversis, aut indisciplinatis, aut nobis contrariantibus pacifice posse vivere, magna gratia est, & laudabile nimis virileque factum.* Illi non sunt veri Religiosi, minùs verè virtuosi, *sed superbi, & indignabundi sibi ipsis inaniter complacentes, quibus, si ab aliis aliquid videatur injuriæ, irrisionis, aspernationis inferri, statim illos despiciunt, dijudicant, & tanquam insipientes vix dignantur aspicere. Hi tales, quamvis non respondeant verbis, non exterius inferant ultionem, non tamen vere sunt patientes, sed superbientes, ac temere judicantes.* Verus Religiosus *non facilis est ad indignandum, ad irascendum, ad ulciscendum : immo malefacientibus sibi compatitur, magis de illorum culpa, quàm de sua*

Lucæ 6. v. 32. & 33.

Lib. de imit. Chr. lib. 2. c. 3.

Dionysius Carthusian. Dom. Sexages. serm. 5.

Divus Dionysius Carthusianus Dom. 5. post Epiph. serm. 4.

sua dolens injuria, sciens, quod sibi ipsis noceant magis, quàm sibi; immo sibi coronam patientiæ parant, & ad promerendam gratiam ac gloriam præbent occasionem, seipsos verò spiritualiter lædunt. Qui ergo tam leviter offenduntur, & pro una vestuca turbantur, conqueruntur, rixantur, vindictamque inferunt, aut exoptant, considerent, quantum â monastica bonitate, immo â Christiana distent ac corruant pietate. Considerent tales fraternam dilectionem Patriarchæ Joseph: Ecce fratres quidem *oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui.* Genes. 37. v. 4. Ast ille nihilominus, hujus & omnium injuriarum immemor, cum eos in fame derelinquere, â se repellere, inanes dimittere, & vindictæ subjicere potuisset, eosdem amanter complexus est, in propria mensa cibavit, honoravit, ditavit, eisque optima in terra Ægypti prospexit. Impossibile est, inter homines versari, & nunquam humanum quid experiri; sanctum autem imitari Patrem nostrum Benedictum, qui injurias sibi illatas æquo pertulit animo, veniam â Deo rogans falsis fratribus, & lamentationibus mortem inimici deplorans. In vita cap. 3. c. 7. Exemplo nobis sit beatus Fridericus Abbas Hiersaugiensis, hunc virtus ad Abbatialem evexit dignitatem, invidia paulò post de crimine pessimo falsè accusavit, accusatumque

que tametsi innocentissimum de gradu honoris dimovit, non absque magna infamiæ nota, sed hem tibi! hic vir innocentissimus post tantas injurias acceptas (utor verbis Bucelini) *vixit inter injurias privatus multis deinceps annis, velut nihil injuriæ passus.* Hæc est vera fraternitas, hæc est vera fraterna charitas, quæ in isto viro nullâ potuit violari injuriâ, quæ nec litem instituit, nec vindictam spiravit, nec querimoniam excitavit, nec mutationem loci poposcit, nec ullum indignationis signum præ se tulit, sed suis inimicis ignovit ex corde, omnem sibi illatam injuriam dimisit ex animo, injuriosis fraternè convixit, omnemque eisdem impendit charitatem. Talis in nobis radicetur charitas, & ad magnam coronam nobis erit loci stabilitas. Per mutationem loci ex tali motivo fraterna charitas non stabilitur, sed solum fratris petentis infirmitas & imperfectio proditur, quod scilicet instar timidorum militum fugere malit, quàm cum heroibus viriliter stando, meritorum spolia reportare opima. *Non itaque indignemur, nec proximis irascamur ad ulciscendum, sed peccantibus atque injuriantibus compatiamur, & oremus pro ipsis.* Quemadmodum sacra nostra jubet Regula: *In Christi amore pro inimicis orare. Verbis quoque signis & factis eos ad veritatis recogni-*

Menologium die 19 Februar.

Divus Dionysius Carthusian. Dom. 5. post Epiph. serm. 4. cap. 4. inst. 70.

gni-

gnitionem ac virtutum amorem , *pacem atque concordiam revocemus*, ut præcipuè in religiosis claustris impleatur illud divinum oraculum: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo & ovis simul morabuntur.* Ecce tam diversæ naturæ, tam contraria sibi invicem bruta animalia possunt simul habitare, simulque morari, & homines ejusdem naturæ, Religiosi ejusdem professionis, ac instituti non poterunt simul pacificè vivere? ô probrum Religionis! Esto ovis, ut tua mansuetudine lupum mutes in agnum, ut leo tua mansueta conversatione mutetur in vitulum novellum producentem ungulas binæ dilectionis, & lucratus es animam fratris, quod lucrum mutatione loci non referes. Esto operarius bonus, apprehende instrumenta bonorum operum, quæ ferme potissima ad fraternam charitatem suffulciendam ordinata noscuntur. Memori efficacique mente pertracta illa: *Nullum odisse. Zelum & invidiam non habere. Contentionem non amare. Elationem fugere, seniores venerari, juniores diligere. In Christi amore pro inimicis orare. Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire.* Hæc omnia cum suo auctore Benedicto in judicio tremendo perorabunt, ac justam ultionem clamabunt contra omnes unitatis divisores, contra cha-

Divus Dionysius Carthusian. loc. cit.

Isaiæ 11. v. 6.

S. Reg. c. 4. Inst. 64. usque 71.

ritatis violatores, contra pacis turbatores, contra reconciliationis osores. Quomodo enim ad concordiam cum Christo & cum omnibus Sanctis admittetur in cœlo, qui cum confratribus paucis noluit concordiam servare in claustro? *Contemplemur* (inquit Sanctus Augustinus ex auctore de anima & spiritu) *quæ sit ipsa societas beatorum spirituum, quæ majestas visionis Dei, & quomodo Deus æternæ visionis suæ dulcedine Sanctos suos reficiat. Nemo enim in hac vita digne pensare potest, quanta sit illa felicitas, Deum facie ad faciem videre: quanta suavitas, melos illud Angelicum audire: quanta jucunditas, omnium Sanctorum societatem habere. Tantùm unusquisque gaudebit de beatitudine alterius, quantum de suo gaudio ineffabili. Et quot socios habebit, tot gaudia habebit. In illa gloria nihil delectabilius ad contemplandum invenio, quàm intimi amoris affectum, quo unusquisque tantum amabit alterum, quantum seipsum, & Deum plus quam se, & Deus plus illos, quam illi semetipsos, & hoc perpetuo gaudio.* Horum proinde concordiam & amorem imitemur in terris, & erit nobis pax sempiterna in cœlis.

Tom. 3. c. 57.

ME-

MEDITATIO II.

De Diligendo Deo per reſignationem & conformitatem noſtræ voluntatis cum Divina.

Punctum 1. De conformitate noſtræ voluntatis cum Divina. 2. De perfecta reſignatione. 3. De noſtris deſideriis cum deſideriis Chriſti conformandis.

Præludium:

POne tibi ante mentis oculos Chriſtum Dominum in Agonia conſtitutum, & ita ſe totum Deo Patri reſignantem: *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Lucæ 22. v. 42.

Punctum I.

Conſidera, proprietatem amantium eſſe unionem voluntatum, ita ut ipſis ſit unum velle, & unum nolle. Unde voluntas tua erit tibi teſtis, quid ames, nam ſi tuam cupis impleri voluntatem, te ipſum amas; & fallaciter cum Deo agis, dum dicis: *fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.* Matth. 6. v. 10. Sed â quo debet fieri voluntas Dei? votum quidem verê amantis eſt, ut Sanctiſſima voluntas Dei? ab omni creatura, & in omni creatura perfectiſſimè adimpleatur, potiſ-

potiſſimùm verò & præprimis in ſe ac in propria perſona; ſiquidem ordinatus amor orditur â proprio ſuppoſito. Et quis, quæſo! non anhelet totis præcordiis, quoad omnia agenda & ſuſtinenda, quoad omnes actus & eventus, in omni loco, omni tempore, omnibusque modis conformari, & quaſi transformari in voluntatem divinam? cùm hac nihil ſit perfectius, nihil ad merendum efficacius, nihil Deo acceptius, nihil amanti convenientius, nihil verè diligenti dulcius, nihil ſuavius, nihil felicius, nihil ſecurius, nihil beatius, *quisquis hanc propriæ voluntatis cum Divina conformationem perfectè attigeris, omniaque velut de manu Dei cupidè amplexatus fueris, hæc tua in hoc orbe inferiore beatitudo erit: frueris perenni quodam gaudio, & lætitiâ non multis notâ: hac enim felicitate fruuntur homines intimâ familiaritate cum Deo conjuncti. Beatus es & benè tibi erit.* Et licèt tibi forſitan plures adverſitates ac ſiniſtri caſus evenerint, experieris nihilominus, eſſe veriſſimum illud: *non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.* Sed reportabit ex tribulatione ſolatium, & magnum ex tentatione meritorum proventum. Nam, *qui divinam voluntatem in omnibus ſequi conatur, in curru cum crucibus alioquin ferendis vehitur; alii verò, qui hanc itine-*

Hieremias Drexelius in helitrop. libr. 3. c. 6.

Proverb. 12. v. 21.

S. Dorotheus in Serm. de obedient.

itineris agendi, rationem & compendium ignorant, ponè pedites sequuntur, & onerosas cruces aut morosè trahunt, aut laboriosè ferunt. Sola voluntas Divina est tutissima & perfectissima regula totius perfectionis, ac unica rectè vivendi norma; omnes actus & gressus, huic conformes sunt recti, positi in rectâ viâ, æterno præmio digni, omnes autem huic difformes sunt irrecti, extra rectam viam declinantes deorsum. Adeô voluntas Dei beneplacens est perfecta, ut nec ipse Deus possit aliquid illâ perfectius, sanctius, sibique gratius velle, aut homini præscribere. Hinc ex consequenti nec ipse homo potest unquam aliquid perfectius agere, aut velle, aut desiderare, quàm perfectam in omnibus cum voluntate Divina conformitatem. Nunquam proinde deinceps recedas ab illa resolutione Clementis XI. Pontificis maximi. *Domine Deus! volo, quid vis, volo, quia vis, volo, quomodo vis, volo, quamdiu vis.*

Punctum II.

Considera, & ausculta vocem Dilecti dicentis: *dixi tibi sæpissimè, & nunc iterum dico: Relinque te, resigna te, & frueris magnâ internâ pace. Da totum pro toto: nil exquire, nil repete: Sta purè & inhæsitanter in me, & habebis me.* Nam anima verè

Libr. de Imitat. Christ. libr. 3. cap. 37.

rè amans non ſolùm ibi magis eſt, ubi amat, quâm ubi animat, ſed inſuper quoque omnia ſua ſecum trahit, & ſine exceptione tradit dilecto: amans non ſolùm ſtudet, eſſe ejusdem voluntatis cum ſuo Divino amato, ſed unicè quoque cupit vivere ac vivit ſub pleno Dominio Divini beneplaciti, ita, ut Divinum beneplacitum de homine amante tanquam de re proprio ex titulo amoris, ac ſpecialis traditionis poſſit pro ſuo guſto diſponere in tempore & in æternitate, ita, ut tanquam ignis amoris poſſit hominem amantem conſumere, tanquam fons amoris eundem penitùs abſorbere, vel aquis tribulationum, vel camino probationum immittere, ſive incudi imponere, malleis & flagellis contundere, aut alio modo velut cum pila ludere, ſicut ludere conſuevit amor. Nempe recuſare vel excipere neſcit verus amor, paratus vivere ſive in fertilitate, ſive in ſterilitate animæ, ambulare ſive in lumine, ſive in obſcuritate. Memoriam habet plenam Deo, & ideò in eâ non reperit locum recordandi ſui: oculus mentis totus in dilectum avolavit, & hinc ſeipſum non cernit. Voluntas dilecto adhæret, & hinc amans ſeipſum non habet, totus homo ſtat ſupra ſe ipſum, & hinc non attendit ſeipſum, ita ut putet alieno contingere, quidquid ſibi contingit, ſibi verò fieri, quidquid

quid Deo & ejus beneplacito. Nimirum alienus fit ſibi, quisquis proprius eſt Deo, tamdiu verò alienus es Deo, quamdiu es tuus: ut ergo totus ſis Dei, deſine eſſe tuus; *non quærendo, quæ tua ſunt, nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate: Ita, ut una æquali facie in gratiarum actione permaneas, inter proſpera, & contraria, omnia æquâ lance penſando.* Nihil enim poteſt non eſſe bonum, quod optimo Deo placet. De Imit. Chriſti libr. 3. cap. 25.

Punctum III.

Conſidera dulciſſima illa verba amoris crucifixi: *Ego ſi exaltatus fuero â terra, omnia traham ad me ipſum.* Sed quare exaltatus Chriſtus in cruce omnia ad ſeipſum vult trahere? nimirum, ut tradens Spiritum ſuum in manus Patris, ex ineffabili amore omnia ſimul eidem tradat, & Divino beneplacito velut holocauſtum offerat. Sic etiam verè amans, exaltatus à terra, ſive â vitâ terreſtri, ad vitam quaſi Divinam non eſt contentus traditione ſui, ſed præterea omnia vult trahere ad amorem Divini beneplaciti, omnia vult tradere Divino beneplacito, veluti ſponſa ejusdem voti cum ſponſo; more matris familias percupientis, ut omnes domeſtici voluntatem Patris familias adimpleant, ut Joannis 12. v. 32.

omnia in toto domo fiant ad beneplacitum, & ad gloriam Patrisfamilias. Sed quid fit ad gloriam Dei? in quo gloriatur Dominus? in hoc nempe, quòd Sanctissimùm ejus beneplacitum fiat, sic quondam quasi gloriabatur Deus de servo suo Jobó, quia Job, confluentibus tot adversitatibus, in Divinum beneplacitum se resignavit ac dixit: *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Sic pariter gloriabatur de Davide dicens: *Inveni David filium Jesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Præcipuè tamen Deus Pater gloriatus est in Filio suo, quia de cœlo descendit, ut faceret voluntatem Patris. Ast numquid Deus votum Christi, mortem Christi pro omnibus oblatam ita suscepit, ac si in re ipsa omnes salvâsset? Indubitanter, si enim Deus bonam voluntatem respicit in servo, quantò magis eandem sibi gratam habebit in filio, quis ergo non satagat imitari votum ac sitim amoris crucifixi? quis non sitiat, ut Divinum beneplacitum omnium mortalium corda ad se trahat, penitùs in se rapiat, atque ex eis cum gustu bibat dilectionis *vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum*, gutturique seu beneplacito ejus sapidum per conformitatem perfectam. Porrò hæc ipsa desideria ut Deo sapiant, debent fieri

Job. 1. v. 21.

Act. 13. v. 22.

Matth. 17.

Cant. 7. v. 9.

fieri absque impatientiæ affectu, ſine perturbatione, cum plena reſignatione, ſicut ſcriptum eſt: *Non ſum turbatus te Paſtorem ſequens.* Jerm. 17. v. 16.

BONA PROPOSITA
Ex
Præſenti Meditatione.

1. QUotidie me ſæpiûs plene in Divinam voluntatem reſignabo, ex noſtro Ludovico Bloſio dicens: *Domine ſicut ipſe ab æternitate antequam ego eſſem, voluiſti, ita fiat, & non, ut ego volo. Non meum commodum, non meam oblectationem quærere debeo, ſed tuum honorem, & tuam laudem. Gratior eſt mihi tua ſancta voluntas, quàm optandi libertas. En igitur me ipſum dedo, reſigno, & permitto tibi Deus meus, non in tempore modo, ſed etiam in ævum ſempiternum.* In Margarit. Spirituali P. 4. §. 6. num. 1.

2. Frequentiùs cum gemitu cordis dolebo, quòd ego miſer, ac alii mortales toties ſimus Divino beneplacito contrarii, quòd non ſemper corde volvamus, & ore promamus illud Aſtionis & Epicteti: *Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum, & laudabilis, & ſuperexaltatus eò quòd non humana, ſed tua voluntas per omnia facta eſt in nobis.* In vit. Patrum libr. 1. cap. 12.

3. Po-

3. Potissima oratio ac petitio mea ad Deum hæc posthac erit: ut Divinum beneplacitum in omnibus creaturis adimpleatur, & satietur.

4. Gaudebo nihilominus frequenter, quòd consilium Domini non possit impediri, & quòd creaturæ etiam resistendo, Divinæ voluntati serviant, & hinc cum gaudio Spiritûs frequentiùs recolam illud Divinæ Scripturæ: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.*

Isaiæ 46. v. 10.

5. Propterea in Divinum beneplacitum plenè resignatus, & non turbatus ero ad omnem verum eventum.

6. Totam meam vitam deinceps instituam secundùm Doctrinam Christi, his verbis Sanctæ Brigittæ datam: *Tu quia ex omni justitia facta es mihi: ideò oportet te sequi voluntatem meam. Qui autem sequi vult voluntatem alterius, debet habere tria: Primò cum eo unum consensum. Secundò, similia opera. Tertiò, recedere ab inimicis ejus. Qui autem sunt inimici mei, nisi superbia, & omnia peccata? Ab his ergo debes recedere, si cupis sequi voluntatem meam.*

Libr. 1. Revelat. cap. 38.

EXA-

EXAMEN PARTICULARE.

De Indifferentia & reſignatione in omnem Divinam diſpoſitionem.

1. UTrum ſis ſemper indifferens & reſignatus in Divinam voluntatem quoad naturalia, ita, ut tibi æque acceptæ ſint infirmitas & ſanitas, mors & vita, & quidquid Deo magis placuerit?

2. Utrum ſis ſemper indifferens, & reſignatus in Divinam voluntatem quoad dona gratiæ, ita, ut nec majorem nec minorem deſideres gradum gratiæ, quàm quem tibi Deus ſecundùm ſuum beneplacitum dare velit?

3. Utrum eandem teneas indifferentiam quoad gradus æternæ gloriæ.

4. Utrum ſis indifferens & reſignatus in Divinam voluntatem, quoad omnem circa te diſpoſitionem faciendam, ita ut tibi perinde ſit, ſive ducaris â Deo per ſemitam crucis, ſive per aliam viam?

5. Utrum omnia Divinæ Providentiæ, ſemper cuncta ordinanti adſcribas, quæ vel circa te, vel circa alios quoſcunque in mundo accidere ſolent?

6. Utrum

6. Utrum Divinam diſpoſitionem ac providentiam in omnibus ut juſtam venereris & adores.

7. Utrum in ſolo Divino beneplacito ſemper delecteris, & nunquam triſteris, ſiquid contra tuam voluntatem acciderit, vel deſiderio tuo contrarium evenerit?

8. Utrum ſis plenè indifferens ad omnia, quæ tibi à tuo ſuperiore injunguntur, abdicatâ omni propriâ electione?

9. Utrum ſis plenè indifferens quoad modum directionis, id eſt, utrum ſit tibi perinde, ſive tali, ſive alio modo â ſuperioribus tracteris?

10. Utrum ſis plenè indifferens quoad applicationem, & quoad officia, æquali animo ferens tam amotionem, quàm promotionem?

11. Utrum ſis indifferens, quoad tuos confratres, id eſt, utrum æquè libenter cum iſtis, quàm cum aliis converſeris, dummodò tamen citra nocumentum tui Profectûs id fieri queat, & ita Deo placeat? Nam bonus Religioſus *ſemper de rebus ore religioſo dignis loquitur; ideóque libentius converſatur cum iis, qui tales ſermones inſtituunt, quàm cum aliis, qui rebus & colloquiis ſpiritualibus non delectantur.*

Nicolaus Lanicius Opuſc. 1. cap. 25.

LE-

LECTIO SPIRITUALIS
Pro
Tempore Pomeridiano.

ARGUMENTUM.

SEmper plus ultrà in ſpirituali profectu, donec dicatur nobis : *mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà; quia prima abierunt.* Apocal. 21. v. 4.

Mortalibus hæc eſt naturaliter innata cupido, ut ſemper ambiant ad alta conſcendere, & hoc unicuique juxta gradum proprium: quidam enim ex aggregatione temporalium facultatum, arbitrantur ex earum abundantia cæteros æſtimatione præcellere, nonnulli autem ex adeptione dignitatum & magiſtratuum, ſeu ex officiorum putant ſe ſe hominibus laudabiles eſſe. Verûm hi in divitiis, & hi in dignitatibus, nos autem ſemper conari oportet ad congregandum theſaurum indeficientem in cœlis, ad aſcendendum de virtute in virtutem, de profectu in profectum, de bono ad bonum, de merito ad meritum, donec occurramus in virum perfectum, donec ſtatura noſtra aſſimiletur palmæ, donec videatur â nobis Deus Deorum in Sion, donec noſtro fruamur fine, propter quem creati, ſanguine Chriſti redempti,

Sanctus Laurentius Juſtinianus de grad. Perfect. cap. 15.

empti, ſacri baptiſmatis undis abluti, ſpecialiter ex infinita miſericordia dulciſſimi Numinis ad ſtatum religioſum & ad ſortem Sanctorum vocati ſumus; ex hoc namque fine, uti nulius ambigo, te hiſce ſacris exercitiis conſecrâſti, ex hoc fine, ut videlicet drachmam religioſæ perfectionis indipiſcaris, tibi tanquam puer parvulus, per vocem clamantis ſucclamans miniſtravi lucernam, nec ſupereſt amplius, niſi ut in præſenti diſſertatione tum motiva, tum modum ſemper proficiendi, & ad perfectionem tendendi, ſtudioſo mentis oculo compendiariò expendamus. Et primò quidem loquendo breviter de obligatione, certum habetur apud Theologos, Sanctos Patres & Spirituales magiſtros, quòd omnis Religioſus cujuscunque ordinis teneatur ſub peccato mortali tendere ad perfectionem. *Non leve noveris eſſe peccatum* (inquit Joannes Caſſianus) *perfectionem profeſſum quempiam, ea, quæ ſunt imperfecta, ſectari.* Super quæ Caſſiani verba Alardus Gazæus ita diſcurrit: *Unde conſequens eſt, religioſum non leve peccatum admittere, ut hîc dicitur, ſi ſtudium, ſeu affectum adipiſcendæ perfectionis abjiciat, aut remittat, multò magis ſi ſic apud ſe ſtatuat, & dicat: nolo ad perfectionem tendere, aut in ea progreſſum facere. Ita intelligendus*

Libr. 4. inſtitut. cap. 38.

eſt

est Divus Hieronymus, cùm ad Heliodorum ita scribit: Tu perfectum te fore pollicitus es. Nam quando relictà militia te castrâsti propter regna cœlorum, quid aliud quàm perfectam secutus es vitam? Unde (pergit post pauca in eadem Epistola idem Sanctus Hieronymus) *si perfectus non est, cùm se perfectum fore Deo pollicitus sit, ante Deum mentitus est; os autem, quod mentitur, occidit animam.* Et rursum inferiùs idem Sanctus Hieronymus in eâdem Epistola: *perfectum autem esse nolle, est delinquere. Sub professione monastica,* (asserit Sanctus Petrus Damiani libr. de perfect. Monach. cap. 2.) *scandere perfectionis excelsa promisimus.* Porrò, quamvis hæc obligatio tendendi ad perfectionem per se sit annexa statui religioso; propriè tamen & expressè vovetur per votum de conversione morum, quemadmodum testantur nostri Monachi Benedictini ad Sanctum Vedastum in suo exercitatorio Spirituali parte 3. §. 5. ubi de conversione morum sic in terminis loquuntur: *hîc explicitè significatur obligatio, quam habent Religiosi tendendi ad perfectionem.* Hinc Sanctus Anselmus noster votum de conversione morum in suo carmine de mundi contemptu & Monachorum vita ad ejusdem observantiam nos admonens sic explicat:

Vovistis Domino, vestros convertere mores,
Jam non peccetis, sit modus & vitiis.
Nunc humilis vivat, qui vixerat ante superbus,
Sit castus, quisquis luxuriosus erat.
Quærebat census aliquis? captabat honores?
Huic jam vilescant census, honosque sibi.
Gaudebat dapibus, gaudebat divite mensa?
Nunc tenuem victum sobria cœna dabit.

Stringi nos ad perfectionem nobis procurandam ex ipso voto, præterea satis indicant illa verba Joannis Trithemii: *Monastico siquidem proposito valde contrarium est nolle proficere, & apostasiæ genus, post votum perfectionis, in perfectione velle permanere.* Imo hoc ipsum, & hanc ipsam gravem obligationem satis clarè insinuat ipse legislator noster Benedictus, dum æquè de conversione morum sicuti de aliis votis disserens, transgressori ejusdem ita minitatur: *si aliquando aliter fecerit, à Deo se damnandum sciat, quem irridet.* Ast damnatio sine dubio supponit peccatum mortale; quin verò non solùm damnatio, sed (verba sunt Sancti Cæsarii) *non perfectè in eremo vivere summa damnatio est.* Quod longè â fortiori de quolibet Religioso inter suos confratres & in conspectu aliorum imperfectè vivente sentiendum; tum, quia Religiosus in claustro habet longè plura & effica-

De 9. Gradib9 ascens. Serm. 7.

S. Regul. cap. 58.

Homil. 29.

efficaciora perfectionis media, quàm solitarius in eremo; tum, quia solitarius imperfectè vivendo solùm sibi nocet, ast econtra vivens imperfectè in cœnobio non tantùm sibi, sed toti religiosæ communitati permagno nocumento est: Infirmiores quippe scandalizat, meliores â profectu impedit, disciplinam destruit, & cùm non proficere sit deficere, hinc continuô ad deteriora prolabitur, fitque afflictioni superioribus, oneri suo Monasterio, infamiæ ordini, offensioni Ecclesiæ. Unde rectè concludit Thomas Sanchez: *Religiosus tenetur sub mortali taliter vivere, ut non sit graviter Religioni suæ perniciosus, inducendo alios Religiosos suo pravo exemplo ad nimis relaxandam Regulam, & præterea perturbando Religionem. Sed hæc damna inferret,* (subjungit post pauca citatus auctor) *habens eam intentionem*, videlicet, non tendendi ad perfectionem; timendum enim, ne in tali frigido fratre impleatur illud Divi Bernardi: *Ab aquilone panditur vestrum malum, â frigore ejus quis sustinebit? hoc frigus si semel animam (animâ quidem ut assolet incuriâ, spiritu dormitante) pervaserit, ac nemine deinde (quod absit) inhibente ad interiora ejus pervenerit, descenderit in viscera cordis & sinum mentis, concusserit affectiones, occupaverit consilii semitas,*

Libr. 6. cap. 4. n. 18.

Serm. 63. in Cant.

perturbaverit judicii lumen, libertatem addixerit Spiritus, mox (ut in corpore solet evenire febricitantibus) subit quidam animi rigor, & vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor solicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus extinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo. Quid plura? dissimulatur lex, abdicatur jus, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremò impudentiæ manus. præsumitur ille temerarius, ille pu-[illegible], ille turpissimus, plenus ille ignominiâ & confusione, saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro in sæculum, de paradiso in infernum. O quàm vera sunt proinde illa, quæ Sanctus Augustinus jam de suis temporibus hisce contestatus est: *Ex quo Deo servire cœpi: quomodo difficile sum expertus meliores, quàm qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus pejores, quàm qui in monasteriis ceciderunt.* Eant nunc, & dicant aliqui: *Sufficit mihi communis vita, si cum infirmis salvari potero, satis est. Nolo merita Apostolorum, nolo volare per summa, incedere per*

Epist. 137.

Joannes Gerson Induft. 4. de Theologia Myst.pract.

per planiora contentus sum. Sed *viderint hi, quod jam imperfectio est, nolle esse perfectum. In via enim Dei non progredi, regredi est. Damnatur insuper servus piger, qui talentum servare contentus, illud in fœnus non tradidit.* *Notent igitur omnes Religiosi* (sunt verba nostræ manuductionis ad perfectionem) *quod secundùm veram doctrinam Theologorum teneantur saltem tendere ad perfectionem, secus in conscientia tuti non sint, sed per habitum & tonsuram Deo, & hominibus mentiantur.* Quemadmodum expressè docet Sanctus Thomas comment. in 2. Corinth. 13. Item q. 184. art. 5. ad 2. & Pariter 2. 2. quæst. 186. art. in ⊙ Secundò præterea semper ante oculos habendum est, Religiosum non ad qualemcunque, sed ad ipsam Evangelicam perfectionem sibi procurandam obligatum esse, quemadmodum id nostra statuta illicò in procemio sequentibus attestantur: *Iter Evangelicæ perfectionis, & observantiæ regularis, uno corde & animo in vinculo pacis, & charitatis, cum gaudio & spiritûs consolatione curamus.* Quod idem indicat Sanctus Pater noster Benedictus in Prologo suæ Regulæ, ubi ait: *Per ducatum Evangelii pergamus itinera ejus.* Quocirca sciendum est, ad Christianam perfectionem generaliter sumptam teneri omnes Christianos, quemadmo-

Part. 1. cap. 1. §. 3.

In Theolog. Regul. Tom. 1. Libr. 3.

art. 4. disp. 21. n. 255. admodum docet Joannes Caramuel & passim magistri spirituales, tametsi in terminis perfectionem non distinguant in Christianam, & Evangelicam, seu religiosam; siquidem in Abrahamo Patre credentium cuilibet credentium dictum est: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Cuilibet Christiano dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.* Item *si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Mandata Dei* (inquit Sanctus Basilius) *cùm æquè præscripta sint omnibus, in eodem periculo sunt omnes, qui adversus ea fecerint: siquidem Christus ipse, cùm Patris sui præcepta promulgaret, apud eos loquebatur, qui in mundo erant, & communem vitæ morem sequebantur.* Cùm itaque juxta Sanctum Dionysium Areopagitam, certùm sit, Religiosum debere sectari perfectissimam vitam, & *oportere illum medio longè antecellere*, verissimè infertur, Religiosos obligari ad Evangelicam perfectionem, quoniam quæ Christianis in Evangelio sunt libertatis, Religiosis fiunt necessitatis; Religiosi quippe vi suæ Professionis tenentur illorum sectari vestigia, *qui erant perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Quibus *erat cor unum, & anima una*, (qui te-

Genes. 17. v. 1.

Marci 12. v. 30.

Matth. 19. v. 19.

Serm. de rerum abdicat.

De Eccles. Hierarch. cap. 6. Part. 2.

Act. 2. v. 42.

Act. 4. v. 32.

ste

ſte Philone Hebræo apud Euſebium) *diſcebant piè, ſanctè, juſteque vivere, triplici regula utentes; amore Dei ardentiſſimo: virtutis cultu diligentiſſimo: charitate proximi ferventiſſimâ. Quòd igitur ſummè Deum diligant, multa nobis argumento ſunt, caſtitas perpetua, jurisjurandi nulla mentio, mendacii odium, & præcipuè, quòd bonorum omnium, nullius mali, Deum cauſam eſſe opinantur. Quòd virtuti ſtudeant, patet, quia pecuniam negligunt, gloriam ſpernunt, voluptatem oderunt, conſtantes, ſeveri, magnique animi ſunt. Charitatis autem argumenta ſunt benevolentia, ſocietas, æqualitas. Nullus enim domum habitat, quæ omnium communis non ſit: unum ærarium, unus ſumptus omnibus eſt, veſtis communis, communis cibus, & potus, communis menſa, omnibus vita communis eſt.* Ecce tibi ideam religioſæ & Evangelicæ converſationis, ſed videamus jam identidem correptionem, & Divinam ultionem in transgreſſores hujus converſationis. Ananias, conſciâ ſuâ uxore Sapphira, clandeſtinò ſibi quid reſervaverat de pretio venditi agri. Et hem Divinam nemeſin â tergo! â Petro Apoſtolorum Principe hiſce corripitur: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri?* Sed necdum ſatis Divinæ ultionis gladio inſuper

Libr. 8. Præpar. Evang. cap. 4.

Act. 5.

per feritur, protinus ad terrram prolabitur, moritur, & quidem, uti *verisimilius* videtur, morte æternâ: quamvis enim cum Henrico Engelgrave & aliis non paucis auctoribus olim Ananiam solùm peccati venialis damnabam, re tamen interea meliùs inspectâ, cum Cornelio â Lapide ex Sancto Augustino, Basilio, Gregorio, Fulgentio, Athanasio, Beda, Cypriano, Hugone, Lyrano omnino tenendum judico, *fuisse lethale, & grande hoc scelus Ananiæ, quia fuit violatio voti & sacrilegium.* Verùm cur Petrus istud factum severiùs quàm ullum aliud peccatum corripuit? Cur Deus, sine indultâ agendæ pœnitentiæ morâ, istud peccatum publicè in conspectu plurium tam repentinâ tamque horrendâ morte punivit? Nempe primi illi Christiani *ipsi egerunt vitam religiosam, verique fuerunt Religiosi*, & hinc voluit Deus ad nostrum terrorem, ad nostram informationem mox in primo religiosæ vitæ exordio palam facere, quanto odio in Religiosis vitam irreligiosam persequatur, quantis periculis Religiosus quasi quolibet subjaceat momento, in religione irreligiosè, simulatè, fraudulenter aut negligenter vivens, tacendo plura alia exempla, testem hujus rei appello ipsissimam Dominam nostram beatissimam Virginem Mariam, quæ (quemadmodum beatus Ala-

In Luce Evangel. Dom. 6. post. Epiph.

Cornelius à Lapide in Act. 5.

Alanus â Rupe 5. P. Psalterii cap. 60. refert) Benedictæ cuidam Florentinæ urbis nobili scorto apparens, eamque pluribus historiis deterrere, & ad pœnitentiam adducere conata, inter alia contestata est: Ecce hâc ipsâ die Religiosus quidam peste subitanèe morietur, ac propter hoc æternaliter damnabitur, quòd negligenter, contemptim, & vagabundè pensum Canonicum persolverit. Alius itidem æquè Religiosus hac ipsissima die prorsus nihil periculi suspicatus, sed omnia tuta putans subitò è scala cellarii corruet, fractoque collo morietur, æternis mox suppliciis adjudicandus, quia firmo carebat proposito, vivendi secundùm statuta & regulam sui ordinis, ad quod propositum habendum ad minùs in voto ac intentione quilibet Religiosus sub reatu peccati mortalis obligatur. Quin immo, quidam alii Religiosi æque hodiè propter vitium proprietatis, & propter neglectum regularis observantiæ in Allemaniis cum toto conventu comburentur. O quàm verum proinde manet illud Sancti Odonis Cluniacensis dicentis: *Illos gehenna devorat, qui in habitu Religionis negligenter vivunt.* (Libr. 1. collat. Serm. de Abdicat. verum.) O quàm meritò proinde est illud Sancti Basilii nobis timendum: *Ego existimo paucos inter Monachos salvari.* O quàm meritò cum Ignatio Clavenau proinde

inde exclamo. *Hæc ſi Religioſum tepidum non terrent, non excitant, non ad reformationem & ſeriam converſionem morum ſuorum commovent, neſcio, an non hæc obſtinatio malum ſignum ſit reprobationis æternæ.* Unde fortaſſis ex hiſce terreri incipis, mediaque inquiris, evadendi æternæ damnationis periculum? Verùm ſi hoc? ô miſeriam noſtram! ſiccine? (veniâ tamen tuâ dixerim) ergone per integrum octiduum necdum alium fructum ex noſtris exercitiis collegimus, quàm denique metum gehennæ? Ecce! Maria Bonaventura, fœmina, Virgo tenerrima, monialis noſtri ordinis, mox primo ſacrorum exercitiorum die iſthanc â ſe factam reſolutionem coram ſuo Patre ſpirituali depoſuit: *Pater, non oportet ampliùs jocari cum Deo; agnovi quid â me velit Deus, quid nolit: volo tota eſſe Dei, & totis viribus conari, ut ob majorem Dei gloriam, ſine ulla mora ſancta evadam, non qualiſcunque, ſed magna, & citò.* Hæc illa primo exercitiorum die ex pleno Spiritu; & nos viri jam octavo ſacrorum exercitiorum die necdum ſumus repleti tali Spiritu? tanto perfectionis deſiderio? ſed hæremus adhuc in metu gehennæ? ô tempora, ô mores deplorandos! nunquid aulicus nugatorem ac contemptorem ſe proderet, qui coram ſuo rege aut principe aſſeve-

Tract. de obligat. tendendi ad Perfectionem §. 1.

Nicolaus Lanicius Opuſc. 6. cap. 20.

ſeverare, aut interrogare præſumeret: quid mihi in aula, in ſervitio regis attendendum, ut patibulum & ſuſpenſionis laqueum effugiam? Planè quisquis aliàs ſuæ fortunæ, & omnis urbanitatis non oblitus, potiùs ad omnia ſervitia regis ſe offeret, ad id toto pectore incumbens, ut gratias regis ſibi demereri, ac indies gradus ad altiores promotiones ſibi parare non nequeat. Sudant agricolæ, laborant opifices, fatigantur curſores, itineribus onerantur mercatores, nullus tamen horum ex fine declinandi patibulum, ſed omnes temporalis captandi lucri cauſâ; & Deus tanti lucri non reputetur, ut ipſius lucrandi ergo, totis viribus laboremus in perfectionis progreſſu? Paucis: ſic currendum eſt in via perfectionis, ut nunquam ſatis ſit amori, tametſi ſit ſatis obligationi. Obligationi autem tunc ſatisfacimus, quando indefeſſo conatu proficere ſtudemus. *Nam etſi omnes ad perfectionis ſummam pariter pervenire non poſſumus; non tamen erimus extra numerum bonorum, ſicut ſcriptum eſt. Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: ſi ad perfectionem inceſſanter, & fortiter conari velimus.* Siquidem *indefeſſum proficiendi, ſtudium, & jugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur.* His tribus noſtræ obligationis debitum

S. Anſelmus libr. 3. Epiſt. 34.

S. Bernard. Epiſt. 244.

tum ſolvimus. Primò ſemper conſervando intentionem proficiendi, ſaltem in habitu, id eſt, neque explicitè ejusmodi intentionem unquam deponendo, ſed eam retinendo, & quandoque per actus expreſſos exercendo, ac renovando, ne ſecus intepeſcat, & locò veræ intentionis falſâ opinione, inanique imaginatione deludamur. Secundò removendo perfectionis impedimenta, qualia ſunt omnia peccata, vitia, paſſiones inordinatæ, & quidquid noſtræ vocationi repugnat. Tertiò applicando perfectionis media juxta cujuslibet proprium ordinis inſtitutum, & quidem non tantùm ex conſuetudine & quoad formam externam, ſed ex interno ſimul fervore, ac bonæ intentionis promptitudine: qui in his tribus conſtanti applicatione pergit, ad perfectionem tendit, qui verò in uno ex his tribus deficit, pro ratione defectûs eſt reus. Hinc 1. Graviter à via perfectionis deviatur, quotiescunque mortaliter peccatur, non quidem peccato, propter hanc rationem novâ ſpecie diſtincto, ſed circumſtantiâ tamen notabiliter aggravante. 2. Graviter & mortaliter deviatur, quando venialium curandorum nulla, aut ferê nulla diligentia adhibetur. 3. Quoties deliberatè conſentitur in voluntatem, aut omnino non amplius, aut ſaltem per notabile tempus non pro-

proficiendi in melius. 4. Quando necessarium mortificationis studium, cum periculo multum deficiendi deponitur. 5. Quando studium virtutum acquirendarum per notabile tempus aut omnino intermittitur, aut parum curatur. Econtra venialiter â via perfectionis declinatur. 1. Si voluntas admittitur, solum per breve tempus â studio perfectionis pausandi, citra omne periculum tamen alicujus gravioris lapsùs, aut magni impedimenti ponendi. 2. Per omne peccatum veniale sive deliberatum, sive indeliberatum, retentâ tamẽ voluntate, bona consuetudine & habitu, vi cujus studemus peccata venialia declinare, & admissa ex humana fragilitate, statim iterum expiare. 3. Quoties sive in studio mortificationis, sive in exercitio virtutum parva negligentia aut remissio admittitur. 4. Pariter quoties talis negligentia culpabilis admittitur in religiosis exercitiis, citra tamen periculum gravioris scandali, & sine notabili nocumento regularis disciplinæ; multa quippe in Religione per se & in ordine ad proprium profectum parum vel nihil mutant, vel facilè iterum per alia supplentur, quæ tamen aut propter destructionem disciplinæ, aut propter scandalum, aut propter contemptum fiunt gravià. Sic, per se loquendo, in se parum mutat ad proprium profectum, utrum quis ante,

te, vel post completorium loquatur, propter destructionem disciplinæ nihilominus passim post completorium loqui, potest fieri peccatum mortale. Unde bono Religioso, & perfectionis studioso omnia sunt attendenda. Ex quibus ulterius facilè colligitur: *Non progredi est regredi, non proficere, est deficere*, similes textus & adagia non physicè, sed moraliter esse intelligenda, ad eum nempe modum, & eo sensu, quo dicimus aliquem continuò studere, quo loquendi modo non intelligimus temporis continuum physicè spectatum, sed volumus tantum dicere, talem esse valde addictum studiis, nunquam deponere animum â suo studio, omnia eò dirigere, ut in studiis proficiat. Sic pariter, qui nunquam languescit desiderio proficiendi, qui spirituali profectui est valde addictus, qui omnia sua ad spiritualem profectum ordinat, in sensu morali semper progreditur, tametsi singulis momentis, physice spectatis, profectum ac meritum non adaugeat; nam rem physice considerando, nec minùs datur medium inter proficere & deficere, quam inter mereri & demereri: sicut ergo non sequitur, nos omni eo momento demereri aut peccare, quo non meremur, sic pariter non sequitur, nostrum profectum omni eo momento minui, quocunque non augetur: si quis autem â de-

â desiderio vel â studio proficiendi remittit, aut sciens & advertens aliquam actionem ad profectum non ordinat, hujus non proficere procul dubio est deficere. Verum hæc sint per indulgentiam, & non ex consilio dicta, consilium autem, quod do, est, ut ex deserto sacrorum exercitiorum progrediaris totus sitibundus, totus accensus ad meliora charismata, ad imitandum exempla Sanctorum, ad sectandum, quidquid honestatis, quidquid sanctitatis, quidquid perfectionis, & tametsi fortasse talis ignis fervoris in altari cordis tui hodie ardeat, attamen facile denuò extinguitur, nisi illum assiduè nutrias oleo devotionis, & nutrimento fervoris: *Esto itaque solicitus, ut spatium vitæ, quod tibi restat, quia nescis, quam breve sit, sic expendas, ut de die in diem mentis propositum ad meliora extendas.* S. Anselm' libr 1. Epist.

MEDITATIO III.
De
Unione animæ cum Deo.

Punctum 1. Declaratur unio animæ cum Deo per expropriationem propriarum operationum. 2. Per regnum. 3. Per vitam.

Præ-

Præludium.

ESto totis mentis affectibus in præsentia Christi, te, quemadmodum quondam Zachæum, illis dulcissimis verbis alloquentis: *Festinans descende; quia hodie in domo tua oportet me manere.* O felix dedicatio!

Lucæ 19. v. 6.

Punctum I.

Considera, perfectam unionem animæ cum Deo per mutuum amorem contingere; videlicet per actus amoris & conformitatis, quibus anima ex sua parte se unire conatur suo dilecto, & per actus Divini amoris, quibus se dilectus ad suam dilectam convertit. Priorem amorem in præcedentibus meditationibus jam expendimus; hinc in præsenti nobis dicitur: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Viam scilicet, qua ipse Divinus amor animæ approximat; ast quæ hæc altior est via? quomodo ex parte nostra præparanda est ista via? forsan altius adhuc ascendendum nobis? Sed hem tibi! quemadmodum à mysticis Theologis Deus dupliciter consideratur, scilicet per affirmationem & per negationem, sic etiam anima dupliciter præparatur amori Divino perfectè unitivo; nempe per ascensum & descensum, per sui extensionem ad amoris flammas in dilectum mittendas, & per sui expro-

1. Corinth. 12. v. 30.

expropriationem, ad flammas amoris Divini in ſe recipiendas. Deſcendendum eſt de arbore ſycomoro, exuenda eſt tota vita propria, & aſſumenda aliena, ſcilicet Divina ac Deiformis; fit nempe anima ante perfectam unionem Deiformis, ſeu conformis ſuo cœleſti ſponſo dicenti: *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Sic & ipſa anima totam ſubſtantiam ſuæ dilectionis, totam ſubſtantiam ſuorum operum ac omnium meritorum, non niſi groſſulos putridos de ſycomoro reputat, & quaſi nihil deſpicit pro dilectione, ac erga dilectionem, quâ â dilecto viſitatur; unde ſibimet ipſi vileſcens, ſeipſam præ verecundia erubeſcens ad filias Sion, ad ſanctas in cœlo animas ſuſpirat: *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim; quia decoloravit me ſol.* Quaſi diceret: nunc, poſtquam illuminavit me Chriſtus ſol juſtitiæ, primum agnoſco, primum erubeſco meam vilitatem. Videri quippe deſinunt ſtellæ, dum oritur Phœbus, & omnia diſparent ab oculo mentis amantis, dum eidem ſpecioſus præ filiis hominum illabitur. Ubi Dei filius amore noſtri, *ſemet ipſum exinanivit*, ibi maximè noſtræ naturæ propinquavit, & ubi anima per plenam expropriationem amore Dei ſeipſam exinanit, ibi vel maximè ad Deum aman-

Cant. 8. v. 7.

Cant. 1. v. 5.

Philipp. 2. v. 7.

Lucæ 10. tem accedit. Tunc Maria optimam par-
v. 42. tem elegit, quando ex amoris abundantia ſe ad pedes Chriſti projecit, & tunc anima quaſi pro throno Divini amoris eligitur, quando anima præ amoris magnitudine ſuam verecundiam ſuſtinere non valens, in ſimiles voces erumpit, ecce ſcabellum
Pſal. 136. pedum tuorum dilecte mi; quapropter *exi-*
v. 7. *nanite, exinanite usque ad fundamentum.*

Punctum II.

Conſidera, & unionem animæ cum Deo adhuc clarius accipe; forſitan enim in priori puncto res tibi obſcura viſa eſt? verùm nunquam legiſti? *Ecce enim regnum Dei in-*
Lucæ 17. *tra vos eſt.* *Item Dominus regit me, & ni-*
v. 21.
Pſal. 22. *hil mihi deerit.* Ecce! hæc eſt illa feliciſſi-
v. 1. ma unio animæ cum Deo, quando Deus in homine per omnia regnat, ſicut rex in proprio regno, atqui ad hoc ex parte hominis requiritur plena ſubjectio, plena expropria-
Marci 3. tio. Nam *ſi regnum in ſe dividatur, non*
v. 24. *poteſt regnum illud ſtare.* Non poteſt regnum Dei in homine perfectè ſtabiliri, niſi prius funditus evertatur ex integro regnum proprietatis. Tunc primum Regina charitas perfectè ordinatur ac ſtabilitur in domo cordis, quando ancilla, proprietas ejicitur foras. Tunc primum homo perfectè regitur à Domino, quando ex puro Dei amore ſe ipſum

ſeipſum regere deſinit, quando nullo proprio affectu amplius afficitur, quando nullo proprio deſiderio amplius trahitur, quando nulla potentia amplius utitur, niſi cum plena ſubjectione ad Divinum amorem, niſi propter divinum amorem. Hæc ſunt vota animæ unitæ cum Deo,: Ecce amor meus! omnia mea tua ſunt! digneris igitur per intellectum meum cogitare, per voluntatem meam velle, per memoriam meminiſſe, *per oculos meos aſpicere, per aures meas audire, per linguam meam loqui, & per cætera membra mea operari quod tibi placitum eſt.* Nam quidquid ego operor, hoc mihi nimium diſplicet, quidquid verò tu operaris, hoc mihi unicè placet. Eradicetur ex me omnis plantatio, quam non plantavit cœleſtis Pater, nihil in me creſcat, quod non ſeminavit Dei filius, nihil â me fiat, quod non operetur Spiritus Sanctus. Solus amor Sanctiſſimæ Trinitatis in me ſibi ædificet domum, cætera deſtruantur.

In igniario Ludovici Bloſii.

Punctum III.

Conſidera, animam unionis cum Deo cupidam non ſolum ſe ipſam erubeſcere, ſed etiam ſancto tædio tædere, ad morem illius, de quâ dicitur:

Ita cecinit Thereſa,
Mundum, vitam, ſe pertœſa.
Et ſponſo vim faciens.

Sed ex quo fine in ſe ac in ſua vita tædio afficitur? ex quo fine ſponſo quaſi vim facere conatur? nempe, ut obtineat in ſe implementum illud divi Pauli: *Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Chriſtus.* Sic eſt: ſic pergit ibidem Seraphica virgo Thereſia:

ad Galat. 2. v. 20.

Vivo ego, jam non ego,
Sine vita vitam dego,
Quodque vivam morior.

Nam verè amans propriam vitam non vitam, ſed potius mortem reputat, ſolam vero vitam amati æſtimat veram ac vitam felicem. Et certè felix omnis ille, qui non niſi Spiritu Chriſti vivit, non niſi Spiritu Chriſti operatur, non niſi Spiritu Chriſti patitur, non niſi Spiritu Chriſti converſatur, ita, ut vita Domini Jeſu per omnia manifeſtetur in ipſo, hæc quippe vita in ſe continet perfectam charitatem, perfectam intentionem, perfectam reſignationem, perfectam conformitatem; *quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.* Ex quibus tamen omnibus minimè inferes, hominem in iſto ſtatu nihil agere, aut ſe tantum paſſivè habere: nam tunc vel maximè agit homo, quando non agit ex proprio, ſed ex Spiritu Chriſti: *Aguntur enim* (inquit Sanctus Auguſtinus de filiis Dei) *ut agant, non ut ipſi nihil agant, & ad hoc eis oſtenditur, quid agere debeant, ut quando id agunt,*

Rom. 8. v. 14.

Lib. de corrept. & gratia cap. 2.

agunt, ſicut agendum eſt, id eſt, cum dilectione & delectatione juſtitiæ, ſuavitatem, quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant. Quemadmodum res tota declarata habetur in illo Cant. 1. v. 4. *Trahe me: poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Nam 1. trahi eſt agi. 2. Poſt te currere eſt procul dubio vel maxime agere. 3. Currere in odorem unguentorum eſt agere cum ſuavitate ex unctione Spiritus Sancti, ex Spiritu Chriſti, poſt Chriſtum ad imitationem Chriſti. Quocunque *ibat Spiritus* (inquit Propheta) *illuc eunte Spiritu, & rotæ pariter elevabantur, ſequentes eum.* Ezech. 1. v. 20. Huc tende perfectionis amator! talis rota eſto, ſemper elevata ad ſequelam Spiritûs Sancti, cavens totis viribus, ne unquam ampliùs movearis ſive ab aquis iniquitatis, ſive à vento vanitatis, ſive à manu proprietatis, ſed ſemper à Spiritu charitatis in Spiritu humilitatis.

BONA PROPOSITA
Ex
Præſenti Meditatione.

1. OMne deſiderium, quod vel in proprium bonum, vel in aliud, præter

 Divi-

Divinum amorem tendit, protinus, ad primam advertentiam amputabo.

2. Nullum affectum admittam, nisi qui est secundum Divinum beneplacitum, & tendens in bonum divinum.

3. Ex duobus bonis semper illud eligam, illudque perficiam, quod perfectius, ac Divino beneplacito conformius habetur.

4. Super affectus meos, & desideria mea quotidie diligens examen instituam.

5. Frequentius per singulos dies deinceps coram supremâ Majestate Divini amoris me ipsum annihilabo, dicens ex Jobo ad
Job.7.v.17 Dominum: *Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Heu ad quid hucusque vixi? nihil enim dignum conspectu tuo egi, immo fidelius, magisque sollicite servit canis Domino suo pro ossibus, quàm ego Deo meo vivo ac vero pro tot amoris excessibus.

6. Studebo pro possibilitate, me ipsum ante quemlibet actum interrogando convenire: estne hic actus ex Spiritu Christi?

7. Frequentius Dominum deprecabor, ut in me penitus extinguat, quidquid aut proprietatem, aut propriam quæsitionem olet, & quidquid non sapit purum amorem solius Divini beneplaciti.

CON-

CONSIDERATIO
Seu
RECOLLECTIO VESPERTINA
Pro
Gratitudinis exhibitione.

IN *omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis.* In hunc finem gratiæ dantur, ut gratiarum largitori gratiæ referantur; quemadmodum & nos gratitudinem poscimus, dum mendicum vel offâ pascimus. Et ecce! Rex Angelorum per istud sacrum octiduum misit tibi cibaria de mensa sua, cibavit te pane vitæ & intellectûs, potavit te aquâ sapientiæ salutaris, admisit te ad suam audientiam, animam tuam convertit, genua debilia roboravit, talem misericordiam & benedictionem tribuit, quam multis millibus non contulit. Quid ergo jam superest, nisi confiteri Domino, & psallere nomini Altissimi: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Benedic non tantum verbis, sed & identidem vel

1. Thess. 5. v. 18.

Psal. 102. v. 1. & 2.

vel maximè factis, tua bona propoſita nempe inceſſanter adimplendo, ac in novitate vitæ deinceps ambulando: Nam gratiſſima Deo gratiarum actio eſt, gratiâ datâ benè uti: *Cultus Dei in hoc maximè conſtitutus eſt, ut anima ei non ſit ingrata.* Quapropter ô bonorum largitor dulciſſimè! *recolam ad mentem meam omnia bona, quæ fecisti mihi à juventute mea, in omni vita mea. Scio namque, quod ingratitudo multum tibi diſpliceat, quæ eſt radix totius mali ſpiritualis, & ventus quidam deſiccans & urens omne bonum; obſtruens fontem divinæ miſericordiæ tuæ ſuper hominem; quâ & mala mortua jam oriuntur, & viva jam opera moriuntur, & ultra non adipiſcuntur. Gratias tibi ago, Domine Jeſu Chriſte, quia memor es mei.*

S. Auguſt. lib. de ſpiritu & littera.

Idem Sanctus Auguſtinus ſoliloq. c. 18.

Breviar. in Feſto S. Agathæ.

Pro
Concluſione poterit addi
Te Deum laudamus.

POSTRIDIE EXERCITIORUM.

CONſcripta ſunt hæc exercitia pro vacantibus per octiduum annuæ recollectioni; ſic enim experientia doceor, quòd octiduana ſolitudo compluribus ſit in uſu, ita tamen, ut uno alterove die adhuc recolle-

ctioni

ctioni inhæreant, recolendo principaliora, & ad novam deinceps vitam ordinando, ut desideratus fructus altè roboratis radicibus tanto certius sequatur. Quem in finem sit

Pro
Die post Exercitia sacra
MEDITATIO
De
Perseverantia.

Punctum 1. De corde stabiliendo. 2. De fructibus obsignandis. 3. De horto concludendo & custodiendo.

Præludium:

SIste te in conspectu sedentis super thronos positos, teque hisce commonentis: *Ecce venio citò, tene quod habes.* Apocal. 3. v. 11.

Punctum I.

Considera hodie fructus tuorum exercitiorum, & fatere mecum, quòd optimum tibi adhuc desit. Et quidnam illud optimum? *Optimum est enim* (inquit Sanctus Paulus) *gratia stabilire cor.* Plures sacris exercitiis magno fervore, multis bonis propositis insistunt, qui tamen ad istud optimum non pertingunt, sed similes fiunt *viro* Hebræor. 13. v. 9. Jac. 1. v. 23. & 24.

 consi-

consideranti vultum nativitatis suæ in speculo, consideravit enim se & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit. Sic & isti in bono instabiles facti post triduum forsan jam iterum habentur tales, quales fuêre antea, parum aut nihil mutati â priori tepiditate: hinc, ne idipsum tibi usuveniat, prospice tibi hodie de sumptibus, quibus valeas deinceps turrim perfectionis ædificare. Provide tibi de armis, quibus possis occurrere tentationum laqueis, sive per mundum, sive per carnem, sive per dæmonem, sive per aliorum conversationem tibi ponendis. *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos, dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur. Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur.* Ergone *sic stulti estis, ut cum Spiritu cæperitis, nunc carne consummamini?* Absit talis stultitia? Quæso enim? *quid mihi prodest, si sata viridantia herbis spem messis ostendant, & me sub ipso falcis tempore, subitâ vel aëris intemperie, vel pluviarum inundatione decipiant? Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.*

Proverb. 4. v. 25. & 26.

Eccli. 27. v. 12.

Galat. 3. v. 3.

Eusebius homil. 5. ad Monach.

1. Corinth. 15. v. 58.

Punctum II.

Considera desiderium & voluntatem cœ-

lestis

lestis sponsi dicentis: *Pone me ut signaculum* Cant. 8.
super cor tuum, ut singnaculum super bra- v. 6.
chium tuum. Quæso! quid volunt sibi hæc verba? nempe voluntas Domini tui est, ut cor tuum, in quo fructus exercitiorum, & bona novæ vitæ proposita sunt recondita, obsignes signaculo, seu sigillo amoris crucifixi, in signum, quòd omnia, eidem inclusa, unicè sint reservanda amori crucifixo; in terrorem omnibus furibus ac inimicis tuis, ne ullus amplius tentationis assultu unquam cor tuum infringere præsumat, sed procul fugiat, conspecto tituli triumphalis sigillo, præcipuè cave sis, ne ipsemet furem agas, adulterâ inconstantiæ clavi ultro direptoribus cor tuum recludens; non enim leve crimen læsæ majestatis est, tanti regis violare sigillum. Voluntas cœlestis sponsi est, ut obsignes signaculo ejus brachium tuum, in signum, ut illud imposterum unicè extendas ad operandum ac pugnandum pro gloria ejus; nam, cujus insignia miles gestare solet, pro ejus gloria & militare debet. Super brachium sigillum ponendum dicitur, ad ostendendum, deinceps non remissâ tepiditatis manu, sed brachio forti, & animo generoso esse pro gloria Dei pugnandum. Signaculum amoris crucifixi imprimendum proponitur, ad insinuandam perseverantiæ coronidem, ut videli-

S. Bernard. serm. 1. in Parasceve. delicet ad imitationem amoris crucifixi *neminem audiamus, non Spiritum quemlibet, descensum à cruce suadentem. Persistamus in cruce, deponamur aliorum manibus, non nostrâ levitate. Virtus in pace acquiritur, in pressura probatur, approbatur in victoria.* Ast *operis victoria finis.* Siquidem *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Quamobrem *nolite deficere benefacientes*, sed *in disciplina perseverate.* Nam *væ his, qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas.*

Ovidius 6. Metam. Lucæ 9. v. 62. Matth. 10. v. 22. 1. Thess. v. 13. Hebr. 12. v. 7. Eccli. 2. v. 16.

Punctum III.

Considera, & ita in bono persevera, ut merearis illud sponsæ elogium: *Hortus conclusus, fons signatus.* Hortus conclusus, in quem nec tentationi, nec inconstantiæ pateat ingressus, ita ut sponso flores virtutum, ac fructus meritorum crescant semper, maneantque securi, *fons signatus*, in quo gratiarum aquæ absque effusione serventur usque ad plenum perfectionis, donec ad nuptias cœlestes vertantur in vinum. Custodi hortum tuum, advolve fonti constantiæ lapidem, donec veniat Divinus ille Jacob adaquaturus te ex fonte vivo in vita æter-

Cant. 4. v. 12. Genes. 29.

æterna. *Quid existis in desertum* (inquit Joann. 11.
Christus) *videre arundinem vento agita-* v. 7.
tam? Et quare tu venisti in desertum sa-
cræ solitudinis? forsan, ut instar arundinis
mox iterum in diversa rapiaris? Absit, sed
ut fieres similis illi, *quæ ascendit de deserto*, Cant. 8. v. 5
deliciis affluens, innixa super dilectum suum,
confidenter pronuncians: *Tenui eum, nec* Cant. 2. v. 4
dimittam: huic innitere, in hoc confide,
hunc invoca, & qui velle dedit, dabit etiam
perficere. Clama frequenter ad illum:
Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non Psal. 16. v. 5
moveantur vestigia mea.

BONA PROPOSITA
Ex
præsenti Meditatione.

1. QUotidie aliquoties meum renovabo propositum, deinceps novam vitam ducendi, & totis viribus ad perfectionem tendendi.

2. Quædam bona proposita in sacris exercitiis facta, & mihi magis necessaria frequentius per singulos dies in particulari renovabo.

3. Nunquam ero immemor aut ingratus pro gratia mihi in istis exercitiis collata.

4. Singulis verbi gratia septimanis super fru-

fructus exercitiorum recollectionem ac examen instituam, & si me defecisse inveniam, contrito corde me ipsum similibus reprehendam: *Currebatis benè, quis vos impedivit veritati non obedire? Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos.*

Galat. 5. v. 7.

5. In omni occasione diligentissimè ac summè circumspectè *stabo super custodiam meam*, memor, *Diabolum soli perseverantiæ invidere, quam solam novit à Domino coronari.*

Hab. 2. v. 1. S. Bernard. in Epist.

6. Omnem exsurgentem pusillanimitatem statim reprimam, omni difficultate occurrente semper superior, semperque mihi in omni superandà difficultate occinam illud Poëtæ Ovidii:

Perfer & obdura: dolor hic tibi proderit olim.
Sæpe tulit lassis succus amarus opem.

7. Semper & sine intermissione in stadio curram virtutum actibus ac affectibus, nunquam tamen sine perseverantia comite, fundatus in illa Sancti Bonaventuræ doctrinâ: *Virtutes ad regnum Christi currunt, sed una sola accipit bravium: Nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigiliæ, eleemosyna, obedientia, abstinentia, patientia, sed sola perseverantia coronatur.*

In Psal. 67.

APPEN-

APPENDICULA REGULARUM ASCETICARUM

Pro Spirituali profectu & fructibus sacrorum exercitiorum continuandis.

PRÆFATIUNCULA.

EGredere de deserto octiduanæ solitudinis, *revertere, revertere Sulamitis! revertere, revertere* anima religiosa ad pristinas tuas occupationes, revertere sicut virgula fumi, diffundens circumquaque suavem boni exempli odorem, semper imposterum ardens, instar virgulæ fumi, consummari usque ad fumum ac pulverem in suavem odorem tuo dilecto. Revertere innixa super dilectum tuum, confortata in Domino ad ambulandum deinceps constanti pede per semitas justitiæ. Sed quæ manus ducet nos securè per callem rectum? Nempe *regula dicta est, eo quod rectè ducit, nec aliquando aliorsum trahit.* En pauculas, easque breves regulas asceticas præmissis octiduanis exer-

Cant. 6. v. 12.

Part. 1. Decret. distinct. 3. S. Regulæ.

exercitiis annecto, tibique devote subministro. Ad has deinceps singulos tuos dirigito gressus, singulos componito actus tam internos quàm externos, & dextera Dei excelsi deducet te per vias rectas usque ad montem sanctificationis suæ, usque ad montem perfectionis, quem dilexit. Scribuntur hæ regulæ præcipuè pro Religiosis, quamquam & sæcularibus metuendum impendeat judicium, nisi in suo genere suos quoque actus hisce regulis conformare conentur. Exarantur regulæ istæ principaliter pro viris spiritualibus, viâ ordinariâ iter evangelicæ perfectionis terentibus, quamvis nec via extraordinaria censenda sit tuta, si ab istis asceticis regulis discordare notetur. Attexuntur hæ regulæ exercitiis octiduanis; quia post annuam recollectionem in fervore peractam creditur animus magis dispositus ad faciendam generosam resolutionem, quâ factâ, vix non jam dimidium facti habetur. Quapropter exaudi vocem in deserto clamantis post te: accingere tandem hodie plus quàm chalybeo proposito, hisce asceticis regulis insistendi, nunquam retrò respiciendi, sed semper impigro pede currendi in stadio perfectionis, donec potiaris bravio, quod elargiatur nobis propitius Deus, qui est benedictus in sæcula, Amen.

CA-

Cap. I.

REGULÆ ASCETICÆ,

Præcipuè quoad operationes & vitam agentem.

Regula I.

Quòd itineranti per ducatum Evangelicæ perfectionis certis Regulis sit inhærendum.

I.

REgula prima est, concipere ac continuare vigilantem animum, omnes ac singulos suos actus ad regulas istas dirigendi, more cujusdam Grammatici aut Musici. Grammaticus plane sive linguâ, sive calamo discurrit, nunquam non cum reflexione attendit ad suas regulas, cautè præcavens non solum apertos solœcismos, sed minimorum apicum quoque errores. Quanto magis asceta in omnibus cogitatis dictis ac factis vigilanti animo ad suas reflectat se regulas, ne vel minima imperfectione contra illas offendat; hìc enim non scribitur cum pueris in scholis pro imperio umbratico, sed pro regno perenniter verè glorioso. Musicus vigilanti reflexione,

ne attendit, ne vel unicam notam falsè decantet, probè gnarus, quòd error vel unius notæ quandoque magnam pariat dissonantiam, atque haud modicè audientium, præsertim intelligentium, aures offendat; quanto magis bonus asceta in omnibus suis actibus vigilet, ne contra asceticas regulas malè cantet in aure Dei. Uterque tam grammaticus quàm musicus erubescit, dum contra suas regulas impingit, quanto magis asceta: alias namque nunquam corrigitur, nisi de quolibet errore commisso afficiatur rubore & contritione magna, cum vigilantiori emendationis proposito. Hinc

II.

Ad hauriendos ex hisce regulis optatos fructus necesse erit, frequenter eas legere, continuo memoriæ imprimere, & ad easdem quotidie omnes conscientiæ latebras discutere, semper renovato proposito, hac viâ constanti gressu gradiendi. Et si forsan pro humana inconstantia animus non nihil intepuisse advertitur, inflammandus est novis meditationum facibus. Si enim tepiditatis morbo non mature adhibeatur medela, plane desperata est salus spiritualis profectus, & quisquis in via perfectionis non proficit, aut ideò non proficit, quia efficax proficiendi propositum non concipit, aut quia asceticis

eis-

eisque certis regulis non inhæret, ac tempore tentationis recedit.

III.

Fundatur hæc regula 1. in ipſo naturalis rationis dictamine; nam ſcientia nulla, nulla diſciplina perfectè obtinetur, niſi ad certas regulas formentur ac dirigantur omnes ejusdem diſciplinæ vel ſcientiæ actus. Fundatur 2. in ipſa ratione divinæ ſapientiæ, quæ ipſas quoque *certâ lege & gyro vallabat abyſſos.* Proverb. 8. v. 27. Certe quæcunque â Spiritu Sancto ſunt, ordinate fiunt. Fundatur 3. in exemplo Chriſti, qui omnes ſuos actus, totamque ſuam vitam regulabat ad beneplacitum Patris. Fundatur 4. in ipſa experientia; nam qui pauca multum attendunt, plerumque in ſapientia plus proficiunt illis, qui multa quidem evolvunt, ſed parum attendunt.

Regula II.

Quod ſemper vigilanti cura attendendum ad ſervitium ſanctum, cui mancipati ſumus.

I.

Aſceſis eſt ſcientia, Deum ſanctis ſerviorum obſequiis colendi; hinc quisquis cupit aſceta audire, is debet id unicè vigilanter curare, quod eſt cultus Divini ac

ſervitii ſancti, adinſtar aulici, aut alterius ſervi unice invigilantis operi, ad quod fuit conductus, ſic hortulanus curat hortum, theſaurarius cuſtodit theſaurum.

II.

Fundatur hæc Regula 1. in omnium prudentum mente; nam omnium prudentum ſententiâ militis eſt militem agere, ſervi voluntatem ſui heri facere, aulici regiam majeſtatem obſequioſo honorare ac revereri famulatu. Quanto amplius ad ſervum Dei ſpectat, id unum ſemper curare, quod promovet cultum Dei & debitæ ſervitutis obſequium. Fundatur hæc regula 2. in illo ma-
Matth. 4. v. 10. giſtri Divini oraculo: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Fundatur hæc regula 3. in exemplo ipſius Chri-
Joan. 13. v. 31. ſti Divini Magiſtri; nam *Deus clarificatus eſt in eo*, quia non fecit voluntatem ſuam, nec quæſivit ſuam gloriam, ſed ejus, â quo fuit miſſus in terram. Exivit de ſinu Patris ad opus ſuum, nec alienis ſe immiſcuit negotiis.

III.

Praxis hujus regulæ eſt, in omnibus actibus unice quærere, unice intendere gloriam Dei, omnia peragere, omnia ſemper referre ad gloriam Dei, ſeque reputare ſacrilegum

gum furem gloriæ Dei, quoties quis vel minimum quid ad gloriam Dei non retulit: nam Religiosus non amplius est suus, sed Dei, & Deo solemni traditione dicatus, ac dedicatus; hinc sicut furtum est, ex aliena arbore Domino suo subtrahere fructus, sic pariter furtum ac sacrilegium est, hominis ad Deum spectantis, gloriæ Dei subtrahere actus. Servus Domino stat, operatur, negotiatur, & lucratur, quidquid vero, invito Domino sibi appropriat, furatur.

IV.

Omnia cogitata, dicta ac facta quotidie, vel sæpius de die diligenti discussione sunt revocanda ad calculos, semper renovato proposito cavendi, ne vel unus actionum apex inveniatur, qui non referatur, & non fiat ob solam gloriam Dei.

V.

Bonum propositum continuo alendum ac roborandum est tanquam indelebili memoriæ tessera illo trito Scripturæ effato: *Amice ad quid venisti?* Si porrò sive hac, Matth. 26. sive aliis memoriæ tesseris non amplius ex- v. 50. citeris, cogita, te incurrisse defectum ac tepiditatis periculum, tibique opus esse novo meditationum igne.

VI.

Hæc regula ſupponit 1. practicum eumque continuum horrorem peccati mortalis; nemo enim poteſt eſſe ſervus Dei, niſi horreat eſſe ac fieri mancipium diaboli, quis regum recipit in aulam, aut in ſuo ſuſtinet ſervitio, ſuæ regiæ vitæ inſidiatorem? Grande facinus regiam lædere majeſtatem, aſt horribilius nefas, omne peccatum Divinæ majeſtatis offenſa. 2. Hæc regula ſupponit horrorem omnis quoque peccati venialis; nam quis ſervorum præſumit ſuo Domino, præſertim regi infligere alapam? & tamen longe minus eſt in ſe, usque ad mortem percutere regem, quam vel leviſſime divinam offendere majeſtatem. 3. Supponit horrorem omnis irreverentiæ & negligentiæ, quæ Deo diſplicentiam creare poteſt. O quantâ induſtriâ cavetur in aula, ne vel inconſiderate peccetur contra reverentiam debitam regi! quanto magis omni curâ vigilandum eſt, ut omnia ordinate fiant in ſervitio ſancto, & absque diſplicentia Dei. 4. Supponit hæc regula animum abſtractum ab omnibus vanitatibus & illecebris mundi; nam qui adhuc curat, quæ ſunt mundi, non poteſt unice curare, quæ ſunt Dei, ſed diviſus eſt.

Regula III.

Nunquam non vigilans cura adhibenda eſt, ut ſemper divinum beneplacitum â nobis adimpleatur.

I.

PErcontaris forſitan, quisnam ergo ſit præcipuus & Deo gratiſſimus cultus? Reſpondeo, Deum equidem poſſe etiam actibus inferioribus coli, hâc tamen viâ ingredi cupienti pro Regula directricè reſpiciendum eſſe in omnibus & per omnia divinum beneplacitum, ita, ut aſceta errorem copioſis lacrymis deplorandum judicet, ſi vel ſemel tantum modicè â Divino beneplacito aberraverit. Sic ingredi eſt beneplacitum coram Domino, *ego ſum via, & veritas, & vita,* ait Chriſtus. Sed qualis via? videlicet via Divini beneplaciti, quin immo ipſum Divinum beneplacitum, in quo ſibi Pater ſemper bene complacuit. Joan 14. v. 6.

II.

Eſt autem divinum beneplacitum in omnibus & ſingulis actionibus quoad tria absque oblivione attendendum. 1. Quoad objectum, ſive quoad rem volitam, nimirum, ut aſceta ea ſolum mente recolat, ea ſolum ore promat, ea ſolum opere exerceat,

quæ Deo complacere & quidem præ cæteris hîc & nunc magis placere cum fundamento credit, ac judicat, ad exemplum Salvatoris, de se ipso contestantis: *Quæ placita sunt ei* (scilicet cœlesti Patri) *facio semper.* 2. Quoad circumstantias, nempe, ut eo modo, eo loco, & tempore & occasione hunc vel illum actum exerceat, quo modo, quo loco, quo tempore, & quibus aliis circumstantiis vel rationibus Deo placere, cum fundamento quis credit, ac judicat, quemadmodum rursum cœlestis magister Christus verbo & exemplo nos instruit, dum asserit: *Sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Item: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* 3. Quoad finem, videlicet, ut ex fine ac intentione Deo summo bono placendi omnis actio fiat. Quam doctrinam ac operandi modum nobis iterum Christus verbo & exemplo tradidit: tum Matthæi 11. v. 26. Ubi ait: *Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.* Item Joann. 14. v. 13. ubi inquit: *Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.*

Joan. 8. v. 29.

Joan. 8. v. 28.

Joan. 14. v. 31.

III.

Verum finis iste potest iterum tripliciter præfigi. 1. Vel solâ mente, vel simul & ore verbi gratia dicendo: propter te Domine,

mine, ad Divinum tuum beneplacitum, ad gloriam tuam hoc facio, quia tu ita vis, quia tibi ita placet, hoc ago, qui finis præfigendi modus planè non est tanti pretii ac meriti, sicut aliqui sibi imaginantur. Immò vero nullum est dubium, quin multi sæpius decipiantur, existimando, se operari propter Deum ejusque sanctissimum beneplacitum, cum tamen interea Deus tanquam finis ab intellectu tantum speculative proponatur, voluntas verò ex natura & ex naturali principio operetur, sicut enim Deus non semper amatur, quoties voluntati uti objectum amabile exhibetur, ita pariter non semper propter Deum operatio peragitur, quoties ab intellectu tanquam finis operationis proponitur; sed, ut aliqua operatio vere ac ad meritum Deo complaceat, debet â charitate procedere tanquam â principio eliciente vel actum formalem dilectionis, vel imperium alterius operationis, & progigni â spiritu divini beneplaciti agente in hominem, juxta illud divi Pauli: Quicunque *enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Rom. 8. v. 14. *Aguntur*, id est, moventur, actuantur, sive per motionem illam libero arbitrio tamen non præjudicantem, sed convenientem, in actum dilectionis ponuntur. Licet enim oculis objecta in se proportionata proponantur, nunquam tamen actum vitalem & actum

actum visionis elicient, nisi â vita animentur, & â spiritu vitæ in actum ducantur, & licet voluntati ratio summi boni tanquam finis proponatur, nunquam feretur tamen in hunc finem supernaturalem voluntas, nisi â vita supernaturali animetur, & â spiritu dilectionis actuetur, seu in actum ponatur. 2. Potest operatio fieri ex fine; quia Deus homini summè placet, adeo ut voluntas afficiatur ad præstandum eidem gratum obsequium, & beneplacitum in isto vel illo actu. Et ita operans procul dubio pro fine suo habet verè divinum beneplacitum, quia actus complacentiæ de Deo propter ipsum Deum est verus actus charitatis, Deo gratus. Et posito, quod oblatio in priori modo etiam ex charitate proficiscatur, iste modus posterior est nihilominus longe sublimior, Deoque gratior: tum, quia magis placet amato, si multum placet amanti, quam si amans cupit placere amato; tum, quia in voluntate cupiente placere Deo, facile adhuc potest latere propria quæsitio, ubi verò amatus placens ad amorem impellit amantem, voluntas amantis propriam quæsitionem, saltem antecedentem vix reperit. 3. Sive tertius modus est oblatio actionis ex impulsu amoris verecundi, famescentis, in omni actione Deo summè dilecto creare omnem complacentiam, â Christo & omnibus crea-

turis unquam exhibitam, aut exhibendam omnem complacentiam, quam Deus super omnia dilectus poteſt excogitare, aut ſibi gratam habere, & quidem in omni loco, omni tempore, ubique ſine principio ac fine, ſine menſura ac modo. Dixi! *ex amoris impulſu;* quia in hoc ſtatu amans non eligit finem, ſed Deus amatus eligit amantem tanquam inſtrumentum ad finem, dixi prætereа ex impulſu *amoris verecundi:* Et propter duplicem rationem. 1. Quidem amans erubeſcit ſuam indignitatem, actionisque oblatæ vilitatem, & rubore ſuffunditur, quod tam ſuperdigniſſimo tamque placenti amato per digniores manus digniora dona offerre non poſſit; intuetur nempe amans puriori lumine fidei Deum ceu bonum infinitæ amabilitatis, hinc æſtimat, & quidem jure merito indignum ac exiguum omnem amorem, qui infinitus non eſt. Et quæſo, quæ proportio amoris finiti ad infinitam amabilitatem? 3. Dicitur: amoris verecundi, ut excludatur omnis ſuſpicio propriæ quæſitionis, aut reflexionis ad meritum. Siquidem vere amans erubeſcit retributionem, creditque ſuum amorem minus placuiſſe amato, ubi inaudit, ſuum amorem, veluti laborem mercenarii mercede iri donatum. Verus amor vult gratis dari, & non venumdari. Vere amans ſuum amo-

amorem ſibi ſatis recompenſatum cenſet, ſi amatus non deſpicit munus amoris oblatum, ancillæ & mercenarii ad mercedem reſpiciunt, amanti vero ſumma retributio placuiſſe amato. Et ſi amanti admittenda demum retributio, id unum petit, ut retributio amoris ſit amor, quo poſſit purius arctiusque amare amatum.

IV.

Praxis hujus regulæ talis erit: mane generaliter pro toto die, & ſaltem ante quodlibet exercitium magis principale, uti ſunt horæ canonicæ, miſſæ celebratio vel auditio, & communia religioſa exercitia, Deum illud ſuperineffabile bonum per intellectum tibi viva fide proponas, eliciendo in voluntate, & vibrando in illud bonum amantis deſideria, ac amoris affectus; & quamvis hujusmodi affectus vel deſideria ab initio videantur arida ac inefficacia, nec tamen intermittas eisdem inſiſtendo, donec voluntas inflammetur ad proſequendum omni poſſibili ac excogitabili amoris obſequio illud ter admirabile bonum. Deinde cor tuum, omnes cordis affectus, omnes actus & actiones reverenter immergas puriſſimo amori Chriſti, ac omnium creaturarum, per ipſum ſitibundo affectu deſiderando, ut ſuperdulciſſimus Deus in te & in omnibus creaturis ſem-

ſemper & ubique ametur eadem amoris puritate, eadem amoris perfectione, eisdem amoris obſequiis, quæ Deus poſſibilia ſibique grata eſſe cognoſcit. Ulterius dabis operam, ut voluntas iſta ſaltem virtualiter ita ſemper determinata perſeveret, conveniendo ante quodlibet opus in particulari, & inter occupationes longiores ſubinde frequentius tuam voluntatem, utrum adhuc ita inveniatur affecta, ut in hac aut illa actione nihil aliud, niſi talis amoris obſequium Deo ſumme dilecto exhibere intendat; quod ſi voluntas ab hac determinatione forſitan defeciſſe deprehendatur, expulſis omnibus aliis inferioribus motivis, hac aut ſimili memoriæ teſſera iterum ad ſolius amoris Divini obſequium reducenda eſt: ô amor meus, tu ſolus omnia in omnibus, & idcirco propter te ſolum omnia in omnibus. Unde examen deſuper inſtituendum, non tam diſcutiendo, quot actus puræ intentionis ac amoris à te per diem fuerint eliciti, ſed potius, quoties â prædicta voluntate defeceris, & toties te non vixiſſe credes, quoties in te non vivit voluntas, ita placendi Deo, ac amandi fontem amoris.

V.

Quæres fortaſſe: undenam voluntas & beneplacitum Dei in omnibus cognoſci valeat?

leat? Reſpondetur diſtinctè. 1. Pro certo habendum, Deum velle, ut ex fine Divini beneplaciti & intentione pura perfecte adimpleantur omnia illa, quæ aut in divinis mandatis habentur, aut ab Eccleſia præcipiuntur, aut per proprias proprii ordinis regulas ac ſtatuta præſcribuntur, aut per legitimos ſuperiores extra ſolum peccatum ordinantur. 2. Nec minus certum eſt, Deum velle, ut ex motivo divini beneplaciti ea omnia omittantur, ac præcaveantur, quæ vel mandatis Dei, vel præceptis Eccleſiæ, vel propriæ vocationis inſtituto, vel ſuperiorum juſtis ordinationibus adverſantur. 3. Quoad indifferentia, nempe quoad illa, quæ nec aliquâ legitima ordinatione præſcribuntur, nec improbantur, voluntas Dei creditur, ut ſemper id ex fine divini beneplaciti eligatur, quod magis conforme invenitur tum propriæ cujuslibet vocationi, tum obedientiæ ac humilitati aliisque virtutibus Chriſti. Quod ſi vero in aliquo caſu diſcrimen indiſcretionis apparet, conſulendus eſt Pater ſpiritualis, & reſpiciendus tanquam datus â Deo diſcretionis definitor; propria autem diſcretio in propria cauſa ſemper debet eſſe ſuſpecta, & timendum eſt jure merito, ne fortaſſis dictetur â carne & ſanguine, quæ prudentia carnis nunquam non eſt inimica Deo. 4. Quoad naturæ neceſſaria

ſer-

ſervitia, præſertim quoad illa, quæ in ſe aliquam naturalem turpitudinem, & conſequenter aliquam irreverentiam continere videntur, non ſunt quidem ea Deo materialiter offerenda; interim tamen eſt nihilominus etiam in iſtis ex verecundi amoris motivo Deo ſummè dilecto offerenda noſtra obedientia, quâ humiliter & verecundè obtemperamus voluntati conditoris, qui naturam humanam ſic condere, & naturæ in neceſſariis ordinatè ſubvenire nos voluit.

VI.

HæcRegula ſupponit quaſi aſſiduam præſentiam Dei, non quidem præſentiam localem aut imaginariam, quæ multùm fatigat capitis vires, ſed præſentiam Dei in Deo ipſo, eſtque nihil aliud, quàm elevatio mentis ad altiorem quietum ſtatum in quo menti ac memoriæ nihil præſens eſt, niſi ſolus Deus. Cæterum licèt hujus regulæ praxis in ſe ſit ſuaviſſima, videbitur forſitan noſtræ corruptæ naturæ & inſueto vivendi modo oppidò difficilis, ad tollendam itaque hujus difficultatis radicem ſequitur

Regula IV.

Quod Regula Divini beneplaciti exigat, ut omnibus inferioribus motivis ultimum vale dicatur.

I.

REgula quarta eſt, per continuam mortificationem, abnegationem & averſionem crucifigere, morti tradere & ad nihilum redigere omnem inclinationem ad quæcunque motiva Divino beneplacito inferiora, ita, ut voluntas quocunque alio motivo præter divinum beneplacitum tam parùm moveatur ad conſenſum, vel ullum actum exercendum vel omittendum, quàm mortuus garritu avium ad ſaltandum. Dixi 1. *voluntas;* nam quin aliæ potentiæ ad ſuos actus, etiam voluntate ſubinde reluctante, moveri queant, nemini poteſt eſſe dubium. Dixi 2. *tanquam fine*, quin enim inferiora tanquam media ad finem Divini beneplaciti conducentia voluntatem ad ſui amplexum pro ratione conducentiæ movere poſſint ac debeant, iterum nemo prudentum dubitat. Dixi 3. *ad conſenſum, vel ullum actum exercendum, vel omittendum,* ad denotandum, quòd omnia ex fine Divini beneplaciti oporteat fieri, quòd non ex alio fine ſit in bonum conſentiendum,

nec

nec ex alio fine malo resistendum, nec ex alio fine vacandum, aut quiescendum, quâm ex fine, Deo summo bono placendi. Dixi 4. *omnem inclinationem ad motiva Divino beneplacito inferiora*, ad insinuandum, inclinationem in Divinum beneplacitum semper fovendam ac nutriendam esse, ita, ut non tantùm Divinum beneplacitum ante omne opus objectivè proponatur, sed ut insuper voluntas illa inclinatione continuò inclinetur, ac quasi pondere trahatur ad amoris obsequia Deo præstanda, nec non vi inclinationis hujus intellectum urgeat ad proponendum Deum summè dilectum, ejusque sanctissimum beneplacitum, omnibus aliis motivis in oblivionem rejectis.

II.

Ut hæc regula debitè & cum fructu reducatur in praxin, ponat sibi asceta quatuor classes motivorum. In prima classe sunt omnia motiva docentia ac suadentia actum malum, & hæc motiva secundùm se possunt esse tam bona, quàm mala. Sic quando quis allicitur ad furtum faciendum, ex motivo succurrendi pauperi, ubi motivum in se est bonum, actus autem malus, jam motiva hujus classis, utpote malum docentia, omnia semper pro semper sunt repellenda, excludenda & annihilanda, nec ulla ad talia voluntariè admittenda est in-

clinatio, quamvis appareant ſanctiſſima; quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. In ſecunda claſſe ponuntur motiva mala & vitioſa, ſuadentia vel actus in ſe bonos, aut ſaltem indifferentes & non malos. Sic quando quis allicitur ad orandum, vel ad exteriorem actum pœnitentiæ peragendum ex fine captandæ vanæ gloriæ, actus eſt bonus, finis autem malus. Pariter ſi quis pellicitur ad neceſſarium cibum ſumendum voluptatis causâ actus ſecundùm ſe eſt indifferens, motivum verò malum & vitioſum. Jam motiva hujus claſſis æquè omnia ſunt dimittenda, excludenda, & ad nihilum redigenda, actus autem ſunt ponendi ex motivo debito, niſi tamen adſit fundamentum credendi, Deum nolle poſitionem præfatorum actuum in iſtis vel illis circumſtantiis, cùm porrò experientiâ exploratum habeatur, per uſum, vel potiùs, per abuſum delectabilium vix non potiſſima impedimenta Evangelicæ perfectioni opponi, ac paſſim quotidianos exceſſus fieri, operæ pretium duxi, brevem hîc inſtructionem intermiſcere: ſciendum itaque, aliud eſſe delectationem ſentire, & aliud ex fine delectationis operari, & delectationem ratione ſui quærere. Naturalem delectationem in neceſſario ac ordinato uſu delectabilium, verbi gratiâ in refectione ordinata

ſen-

ſentire, procul dubio culpâ vacat, & nequaquam regulæ beneplaciti Divini repugnat, immo poteſt contingere, ut magnam delectationem guſtûs ſentiens, & præſertim cum voluntatis reſiſtentia ſuſtinens, Deo magis placeat, quàm omni guſtu carens. Uti autem delectabilibus ex fine ipſius delectationis & propter delectationem ſemper eſt malum ac profectui ſpirituali contrarium, nec excuſat â malo illa, per Innocentium undecimum cum propoſitione ſua jam reprobata ratio; *quia poteſt appetitus naturalis ſuis artibus frui ;* Nam ut appetitus naturalis, vel quælibet potentia ſuis actibus licitè fruatur, duo neceſſariò requiruntur: imprimis ſcilicet requiritur, ut fruatur ſuis actibus, libero arbitrio ſubjectis, ſecundum directionem voluntatis in honeſtum finem dirigentis. Quicunque autem actus voluntarius hoc fine honeſto caret, honeſtus ac licitus eſſe nequit. Deinde requiritur, ut ſuis actibus ordinatè & absque exceſſu utatur. Hinc ſi quis cibo aut potu inordinatè & cum exceſſu utitur, etiamſi millies clamet: propter Deum, ad honorem Dei, exceſſus ille nihilominus ſemper malus ac peccaminoſus manebit. Conſimiliter permittere delectationem ordinatam in uſu neceſſariorum ex fine honeſto, non eſt peccaminoſum; quia aliàs

 neque

neque fessis membris licitè possemus indulgere quietem, cùm & ipsa quies defatigato sit quædam voluptas. Permittere autem in usu necessariorum delectationem propter delectationem, & ex fine delectationis est culpæ obnoxium; siquidem non solùm facienda, sed & identidem permittenda ac omittenda secundùm rectam rationem, & ad finem honestum regulari debent. Non solùm in faciendis, sed etiam in permittendis est diligenter, & pro posse cavendum omne excedendi periculum, quod in usu delectabilium plerumque subesse solet. Unde â Deo illuminatæ ac ad perfectionem aspirantes animæ semper magis formidârunt delectabilia, quàm dura & aspera, probè gnaræ, delectabilibus multum inesse periculi, carnis prudentiam illam malam magistram facilè mentiri, & gustum illum malum ducem persæpe magno esse impedimento currentibus in stadio virtutis. Est itaque â periculo remotius, ad perfectionem conducibilius, exemplis sanctorum, ipsique vitæ Christi conformius, quantum per discretionem licet, semper minùs delectabilia, minùs arridentia præ arridentibus atque deliciosis eligere. In tertia Classe sedent ad cathedram motiva honesta ac bona, eaque tam naturalia, quam supernaturalia, docentia actus hone-

honestos & bonos, vel saltem de se indifferentes, qui tamen propter motivum honestum in individuo fiunt honesti; nam qualis est finis, talis est actus. Sic ambulare de se est indifferens, quando autem fit ex fine conservandæ sanitatis, evadit actus honestus; eo ipso enim quia lege naturæ jubemur vitam ac sanitatem custodire, honestum est, huic legi justæ morem gerere; Nam Deus & ipsa sana ratio naturæ malum aut quid inutile non imponunt, sed solùm honesta & bona injungunt. In ordine supernaturali pro exemplo serviunt; fugere peccata ex metu gehennæ, exercere bona opera ex concupiscentia æternæ gloriæ. Ubi certum est, quòd ejusmodi actus supernaturales sint honesti ac boni, licèt amorem sui ipsius, & respectum ad seipsum involvant. Siquidem solus amor sui ipsius inordinatus est vitiosus, non autem amor ordinatus, qui est medium ad amorem Dei, cùm itaque certum sit fugere gehennam, & concupiscere æternam gloriam, esse media ad amorem Dei, & quidem ab ipsomet Deo ordinata, non potest non esse certum, ejusmodi actus esse bonos; nam actus malus non ordinatur ad amandum Deum. Jam hisce motivis poterit asceta aut paucis silentium imponere, dicendo: verbi gratiâ non propter crumenam, sed propter aurum, non

propter sanitatem, sed propter divinum beneplacitum ambulo, non propter metum gehennæ, sed propter Dei beneplacitum â peccatis abstineo, non propter spem æternæ retributionis, sed propter sanctissimum Dei beneplacitum hos actus virtutum exerceo. Aut poterit cum sponsa ex canticis hanc interrogationem eis ponere: *num, quem diligit anima mea, vidistis?* Cant. 3. v. 3. id est, ducitisne me ad implendum beneplacitum mei delecti? servitne sanitas ad amandum Deum? deservitne mihi metus gehennæ ad Deum magis diligendum? inservitne gloria æterna ad complacendum summo bono? si non; nolo sanitatem, repello metum gehennæ, aversor ipsam gloriam in cœlo. *Quid enim mihi est in cœlo? aut â te quid volui super terram?* (Psal. 72. v. 25.) ô amor meus? quid omnia sine tuo amore nisi dolor? sin porrò serviunt ad finem Divini beneplaciti, tunc admittenda sunt tanquam media, sed non tanquam finis: paululum transeundo, & verbi gratiâ, sic concludendo: Procurabo mihi sanitatem, ut valeam Deo ad suum sanctissimum beneplacitum perfectius servire, effugiam infernum, ut Deo summè dilecto possim æternâ dilectione inhærere: laborabo pro cœlo, ut Deum summum bonum sine fine in æternum purè adamare queam. In quarta classe

ſe docent ſola motiva charitatis, ſolum purum amorem Dei ſuper omnia, admittendo quidem etiam inferiores actus, & inferiora motiva, aſt non, niſi in quantùm ſunt inſtrumenta ac media ad majoris amoris obſequia. Et hujus claſſis motiva (ſi tamen diligenter frequentaveris) te tandem creabunt perfectum Chriſti diſcipulum, perfectum Chriſtianum, perfectum Religioſum.

III.

Conſiſtit proinde praxis hujus regulæ in eo, ut motiva divino beneplacito inferiora admittamus quidem tanquam media & in tantùm, in quantùm deſerviunt ad placendum Deo ſummo bono, averſemur autem, crucifigamus, & in nihilum redigamus tanquam finem, ſeu ratione ſui, & inquantùm ad majorem Deo complacentiam exhibendam non deſerviunt, ad eum ferè modum, quo ægrotus amaram medicinam tanquam finem & ratione ſui averſatur & horreſcit, tanquam medium verò conducens ad ſanitatem, eandem concupiſcenti animo deſiderat, poſtulat atque pecuniis comparat.

IV.

Pulcherrimè docetur, & ſuadetur hæc regula illo Divino oraculo: *omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi* Iſaiæ 40. v. 17.

 nihi-

nihilum & inane reputatæ sunt ei. Ecce omnes gentes, immo omnes creaturæ in conspectu Dei sunt quasi nihilum & inane, & tamen voluit Deus tot creaturas producere! amabo! quid Deo cum inani nihilo? nempe serviunt ei tanquam media ad manifestandas suas divinas perfectiones, ideò tot tamque varias creaturas produxit, non ratione ipsarum creaturarum, quasi creaturæ in se essent dignæ. Sic & asceta imitetur Deum, sanitatem, omnia bona naturæ, omnia dona gratiæ ipsumque cœlum, & beatitudinem æternam coram se & in mente suâ reputet tanquam nihilum & inane, propter se nullo amplexu vel amore dignum, in quantùm verò sunt media servientia ad Divinam gloriam promovendam, & ad Divinum beneplacitum augendum, illa eligat, & prosequatur. Et certè quid est homo? quid est cœlum? quid sunt omnes creaturæ absque Deo summè dilecto? planè nihil. Ergone ampliùs homo tam inanis invenietur, qui ad persecutionem inanis nihili moveatur? Pariter hæc regula pulcherrimè docetur, & suadetur exemplo
Philipp. 2. v. 7. Christi, *qui semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Ecce! ut Christus personam servi perageret, personam

ſonam Domini coram hominibus ut plurimùm ita diſſimulavit, ita abſcondit, quaſi Dominium depoſuiſſet, quaſi non eſſet ampliùs Dominus divitiarum & ſupremæ majeſtatis, ſed ſolus ſervus pauper & humilis, & nihilominus manſit Dominus: quantò magis aſceta, ut Dominum Deum diligat in Spiritu Dei ex ſolo motivo charitatis, debet exinanire & ad nihilum redigere ſpiritum proprii amoris, & omnia motiva divino beneplacito inferiora, ita quidem, quaſi omnia depoſuiſſet, & ipſius tota vita ac ſpiritus quaſi nihil ampliùs eſſet, niſi merus amor divinus, quamvis interim tam ipſe quàm ipſius opera nec deſtruantur, nec deſinant eſſe, ſed tantùm eleventur, ad ſtatum altiorem. Nec minùs hunc operandi modum ſuadet ipſa natura, ipſe ſpiritus in homine; nam utique anima vel ſpiritus in homine non movet oculum ad legendum, ut oculus litteras videat? vel aurem ad audiendum, ut ipſa auris ſonum percipiat? hoc enim foret planè ridiculum. Sed ſpiritus operatur in corpus ac in potentias corporales propter ſemetipſum, ita, ut operationes potentiarum corporalium ſibi tanquam media ad ſuum deſideratum finem deſerviant, ſic verbi gratiâ movet oculum ad legendum; ut ipſe ſpiritus ex lectione aliquid addiſcat. Conſimiliter in ſcientia

dilectionis & in schola amoris vix non censetur ridiculum, sumere medicinam propter sanitatem, fugere peccatum propter gehennam, exercere virtutem propter vitam æternam. Nam sicut spiritus hominis operatur in corporales potentias, sic etiam spiritus dilectionis cupit operari in omnes inferiores virtutes, non ex fine, ut virtutes in suis sistant actibus, sed ut omnes actus inferiorum virtutum, omnes actus boni tanquam instrumenta deserviant spiritui dilectionis ad magis amandum Deum summum bonum. Unde facilè patet, hanc regulam ac praxin esse summæ excellentiæ, quemadmodum enim omnes actus, qui ordinantur ad adulterium, censentur instrumenta adulterii, & fiunt pessimi: sic è diverso omnes actus, qui assumuntur & ordinantur tamquam media ac instrumenta ad diligendum Deum summum bonum, elevantur per imperium charitatis ad rationem Divinæ dilectionis, & evadant optimi.

V.

Ex istis præterea manifestè colligere est, hanc praxin homini mortificato & abnegato neutiquam esse difficilem, sed potiùs suavem. Etenim amabo te, siquis potest operari vel laborare propter lignum aut stipulam, cur non etiam propter aurum & topa-

topaxion? Si quis potest laborare aut operari ad beneplacitum cujusdam mediastini, vel mendicabuli, cur non etiam ad beneplacitum & ex amore alicujus regis deliciosissimi? Et hem tibi aurum & quidem aurum ignitum est charitas, super omne aurum & lapidem pretiosum Deus summum bonum. Lignum & stipula omnia bona summo bono inferiora! si ergo propter stipulas, propter bona tam exigua possum operari? si bona comparativè ad summum bonum tam exigua me movent ad operandum? cur ergo Deus summum bonum me non potiùs moveat? hoc est fundamentum spiritualis vitæ: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Quæ ergo necessitas? quæ utilitas? quæ gratia? quæ delectatio? super fundamentum hoc superædificare ligna, fænum, stipulam, & operari ex motivis vilissimis? Ecce Rex deliciosissimus Deus! & quid ego? heu quid dicam mediastinus? cùm sim pulvis & cinis, peccator pessimus! Si ergo ex amore proprio in favorem mei ad placitum pessimi possum operari, cur non etiam ad beneplacitum ter optimi Dei? Immo verò confido in Domino hanc amoris regulam servire ad robur debilium, & ad consolationem pusillanimium: Est quippe aliquos reperire, â studio perfectionis abhor-

1. Corinth. 10. v. 31.
1. Corinth. 3. v. 12.

horrentes, eo quod sibi persuasum habeant, neminem posse ad perfectionem pervenire, nisi seipsum continuò veluti Diabolum horreat, & aversetur: ast hoc hæc regula non exigit, quin ordinatam sui ipsius dilectionem admittit; nec tamen fallit. Si enim propter Deum possumus ac jubemur proximum ordinatè diligere, cur non & nosmetipsos? nemo equidem potest perfectè amori Dei vivere, nisi amori proprio sit mortuus: ast non omnis amor sui ipsius est propriè proprius; amor namque proprius est propriè ille, qui in semetipso quiescit, & non refertur ulteriùs ad amorem communem, ad amorem Dei. Sine dubio odium sui est quasi fundamentum amoris Dei, nec habet homo majorem inimicum seipso, sed quid dicit scriptura de inimicis? nimirum: *perfecto odio oderam illos.* Possum quidem ex odio ergo me ipsum speculativè mihi optare infimum locum in inferno cum omnibus exoptabilibus perpetuis cruciatibus; ast quia practicus in infernum descensus Deo non placet, nec potest placere, tale odium in me ipsum, quo illuc deveniam. Ille se bene odit, qui se malum odit, ut fiat melior ac aptior ad amandum Deum, & ille se benè diligit, qui sibi vult optimum, nempe amare Deum. Verum quidem

Psal. 138. v. 22.

dem

dem eſt : *niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Aſt ſi mortuum fuerit vitæ inordinatæ, non autem ſi mortuum fuerit vitæ ordinatæ, & ſpiritui Divinæ dilectionis. Tractare ſe debet aſceta tanquam inſtrumentum Divini amoris, & imitari artificem, qui id omne in inſtrumento ſervat, quod ad exercitium ſuæ artis deſervit, id verô omne reſecat, quod artem impedit, aut minùs promovet.

Joann. 12. v. 24. & 25.

VI.

Denique, qui hâc viâ conſtanter ingreditur, tentationibus ſaltem manifeſtis per gratiam omnipotentis vix non invincibilis redditur; quia nullâ re afficitur, niſi quâ & ſub quâ ratione Deus diligitur.

Regula V.

Quomodo ſecundùm Regulam Divini beneplaciti exercendæ ſint omnes virtutes â Religioſo privato, & libero ab officiis?

I.

VOx amoris, vox dulcis, verumtamen ut divini beneplaciti ſatisfaciat auribus, cantare debet plenis choris, ſeu exercitio omnium

omnium virtutum; ita quidem, ut Divinus amor ſit quaſi chori regens, ad cujus tactum omnes reliquæ virtutes attendant, & canant, humilitate velut organo omnibus tribuente vocem, quâ clament ad Deum, reſpicientem in orationes humilium.

II.

In privata oratione, & ſolitudine cum Deo praxis talis erit. Quotiescunque aſceta in meditatione, in privata oratione, aut alias ſine occupatione in ſolitudine cum Deo verſatur, mente ſe proſternat ante majeſtatem ac fontem omnis boni corde contrito & humiliato Spiritu explicet ſitim amoris, exercendo interne ex intimo corde omnes virtutes principaliores, uti ſunt fides, ſpes, charitas, humilitas, religio, paupertas, caſtitas, obedientia, gratitudo, patientia, temperantia, pœnitentia, fortitudo, miſericordia, & quidem omnes ſemper ex fine pure Deo placendi, modo per deſideria, modo per ipſos virtutum actus, modo pro ſe, modo pro aliis, modo ſecundum longitudinem, deſiderando tali virtute Deo ſemper placere à parte ante & retrò, modo ſecundum latitudinem extendendo ad omnes poſſibiles actus, modo ſecundum profunditatem, offerendo ex infimo propriæ annihilationis, modo ſecundum alti-

altitudinem desiderando, similes actus elicere & offerre ex Seraphicò ardore. Jam dolendo pro se, jam pro aliis, quod Deus non ab omnibus talibus virtutibus semper honoretur, jam offerendo se ad omnia tormenta, ad omnia martyria, ad omnia opprobria, ut Deus ubique talibus virtutibus honoretur, jam gratias agendo, gaudendo, & congratulando, quòd Christus & Sancti ejus hujuscemodi virtutibus Deum glorificaverint, jam invocando Christum regem, & Mariam reginam Sanctorum cum Sanctis omnibus, ut adimpleant mortalium defectus. Nec opus, immo neque consultum est ad certum ordinem virtutum, vel ad certum actuum numerum sese alligare, sed prout menti & spiritui charitatis occurrerent, modo ab hoc actu in illum transeundo, modo priores iterum & iterum repetendo, ita, ut intellectus non fatigetur, & ad laborandum vix quid habeat, nisi quod Deum summum bonum amandum proponat. Ubi nihilominus quis se adhuc debilem vel tentatum advertit, ibi actibus & desideriis fortius instet, sicque â tentatione vel â distractione, vel â tepididate se liberum reddat. Si forsan allabitur illustratio mentis, fiat humiliatio cordis, & refusio gratitudinis in ipsum Patrem luminum, sin econtra hujuscemodi affectus sicci, & productu difficiles

appa-

appareant, pergatur nihilominus, pulsetur & instetur, non enim perditur tempus, ubi est promptitudo voluntatis ad quælibet bona agenda, & ad quælibet mala sustinenda in obsequium divini beneplaciti, nam hoc ex angelico magistro habeatur pro certo, quod vera devotio nihil sit aliud, quàm *speci-*
2.2. qu. 82. a. 3. *cialis quidam actus voluntatis promptæ, & paratæ ad faciendum, quæcunque ad Dei servitium, & famulatum spectant.* Ergo ille est verè devotus, qui ita per omnes virtutes ad Deum summum bonum amandum est promptus. Quod si voluntas ad tanta mala promptè sustinenda, vel ad quædam alia amplectenda fortasse trepidare, hæsitare, aut refugere inchoet, fiat vilipensio propriæ miseriæ, invocetur gratia omnipotentis pro confortatione humanæ infirmitatis. Sit hujus praxis tantum breve exemplum. O increatum, immensum, & inexplicabile bonum! ecce ego omnium infima creatura, ego peccator de profundis meæ vilitatis amando ad te clamo, & clamando te amo super omnia, per omnia interiora & exteriora mea, in omnibus motibus, in omnibus actibus, in omnibus creaturis, omni possibili amore, cùm omnis perfectionis inclusione. O bonum æternum! ô utinam te potuissem ab æterno purissime & perfectissime amare, ô utinam à modò in omnem

omnem æternitatem ſine ulla interruptione ſemper omni poſſibili amore te amaturus eſſem! ô utinam per omnia excogitabilia ſuſtinenda tormenta & opprobria poſſem obtinere, ut te omnes creaturæ perfectiſſimè ſemper ament. Ecce ô bonum bonorum, ego amo te loco omnium creaturarum: locò omnium mortalium in terris degentium credo firmiſſima fide ob tuum ſanctiſſimum beneplacitum omnes articulos Catholicæ fidei, paratus ſum loco cujuslibet hominis ad tuum beneplacitum pro tua ſancta fide, pro qualibet fidei veritate atrociſſimum ſubire martyrium. Ecce amor ſpei meæ ob tuum beneplacitum loco omnium mortalium ſpero in te fortitudo mea & auxilium meum, elicitosque volo omnes actus ſpei tibi placentes. Loco omnium mortalium offero me in omnibus imperatis vel imperandis ad omnem obedientiam charitate plenam. Loco omnium mortalium cupio carere omni ſolatio, ut pauper ſpiritu placeam divitiarum Domino. Loco omnium mortalium anhelo caſto corpore & puriſſimo corde tibi omnis puritatis fonti placere, omnesque tentationes caſtitati noxias loco omnium mortalium feſtino generoſoque pede conterere. Scio equidem, ô incomprehenſibile bonum, omni amore dignius, ſcio & gaudeo, quod te ipſum ab æterno digne ames, &

in omnem æternitatem te ipſum infinitè amaturus ſis. Verumtamen amans amabo! diffundatur amor tuus in omnes creaturas, ita, ut non ſit locus, in quo non ameris, non ſit creatura, â quâ non ameris, non ſit temporis momentum, quo non ameris ab omnibus creaturis omni amore poſſibili, ut non ſit ullus creaturarum motus, qui non procedat â Divini amoris impulſu, ut non ſit ullus actus, qui non actuetur in tuum ſanctiſſimum beneplacitum: ut non ſit ulla in rerum natura mutatio, quæ non ſit altior in amorem Divinum aſcenſio. Omnes creaturarum motus ſint in ſignum, quod te bonum bonorum amem, teque unicè ſemper amare poſtulem. Omnes etiam damnatorum blaſphemiæ ſint in ſignum, quod te toties amem, teque ſemper amare, ſemper laudare, ſemper magnificare, ſemper benedicere, ſemper honorificare, ſemper adorare percupiam. O ſuperabundantia omnis amabilitatis! ô utinam tibi nunquam diſplicuiſſem! ô dolor! ô amor! quid egi? ô me miſellum! quare non eſt magna velut mare contritio mea? quoniam offendi oceanum omnis bonitatis! vel ſemel tantum bonum offendiſſe, meretur dolorem ſemper, vel leviſſimè offendiſſe meretur dolorem maximum. Unica etiam minima in Creatorem offenſa eſt tanta, ut pro-

pte-

pterea omnes creaturæ perpetuum luctum & planctum jure merito deberent assumere. Heu quis dolor sufficit pro iniquitatibus meis, quæ supergressæ sunt capillos capitis mei! Circumdate me dolores inferni, jam hisce torquear omnibus, qui offendi infinitum bonum bonorum omnium, præ dolore scindatur cor meum in partes, quia offendi totius consolationis bonum. O quot dolores, si considero tot iniquitates, tot offensas in mundo contra amorem increatum ac immensum infinitâ dilectione majorem. Ecce amoris ac omnis amabilitatis essentia, mille me lubens immitto infernis, si impetrare valeam, ut nunquam amplius offendaris ab ulla creatura, nulla sit amplius culpa, quæ non ab omnibus creaturis deploretur, nullum amplius peccatum, quod non devitetur, nulla amplius imperfectio, quæ non caveatur, omnis virtus semper ab omnibus exerceatur ad tuum beneplacitum, omnis creaturarum affectio sit ad tuam voluntatem, omnis actus offeratur ad tuum honorem, & nihil fiat, nisi ob tui amorem. Hisce paucis hanc praxin tantum quoad paucas virtutes breviter, ac obiter tangere volui, confisus in Domino, ascetam lectorem per constantem exercitationem & experientiam, tantos ac tot docendum esse affectus, ut eisdem conscribendis integrum librum implere valeret.

III.

In choro, in omnibus horis canonicis & in missa, præprimis quidem studiosè attendendum est, ne irreverentia aut confusio fiat, sed ut singula verba distinctè ac debitè pronuncientur, ut præcipuè lectiones & similia per solum auditum in obligationis satisfactionem ducenda, bene intelligantur, ut cæremoniæ, citra omnem offensionem chori decenter observentur, his verò custoditis, animus æquè revocetur ad prædictam praxin, & ad exercitium virtutum. Si occurrit verborum sensus exercitio virtutum conveniens, accommodetur eidem affectus. Sin minus, in suo exercitio pergat asceta, non enim sensui verborum tenacius inhærens, sed ardentiùs amans efficaciùs orat, & dulciùs cantat in aure Dei.

IV.

Nec istud exercitium, etiam in horas protractum facilè caput fatigat, dummodò hæc tria observentur. 1. Ne in phantasia formentur imaginationes, & ne intellectus occupetur laboriosa investigatione, aut scrutatione, sed quiescat simpliciter contemplando summum bonum objectivè propositum. 2. Ut Spiritus (inter sphæram amoris tamen) relinquatur liber, & non alligetur

getur ad certa, neque ad certum ordinem neq; ad certum numerum actuum. 3. Ut voluntas impetuosè & cum capitis agitatione non cogatur ad sensibiles experientias, & gustus, sed patienter operetur, donec invitetur ad prandium, ipsique dicatur: *gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Psal. 33. v. 9.

V.

Præcipuè majori dilectionis ardore, puriorique mentis recollectione huic amoris exercitio insistendum est ante, & post tremendum missæ sacrificium: ante missam quidem vel ante sacram communionem cum omnibus cœlitibus inenarrabilibus gemitibus invitanda & imploranda est Regina cœlorum, ut virgineis suis affectibus dignetur sternere ac præparare cænaculum grande pro Divino agno Paschali, ut in cænaculo cordis nostri tanquam Mater pulchræ dilectionis dignetur elicere omnes actus charitatis, humilitatis, aliarumque virtutum, quos per totam suam vitam, præsertim ante mysterium incarnationis, tanquam Deo gratissima tympanistria cecinit, ac unquam elicuit, & quoscunque dilectissimo filio placere non nescit, ut jubeat omnes Seraphinos Seraphico ardore intonare concentum omnium desideriorum Altissimo placentium, vel ut ipsius exoratus precibus ipse

filius in cœnaculo cordis nostri dignetur sibi sternere lectum virtutum floribus, dignum ad quiescendum tanto dilecto. Paucis non sit asceta affectibus parcus pro excipiendo tam liberali hospite? Post sumptam Eucharistiam verò fiat sui ipsius annihilatio, & expropriatio, dicatque asceta: ô Rex tremendæ majestatis, ô dulcedo omnis bonitatis! *quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei!* descendisti rursum in infernum, & quidem in infernum inferiorem: non enim potuisses invenire locum ac habitationem me abjectiorem; verum tamen tantùm dic verbo, & placita tibi erit anima mea. *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Ecce, omnia mea tua sunt. Si ergo in me vivis amor cordis mei, moriatur in me omne, quod tibi displicet, quod non est tua vita. Vivo ego, jam non ego, ergo & operer ego, jam non ego, sed operetur in me dulcis Jesus meus, operetur in me semper, quæ sunt placita Patri: operare in me fons amoris, offer tuo Patri in me omnia tuæ passionis mysteria, omnia vulnera, omnia merita, donec ego vixero, donec commendes spiritum meum tanquam tuum in manus Patris.

2. Reg. 9. v. 8.

Ad Galat. 2. v. 20.

VI.

VI.

In reliquis exercitiis, uti in labore, in refectione, in recreatione: & in omnibus similibus exercitium hujus regulæ hæc tria exigit observari. 1. Ut singulis operibus pura intentio ex solo impulsu Divini beneplaciti præmittatur. 2. Vigilans attentio, ut hæc intentio saltem virtualiter continuò conservetur, ac frequenter de novo inflammetur, sicque adimpleatur illud Christi Domini: *oportet semper orare, & nunquam deficere.* 3. Ut datâ quâcunque occasione ipsæ virtutes non solùm affectu, sed etiam effectu exerceantur. Occasio namque exercendi virtutem manifestum facit, utrum affectus fuerint veri vel falsi? unde rursus super hanc regulam non est tam examen instituendum, quotnam quis exercuerit actus, quàm potiùs, quotiesnam ab hac Regula defecerit?

Luc. 18. v. 1.

Regula VI.

Quomodò secundùm Regulam Divini beneplaciti ambulare possint officiales vel superiores?

I.

IN comperto est, per officia viâ saltem ordinariâ animas etiam religiosas distrahi, & Magdalenam abstrahi â pedibus Christi; si

si enim Marthæ Virgini tam sanctæ occupatæ solùm culinæ officio, â Christo di-
Lucæ 10. v. 41. ctum est: *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima*; quid mirum Religiosos officiales, præsertim superiores quandoque turbari ac distrahi. Verùm facilè recolligitur, quisquis non dispergitur extra chorum & Regulam Divini amoris. Multa quidem debemus officialibus, quia nobis
Hebr. 13. v. 17. ministrant, plurima superioribus: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus nostris reddituri*: Hinc in notam gratitudinis, & in laboris solatium utrisque quidem lubens specialem offerrem libellum; at verò discipulum, præsertim de similibus tacere condecet, nisi jusserit Superioris voluntas: offero tamen, quâ par est, submissione, compendiosissimè regulam Divini beneplaciti; nam verè quærenti Deum divinum beneplacitum displicere non potest; præsertim post sacram annuam soli-
Sap. 6. v. 6. tudinem. *Judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Sed nihilominus si Superior præest ad amussim Divini amoris, facilè centum coronas meretur in cœlis, ubi for-
1. Timoth. 3. v. 13. san subditus vix unam & alteram; *qui enim benè ministraverint, gradum bonum sibi acquirent*, & qui super pauca est fidelis in terris, super multa constituetur in cœlis.

II.

II.

Quid agendum hyemis tempore cum hypocausto, in quod omnibus obviis patet liber ingressus, ita, ut his egredientibus ingrediantur mox alii, datâ januâ ab isto in illum, ab uno in alterum? nempe plura ligna immittuntur fornaci, statim mane major ignis instruitur, & antequam calor in hypocausto plenè evanescit, igni novis lignis succurritur. Et quid agendum in officio, ubi labor laborem excipit, molestia molestiam premit, ubi modò hoc, modò illud vocat, modò hic, modo ille clamat? Nempe major est construenda strues sanctorum affectuum ac desideriorum pro igne Divini amoris, statim mane fortiùs insistendum est amoris affectibus, & communiendus animus pro omni eventu per diem fortasse futuro. Antequam intepescat propositum soli placendi Deo, crebris affectuum alatur flammulis unicè quærentibus beneplacitum Dei. Præscita latronum discrimina magnâ præoccupantur cautelâ, nec minùs distractionum periculis studiosior est præmittenda præmunitio animi.

III.

Quovis mane tria asceta officialis præcautâ dispositione præveniat; nimirum se ipsum, officium suum, & inopinatos even-

tus. Seipſum attendat interiùs, & exteriùs, interiùs, ut quotidie creſcat in ſpirituali profectu, & charitatis augmento; exteriùs, ut omnibus præluceat bono exemplo. In omni ſui officii negotio tria ſpecialiter ante oculos habeat. Ante negotium providentiam, ut omnia benè ordinentur ac præparentur; in negotio vigilantiam, ut nihil negligatur, aut negligenter tractetur; poſt negotium reflexam memoriæ notam, ut ſciatur, quid impoſterum retinendum, aut corrigendum. Tribus contra inſperatos eventus ſpecialiter armetur; nimirum manſuetudine, ne variis eisque perſæpe inconditis hominum moribus exacerbetur; patientiâ ne occurrentibus moleſtiis ſuperetur, & reſignatione in Deum, ne repentinis caſibus perturbetur.

IV.

Quatuor œconomia ſpecialiter promovetur: videlicet providentiâ in procurandis, moderatione in expendendis, diligentiâ in rationibus faciendis, plenâ fiduciâ ad Deum in obtinendis.

V.

Tria ſpecialiter debentur hoſpitibus, ſcilicet charitas ſine adulatione, moderata menſa ſine oſtentatione, religioſa ædificatio cum morum & ſermonis gravitate.

VI.

VI.

Triplex memoria superiori debetur, videlicet memoria propriæ vilitatis, ne in dignitate efferatur. Memoria mortificationis, ne in occasionibus dissolvatur, & memoria Dei semper præsentis, per quem in suo officio dirigatur.

VII.

Tria superior debet religiosæ communitati. Nimirum documentum ardens, exemplum lucens, alimentum conveniens. Documentum tempore oportuno, exemplum tempore continuo, alimentum tempore consueto. Documentum ardens habeat salem eruditionis, exemplum lucens oleum operationis, alimentum conveniens memoriam paupertatis.

VIII.

Tribus per superiorem jugum Religionis suave, & tamen Deo acceptabile redditur; nempe jussione charitativâ, discretione verâ, commiseratione paternâ. Per jussionem charitativam subditi diriguntur in amore, per discretionem veram conservantur in fervore, per commiserationem paternam perficiuntur in confidentia. Quia verò ad istos nobilissimos fines obtinendos multa requiruntur; hinc præfata tria puncta hîc majori pensiculatione examinanda sunt.

IX.

Non itaque juſſio charitativa eo accipienda eſt ſenſu, quòd ſubditus ad obtemperandum ſit quaſi rogandus, vel interrogandus, quid velit: ſed eo ſenſu, ut ex charitatis imperio procedat imperantis imperium, & quidem tam ex charitate Dei, quàm ex charitate erga ſubditum, tum & identidem ex charitate ergo communitatem, ſi juſſio & ordinatio communitatis bonum concernit. Ex charitate erga ſubditum, ut intendatur ad ejus animæ ſalutem, ad majorem ſpiritualem profectum, ad majus perfectionis remedium. Erga communitatem verò, ut communitati talis ordinetur, ac præficiatur perſona, ex qua hæc tria emolumenta ſperare non nequeat; nempe juſtam ſatisfactionem, ædificationem, & conſolationem. Juſſio charitativa, non eſt tam ſollicita, ut fiat, quòd imperat, quàm ut fiat perfectè & ad Divini amoris obſequium, ſcilicet humiliter, ſuaviter, hilariter, & cum magno divinæ dilectionis ardore. Charitativa juſſio non quidem rogat, aut interrogat, aſt ita tamen adhortationum aratro ſubditi excolit ac prævenit animum ante imperium, ut ſemen præcepti jam reperiat terram excultam, & ad proferendas dignos obedientiæ fructus paratam. Non enim ideò obe-

obedientia est tanta, quia est obedientia; nam & Dæmones obediunt majori, sed idcircò est magna; quia exhibetur Deo tam magno Domino magnâ charitate, ex magna humilitate. Quid adeò prosunt imperanti sua imperia sine charitatis imperio, cùm imperare etiam Pagani & Ethnici queant? Illud est laudandum imperium, quod tam imperanti quàm obtemperanti cedit ad meritum, ubi tam jussio, quâm ejus executio fit ex divini amoris impulsu, Nemo quidem nescit exempla Sanctorum, qui subditos suos quandoque subitâ voce, aut alio nutu ad extra-ordinarias vocavêre obedientias: ast neque nesciendum, alia imperia esse tentationis seu probationis, & alia directionis; unde, dum Deus proprium immolare filium Abrahamo præcepit, scriptura non sine causa præmisit: *tentavit* Genes. 22.
Deus Abraham, & dixit ad eum, &c. Va- v. 1.
riè sine dubio probandi sunt Tyrones, possunt subinde quoque tentari veterani, non tamen ita ordinariè diriguntur animi in via virtutum, sed potiùs præparatione Evangelii pacis & in vinculis charitatis trahuntur ad currendum vias etiam duras inenarrabili dilectionis dulcedine. Novi Abbates, qui tum bono exemplo, tum suavi animandi modo jejunia sabbathina, disciplinæ reformationes, aliasque laudabiles obser-

vantias introduxêre, quas planè nunquam obtinere potuiſſent nudo imperio, in quo tamen absque dubio tum ſubditis animabus, tum diſciplinæ ordinis plus profuerunt, quàm ſi Religioſum forſan particularem ſuo imperio ſuccenſæ feciſſent inſilire

Eccli. 44. fornaci; nam *cum ſemine eorum permanent bona*, etiam poſt multos annos ipſis adhuc ad ſpeciale gaudium in cœlis, quia ſeminârunt ſemen juſtitiæ, quod etiam poſt multos adhuc annos fructificabit. Hæc eſt

S. Regul. cap. 2. præcipua noſtra Regula, *ut in omnibus omnes magiſtram regulam ſequantur, neque ab ea temerè devietur à quoquam.* Sacra autem almifici Patris Benedicti Regula vix ullum Præceptum aut ſtatutum ponit, quod non ſuadet ac condit pluribus ſcripturarum ponderibus, eo ſanè fine, ut omnia ex charitate, perfectè & ordinatè fiant in domo Dei, quia ſic eſt acceptum coram Altiſſimo.

X.

Pariter diſcretione verâ jugum Religionis ſuave Deoque acceptabile redditur, non autem diſcretione falſâ, quæ rigorem modò in illis mitigando, diſſimulando, connivendo, indulgendo, favendo, &c. videri vult magna, quæ proprio ſuo nomine eſt appellanda practica laxitatis magiſtra. Profectò ſive hiſtorias Sanctorum, ſive

ipſas

ipſas experientias conſultum imus, facilè contuemur, rigidiores plerumque inveniri diſcretiores, laxiores verò indiſcretiores; nec mirum; nam rigidiores plerumque Spiritu Chriſti ducuntur, qui præcipuus diſcretionis magiſter, certè non latam aut ſpatioſam, ſed arctam & anguſtam viam docuit, quam tamen ſuo ſuaviſſimo exemplo, ſuo ſuaviſſimo docendi modo, ſuis promiſſionibus ac gratiis adeò ſuavem reddidit, ut dicere non dubitet: *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus leve.* Matth. 11. v. 30. Sed quare jugum Chriſti ſuave eſt? audiamus rationem. *Tollite* (inquit ibidem) *jugum meum* v. 29. *ſuper vos & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Laxiores econtra plerumque ducuntur Spiritu mundi, qui etiam inter libertates & voluptates, etiam inter divitias & epulas ſuos malè tractat. Adeò ut aſſerere liceat: *melius eſt habitare in terra* Proverb. 21. v. 19. *deſerta, quàm cum muliere rixoſa & iracunda.* Melius eſt ſub amante Patre olera & fabas comedere, quàm ſub tumultuante & nunquam quieto magiſtro quotidie epulari ſplendidè. Conſiſtit itaque vera diſcretio in ſuavi tractandi modo, inter neceſſitates & neceſſitates diſcernere gnaro; non autem in multitudine favorum blandientium ſenſui. Verum quidem eſt illud:

neſcit

neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare. At nec minùs verum eſt iſtud: qui multùm diſſimulat, parum prodeſt. Diſſimulari ſubinde poteſt in particulari Religioſo particularis defectus: aſt non ita defectus communis in communitate. Ratio primò datur, quia Religioſus privatus frequenter per ſe ipſum ſe corrigit, quod inconſideratè peccavit, aſt communitas vix unquam. Privatos Religioſos novi multos qui ex propria applicatione ſuos correxêre defectus: aſt communitatem nec ſcio unicam quidem, quæ vel minimum defectum, vel minimum neglectum cæremoniarum emendâſſet unquam absque expreſſâ ſuperiorum authoritate; nam quidquid ſemel commune eſt, jam auctoritatis eſt, etiamſi ſit peſſimum. Ratio ſecundò datur. Quia defectus privatus in Religioſo privato non ſtatim adeò obeſt diſciplinæ monaſticæ, multùm autem obeſt defectus communis, utpote correctu difficilior, & Divino aſpectui deterior. Propter maculam in particulari membro, præſertim inferiori, non ſtatim totum corpus diſplicebit: aſt ſi totum corpus maculoſum eſt, cui placebit? quomodò ſupremo Paſtori Chriſto placebit Paſtor, ſi ejus negligentiâ totus grex vel in minimo inficitur, vel in minimo retardatur â majoris perfectionis emolumen-

lumento? Conſimiliter poteſt quandoque Religioſo particulari propter ſpeciales labores ſpeciale indulgeri ſolatium; aſt non ita facilè communitati. Ratio primò eſt, quia quod in particulari concèditur, ut plurimùm tanquam favor accipitur, quod autem omnibus indulgetur, à nemine ut favor agnoſcitur. Ratio ſecundò datûr. Quia quod communitati conceditur, propediem feſtivis characteribus calendario inſeritur, ut ſimili occaſione vel feſto tanquam debitum expetatur, quidquid vel ſemel fuit ex ſpeciali favore conceſſum: Superiori autem erit reddenda ratio de omnibus exceſſibus, quicunque vel ex tali conceſſione, vel ex tali rigoris mitigatione, vel ex tali diſſimulatione & conniventia etiam poſt multos annos evenerint; ipſe enim ſparſit ſemen talium fructuum. Judicia Dei abyſſus multa, & quid ſi in abyſſo Divini judicii inſuper intueri cogatur, quòd ex ſua diſſimulatione, vel indiſcretà conceſſione malum laxitatis eò excreverit, ut etiam ipſum tandem monaſterium aut in manus ſæcularium, aut omnino in manus hæreticorum devenerit? hoc enim apud viros expertos in comperto eſt, quòd maximæ ruinæ â minimis neglectis incipere ſoleant, nec minùs certum eſt, quòd jam habeantur prodromi magni mali, ubi minimi communi-

tatis defectus passim à superioribus dissimulantur, ac neglectui ducuntur. Hæc quidem non ita intellecta velim, quasi non omnibus sit eadem communis impendenda dilectio, sed, ne passim communia adaugendo solatia, rigori disciplinæ infligatur vulnus, vix non insanabile. Sit proinde discretus superior, velut discretus medicus, qui infirmas animas regendas suscepit. Medicus non ex eo discretus dicitur, quia omnia indulget, quæ petit infirmus, sed ex eo, quia infirmum consolatur, salutifera medicamina præscribendo, sanitatem promittendo, commiserationem cum infirmo habendo, sic nec superior ex eo est appellandus discretus, quia est liberalis indultor, sed ex eo, si revocat ad memoriam subdito nostræ professionis altitudinem, æternorum præmiorum magnitudinem, Divinæ bonitatis dulcedinem, si lenit charitatis oleo & scripturarum unguento afflictiones & vulnus infirmi. Unde

XI.

Commiseratio paterna in eo consistit, ut omni hora ad Superiorem pateat accessus, ut ibi omnes in dubiis reperiant consilium, in afflictione solatium, in tentatione remedium, in derelictione auxilium, ut pusillanimes inveniant consolationem, debiles animationem, deficientes correctionem, profi-

proficientes admonitionem, perfecti confortantem inclinationem animi. Sic quippe omnia nostra in charitate fient, & erit, servitium nostrum acceptum coram Deo & hominibus. 1. Corinth. 16. v. 14.

Cap. II.

REGULÆ ASCETICÆ.

Quoad tentationes & cruces, seu quoad vitam patientem.

Regula I.

De tentationibus vincendis.

I.

OMissis cunctis aliis huc non pertinentibus, pro infallibili Regula teneat asceta, in hac viâ omnia esse pro tentationibus habenda, pro tentationibus reputanda, instar tentationum fugienda, ac per generosam resistentiam fuganda, quæcunque non movent ac provocant ad implendum Divinum beneplacitum, hoc tamen servato discrimine, quòd actus mali neque ut media possint admitti, sed semper, ex fine Deo placendi, sint omittendi, cavendi, ac detestationibus, abominationibusque

procul pellendi, econtra verò actus boni vel etiam indifferentes tanquam media ad Divinum beneplacitum magis honorandum poſſint admitti. Ratio primi datur, quia actus mali nunquam poſſunt placere Deo, actus boni autem vel etiam indifferentes præmiſſâ purâ intentione ſunt referibiles in Divinum beneplacitum. Quotiescunque itaque vel minima cogitatio ſubit, aut aliquid agendi aut omittendi, aut amplexandi, aut removendi ex alio fine, quàm ex fine Divini beneplaciti, protinus expellatur, reſiſtatur, ſicut ſolemus reſiſtere tentationibus ad malum, allidatur absque mora hujuscemodi cogitatio ad Chriſtum ita, ut nihil quæratur, niſi Chriſti ſanctiſſima voluntas, ejus Divinum beneplacitum: quòd ſi quis advertit, adhuc aliis Divino beneplacito inferioribus motivis ſe moveri, & non parùm affici, ſciat pro certo, ſe necdum eſſe hominem verè ſpiritualem, ſe necdum unicè vivere Deo, nec adhuc ducere vitam abſconditam cum Chriſto in Deo, ſe necdum eſſe mortuum vitæ inferiori, ſe adhuc illis vivere rebus, quibus afficitur. Sin porrò motivis Divino beneplacito inferioribus ut plurimûm cum magna facilitate ac jucunditate Spiritûs ſtatim reſiſtere ſoleat, poteſt piè in Domino confidere, ſe ambulare in via juſtitiæ, quamvis

vis forsitan in extraordinariâ tentatione, aut in alio extraordinario casu subindè quoque difficultatem aliquam experiatur. Ad istam nec minus regulam examinare se poterit, quisquis scire cupit, utrum illam aut illam virtutem possideat, vel utrum eâ adhuc careat? Si enim adhuc facilè labitur, habet manifestum testimonium contra se, quòd tali virtute adhuc careat; siquidem lapsus non sunt proles virtutum, sed fructus & effectus vitiorum. Si lapsus quidem cavet, tentationibus contra talem virtutem resistendo, at non nisi cum magna difficultate; tunc signum est, virtutem esse adhuc valde exiguam, ac infirmam. Sin autem cum magna facilitate omnes tentationes, tali virtuti contrarias, ut plurimum repellit, tunc gaudet indicio inhabitantis virtutis, tametsi quandoque raro tamen, in repellendis ejusmodi tentationibus aliquam difficultatem persentiscat; quoniam variis edocemur historiis, etiam sanctos quandoque ita ordinante Deo, sensisse similes difficultates. Permittuntur hujuscemodi difficultates â Deo quandoque ex justissimis ac sapientissimis rationibus. 1. Ut cognoscatur, & eó pluris æstimetur Divina gratia, & ne homo arbitretur, se suo labore ad talem statum ascendisse, propriisque jam posse stare conatibus. 2. Ut tantò magis

anima in humilitate propriaque vilipensione conservetur. 3. Interdum in pœnam alicujus fortè admissæ vanæ complacentiæ, vel contemptûs proximorum. 4. Ad ingerendam cautelam contra præsumptionem, ne nimirum homo nimiùm de se præsumens periculis exponatur. 5. Pro dispositione ad novas gratias, & ad majus meritum.

II.

Arridet forsitan adhuc luculentior declaratio, quomodo fieri possit, ut homo nullâ ampliùs re afficiatur, & ne ipsis quidem salutis mediis propter se ipsa? Sit proin hujus rei vix non palpabile exemplum Adolescens Bernprochius, Oeniponti natus, certis porrò ex causis Norimbergam delatus, cogitat inde ad proprios penates reverti, hunc in finem accedit Præfectum cursorum, quærens, quo die dirigatur cursus publicus Oenipontum. Apud Præfectum cursorum principiò ipsi, & quidem gratis offertur cursus publicus Pragam, promittuntur ipsi insuper ab aliquo Pragam tendente juvene splendidæ epulæ cum vino optimo, si consentiat se viæ comitem jungere; sed omnia incassum, Bernprochius constanter respondet, quid mihi Pragæ negotii? ego ad dulcem Patriam aspiro, utitur itaque curru publico Oenipontum destinato, conscendit,

dit eundem, versus suam Patriam vehitur. Jam vidimus Bernprochium nullo modo potuisse persuaderi ad iter Pragam capessendum, & ne quidem minimum illuc affectum, sed potiùs aversionem ostendisse: enimverò forsitan quis arbitrabitur, Bernprochium fuisse affectum currui publico, quo in suam Patriam vehebatur? forsitan, quis somniabit, Bernprochium similia secum cogitâsse aut dixisse: hodie dormiam propter currum; hoc faciam in honorem currûs; in favorem currûs hodie abstinebo â vino? amabo? quis non rideret similia? Bernprochius quidem optat, ut currus inviolatus permaneat, ast minimè nec quidem ex minimo affectu erga currum, sed solùm ideò, tum ne suâ occasione orbetur, tum ne Dominus hujus damnum patiatur, cæterùm autem ad currum prorsus affectum nullum gerit, neque minimum in se sentiet commiserationem cum curru, etiamsi casu confringatur, & si ex tali casu dolet, tantùm dolet tum ob ablatam sibi occasionem, tum ob Domini damnum. Ecce! in isto exemplo nobis duo consideranda occurrunt. Primò invitatio Pragam, quam Bernprochius sapienter contempsit, siquidem fuit contra ipsius intentionem, & fuisset potiùs abductio, quàm promotio in patriam. Secundò currus tanquam medium,

dium, quo fuit usus in suo itinere absque tamen ullo affectu erga ipsum: eodem modo se res habet in nostro negotio. Imprimis possunt occurrere, & sæpius occurrunt talia, quæ nos â Divino beneplacito aut abducunt, aut impediunt, aut saltem ad ejus prosecutionem nihil prosunt; talia igitur omnia semper pro semper sunt respuenda, ac repellenda, eo ipso, quia sunt contra nostram intentionem, nosque potiùs impediunt, quàm promovent ad nostram dulcem Patriam; dulcis enim Patria nostra est solus Deus summum bonum, sine quo ipsum quoque cœlum nobis foret merum exilium, & quidquid ad præfata similia bona nos allicit, tanquam tentatio rejiciendum est. Deinde alia sunt, quæ nobis ad Deum amandum deserviunt, & habent se (sic loquendo) per modum currûs, & per modum mediorum, quibus provehimur ad Divinum beneplacitum adimplendum, talia sunt tam dona naturæ, quàm bona gratiæ, quàm ipsa etiam bona æternæ gloriæ; hæc enim per bonum usum nobis omnia ad Deum super omnia amandum inserviunt, & hinc in ordine ad Divinum beneplacitum implendum admittenda sunt. Interim tamen ad similia non est habendus ullus vel minimus affectus, sed debet se asceta erga talia gerere sicut Bernprochius

prochius erga currum, nimirum propter talia neque eſt aliquid operandum, neque omittendum, ſed unicè duntaxat admittenda, inquirenda ac uſurpanda ſunt, in quantum tanquam media deſerviunt ad amandum Deum ſummum bonum. Hinc ſi fortè aſceta ſive ſuâ ſanitate, ſive ſuâ bonâ fama privatur, neque debet cum ægro ſuo corpore ullam commiſerationem habere, neque propterea contriſtari, niſi præcisè in quantùm impeditur â ſuo fine, videlicet â Deo ſummo bono diligendo, atque ab ipſius ſanctiſſimo beneplacito implendo, ſecus enim talis affectus erga ſimilia bona non minus, ſed magis foret ridiculus, quâm affectus cujusdam itinerantis erga currum publicum.

III.

Practicè itaque in Divinis ad primam mox advertentiam repellendæ ſunt omnes diſtractiones ex eo fine, quia non ſerviunt, ſed potiùs impediunt Divinum beneplacitum, ex eodem fine propediem excutiendæ ſunt omnes cogitationes impertinentes, quamvis alioquin ſanctæ; quoniam non ſerviunt Divino beneplacito, quoad tempus & locum, adimplendo, ſic etiam extra Divina ex eodem motivo rejiciuntur omnes cogitationes inutiles, vel minus ſanctæ, corriguntur omnes inordinati ac mi-

nùs perfecti affectus, caventur omnia verba reprehensibilia, devitantur omnia opera statui ac amori Divino minùs convenientia, corriguntur ac emendantur omnes imperfectiones, & denique per vigilem curam cum constanti praxi hujus exercitii animus in amore Divini beneplacito adeò roboratur, ut neque per oblata omnia cœlestia gaudia possit ampliùs induci vel ad minimam imperfectionem deliberatè admittendam. Ratio in promptu est, quia ipsa cœlestia gaudia sunt tantum media ad Divinum beneplacitum, ideò enim Deus beatos æternâ gloriâ satiat, quia sic placitum est in suis divinis oculis, cùm ergo juxta omnem sanam rationem finis semper sit præponendus mediis, non potest non esse manifestum animo amanti, potiùs esse sustinendam jacturam omnium bonorum, non tantum terrestrium, sed etiam cœlestium, quâm minimam duntaxat committendam imperfectionem contra Divinum beneplacitum.

IV.

Cæterum de tentationibus proprie talibus discurrendo, sciendum venit, alias tentationes esse apertas, & ut tales cognitas ipsi tentato, alias autem occultas, & ipsi tentato, ut tales non apprehensas, neque cognitas.

V. Ten-

V.

Tentationibus apertis ſeu cognitis repellendis poſſunt ſequentes praxes ſeu modi adhiberi. 1. Simpliciter ſtatim ad primam advertentiam mentem avertendo ab objecto tentante; quia Divino beneplacito repugnat, & tanquam nihil reputatur compoſitum Deo, ſive Divino beneplacito, & iſte modus, ordinarie, & per ſe loquendo procul dubio cenſetur omnium optimus; quia per iſtum modum non ſolum omnis conſenſus, ſed omnis quoque perturbatio & diſtractio præcavetur: dixi per ſe loquendo & ordinarie; nam poteſt Deo quandoque complacere, ut homo longiori ac duriori luctamine exerceatur. Unde ſi tentatio inſtat, & poſt plures averſiones urget. 2. Recurrendum eſt ad ardentiſſimas preces exercitium omnium virtutum, ac ſanctorum deſideriorum; exercendi ſunt ex amore Divini beneplaciti actus ipſi tentationi directè oppoſiti, actus deteſtationis, actus contritionis, actus amoris erga virtutem oppoſitam, deſideria mille mortes potiùs ſuſtinendi, quàm quidquam tale admittendi, nec ceſſandum, donec tentatio per agmen Sanctorum affectuum devicta recedat. 3. Si quis ſive ſuâ negligentiâ, ſive ex alia occulta cauſa, ita præoccupetur tentatione, ut imaginatio cum propo-

ſito

ſito objecto jam fortiùs afficiat, & jam majori ex parte occupet mentem, quàm omnia ſancta motiva ſupernaturalia, ad eum ferè modum, quo in aliqua arce hoſte jam occupante mœnia arcis, miles præſidiarius vix ampliùs videatur ſat potens ad repellendum adhuc hoſtem; Jam in ſimili eventu conſultùm erit, recurrere quoque ex pura intentione ad remedia naturalia quæcunque honeſta, talia tamen, quæ omnes vires intellectûs ad ſe trahunt, & occupant, ita ut penitùs abſtrahatur ab objecto per phantaſiam propoſito. Sic de die talis aſſumat aliquid ad diſcendum memoriter, verbi gratiâ totâ applicatione addiſcat memoriter in ordine nomina Sanctorum ex Martyrologio, ex calendario, &c. Nec ceſſet memoriam ita ferventer occupando, donec objecti mali iterum plenè obliviſcatur, de nocte verò vel in lecto, poterit recitare fundamenta artis arithmetices â primo numero usque ad milleſimum; vel poteſt ſecum in mente varias & multiplices expenſas ad calculos reducere, nec ceſſare, donec peccaminoſæ ſpecies in oblivionem abierint, quo facto, debitas grates rependat Deo, cum ſui ipſius vilipenſione. 4. Si mens ſentitur tota perturbata, & per tentationem obfuſcata ita, ut vix amplius queat diſcernere inter motiva & motiva, tunc recurrendum

eſt

est ad media exteriora, de die quidem, potest recursus ac refugium amplecti vel ad Patrem spiritualem vel ad bonum amicum, ut per honestum colloquium mens iterum serenetur, de nocte autem recurrendum est vel ad flagella, vel ad similes afflictiones, ita ut per sensum doloris mens ægra rursum ad sanum redeat sensum. Verùm hæc pro casu necessitatis, aliàs enim prudentis, Deumque amantis est, principiis tentationum obstare, & omni possibili modo præcavere, ne in tales deveniat angustias.

VI.

Occultè solet Diabolus viros spirituales aggredi ferè similibus modis. 1. Quibusdam immittit quemdam torporem ac languorem tum in Divinis, tum in communibus religiosis exercitiis, ita, ut ipsi vix advertant, se errâsse, donec subtractis specialioribus Divinis gratiis labantur in gravissimas saltem tentationes, si non omnino in peccata. Contra hunc dæmonis astum proinde vigilandum est, ne unquam Divina tepidè aut negligenter tractemus, etiamsi multis occupationibus nos oneratos, aut alias aliquâ indispositione nos vexatos experiamur. 2. Quibusdam suadet vel mutationem statûs, vel resignationem sui officii, vel etiam desiderium ad aliquod

offi-

officium, ſub propoſito, poſtmodum tali mutatione factâ, tam perfectè, tamque ſanctè vivendi, talia & talia opera faciendi, talia & talia præſtandi, &c. Ita tamen ut interea præſentia negligant, nec advertant propter ſpecioſa ſpeculativa illa propoſita, ſe malè agere, donec aut omnino decipiantur, aut in gravia tentationum pericula labantur. Quapropter propter futura, præſertim incerta nunquam ſunt negligenda præſentia, ſed ferventiùs potiùs peragenda, ut eò magis diſponamur atque dirigamur â Deo, ne decipiamur in noſtris conſiliis. 3. Quibusdam immittit deſiderium ac inordinatum zelum, in aliis minimos quoque defectus tali ac tali modo corrigendi, ſub quâ zeli ſpecie paulatim inſerpunt animo aliorum vilipenſiones, æſtimatio vanàque complacentia in propriis actibus, multiplices diſtractiones in Divinis, inconſideratæ & imprudentes aſpirationes ad officia, ita, ut opinentur tales, ſe continuò bono zelo duci, cùm tamen interim ſeducantur, & inducantur â Diabolo ad multa peccata venialia, quibus demum diſponantur ad mortalia. Sit proinde zelus ordinatus, quietus pleneqúe reſignatus in beneplacentem voluntatem Dei, qui potens eſt, ſimilia ſuaviter ac fortiter emendare absque noſtra inquieta perturbatione. 4. Nonnul-

nullis in ſpecialem amorem & benevolentiam commendat certas perſonas, recommendans ipſarum optimam indolem, præclaras virtutes, inſignem diſpoſitionem & capacitatem ad vitam ſanctiorem, prædicans illas dignas ſpirituali amore. Similibus denique incauti adeò ineſcantur, ut non advertant, ſuum amorem non eſſe tam ſpiritualem, quàm carnalem, donec ardeat jam proximus ucalagon. Quàm cautè in ſimilibus ſit agendum, & quàm puros oporteat ſervari affectus, diſcere nobis datur ex illo Divi Pauli: *Ut & qui habent* 1. Corinth.
uxores, tanquam non habentes ſint. Ecce 7. v. 27.
juxta Doctrinam ipſius Spiritûs Sancti, ipſi mariti debent eſſe tam puri, tamque liberi ab omni inordinato affectu erga proprias uxores, haud ſecus, ac ſi eſſent absque uxoribus: quàm liber proîn, quamque immunis ab omni ſuſpecto affectu debet eſſe aſceta erga quasque perſonas, etiam innocentiſſimas? Ita ſcilicet ejusmodi perſonis impertienda eſt Chriſtiana charitas, ac ſi eſſent penitùs ignotæ. Ita reſecandus eſt omnis vel â longè periculoſus affectus, ne propter tales perſonas in via perfectionis vel minimus incurratur defectus.

VII.

Aliis aliter laqueos ponit: unde cautè ponendi ſunt pedes, ſollicitè cuſtodiendi affectus

ctus, humilibusque amoris obsequiis incessanter ad Dominum clamandum est : *Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi.*

Psal. 140. v. 9.

Regula II.

Quomodo se habeat asceta in crucibus & adversitatibus.

I.

CRuces seu adversitates universim dividuntur in cruces inferioris, & in cruces superioris hominis, intelligimus porrò per cruces inferioris hominis omnes illas afflictiones, quæ spiritui charitatis neque adversantur, neque adversari apprehenduntur, ad eum ferè modum, quo omne id ex motivo inferiori fieri dicimus, quod ex charitatis motivo non fit. Cruces superioris hominis censentur omnes illæ, quæ spiritum charitatis affligunt, & quæ uti tales ab amantibus Deum existimentur.

II.

Cruces inferioris hominis ulteriùs aliæ sunt naturæ corruptæ, & quæ solam naturam corruptam affligunt, tales adversitates â carnalibus reputantur rigor disciplinæ, exercitium mortificationis, denegatio libertatis, laxitatum, recreationum, favorum, honorum, æstimationum ; In similibus quippe

quippe natura corrupta affligitur, & quotiescunque non impetrat, quod pro suâ corruptione inordinatè postulat, arbitratur, se persecutione & injuriâ affici. Aliæ cruces autem hominis inferioris sunt, quæ naturæ secundùm se, & naturaliter adversantur, quæ propterea alioquin communiter naturales appellantur. Tales sunt corporis ægritudines, indispositiones, dolores, excessivi calores, frigus, jactura bonorum, famæ, &c. in tali tamen gradu, ut etiam vir prudens ac pius similia communiter sentire, & quoad naturam ægrè ferre soleat; est quippe naturale similia sentire; ast ex musca elephantem, ex minimo dolore magnum cruciatum, ex parva irrisione vel vilipensione magnam famæ diminutionem fingere, hoc est iterum corruptionis ac corruptæ apprehensionis, & non naturæ.

III.

Quod attinet ad cruces naturæ corruptæ, sunt illæ ad perfectionem aspiranti tam necessariæ, quam ablactatio infantis ab uberibus nutricis, & quamdiu quis tales afflictiones non reputat consolationes, tamdiu nullus dubitet, quin sit adhuc carnalis, servus corruptionis, & quin adhuc procul distet â servis dilectionis, â quibus ejusmodi naturæ corruptæ afflictiones acci-

piuntur, & reputantur inter summas consolationes; siquidem similes afflictiones sunt arma, quibus spiritus prævalet adversus carnem.

IV.

Quod cruces naturales concernit, eædem â spiritu dilectionis & ab amante Deum
2. Corinth. æque consolationibus annumerantur, ad
7. v. 4. imitationem Apostolorum, qui cum Pau-
Act. 5. v. lo superabundabant gaudio in omnibus tri-
41. bulationibus suis, & gavisi sunt Apostoli, quòd digni habiti sint pro nomine Jesu contumeliam pati; nisi tamen ejusmodi adversitates naturales propter quasdam circumstantias evadant mixtæ.

V.

Fieri namque potest, ut cruces naturales propter certas circumstantias mixtæ evadant, ita, ut non solùm naturæ sed etiam ipsi spiritui & desiderio dilectionis adversari videantur. Sic verbi gratiâ, quando corporalis ægritudo impedit â Divinis, â fervore dilectionis, ab officio & â laboribus pro gloria Dei susceptis, vel quando propria infamia cedit in aliorum scandalum, in contemptum religionis, & in diminutionem honoris Divini: In similibus quippe casibus etiam homo superior & spiritus

ritus dilectionis affligitur, uti patet in multis exemplis sanctorum, qui doluerunt, quòd aut non potuerint interesse Divinis, aut nequiverint præstare solita charitatis officia. Quod ad istas cruces attinet, possunt eædem congruis mediis ex fine Deo magis placendi, procul dubio removeri, potest insuper etiam ordinatum desiderium admitti liberationis â talibus adversitatibus. Sic si quis morbo affligitur, potest ad tollendum impedimentum Divini obsequii, ac majoris Divini amoris, adhibere morbo pellendo medelam, potest desiderare pristinam sanitatem, potest flagitare pristinam bonam famam: ubi tamen tria pensiculatè attendenda sunt. 1. Ut tam applicatio mediorum, quàm ipsum desiderium fiat cum protestatione, nullo modo desiderandi liberationem â tali afflictione propter se vel propter naturam gravatam, nullo modo propter sanitatis aut pristinæ famæ restitutionem, sed unicè ex fine, per restitutam sanitatem, vel alterius crucis remotionem divinum beneplacitum honorandi majoribus amoris obsequiis. 2. Ut fiat cum plena resignatione & indifferenti animo ad utrumlibet, quod Deo magis placuerit. 3. Si adhibita remedia pro remotione talis adversitatis nihil proficiunt, vel aliunde prudenter judicari valeat, Deum velle, ut tali cruce adhuc

diutiùs affligamur, tunc gaudendum est ascetæ in tali voluntate Dei, & respiciendum ad exemplum Sancti Ignatii Martyris, qui non solum Martyrium suum lætus sustinuit, sed insuper ignem, crucem, bestias, confractionem ossium, membrorum divisionem, totius corporis contritionem, & tota tormenta Diaboli ad se cruciandum invitavit; non enim habemus, quo magis possumus ostendere nostrum amorem erga amatum, quàm multa patiendo, & quælibet libenter sustinendo pro amato.

VI.

Cruces hominis superioris, seu Spiritûs dilectionis sunt plurimæ, eæque gravissimæ; nam verè amans est ejusdem mentis cum Divo Paulo, cujus hæc vox: *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* ô quot cruces! ô quot adversitates! 1. Homini superiori illa omnia sunt tormenta, quæ homo corruptus censet solatia, crux est homini superiori, indulgere homini inferiori quietem, ministrare necessaria, ac nutrire carnem tam inimicam Spiritui. Porrò hîc oportet facere ex necessitate virtutem, & ex divino beneplacito patienter ministrare, quod citra indiscretionem negare non licet. 2. Magna crux est homini superio-

2. Corinth. 11. v. 29.

riori, ad amandum Deum se experiri quasi minùs idoneum, uti est sentire ariditates, siccitates, & Spiritûs involuntarium languorem, quid enim durius accidere potest amanti, quàm non amare amatum? Hæc crux vix non omnium evadit maxima, quando amans consimili insuper opinione lancinatur, se displicere Deo, esse causam omnium malorum in mundo, se non posse ampliùs amare Deum, sed debere potiùs in Deum summum bonum odio ferri. In ista cruce asceta ita se gerat: Ex unà parte per veram humilitatem in profundum sui nihili se abjiciat, indignum se reputans, qui Deum amet, aut amantibus Deum annumeretur; ex altera parte offerat hanc ipsam crucem ad Divinum beneplacitum, cum omni possibili voluntatis promptitudine, amore Divini beneplaciti adhuc majorem derelictionem sustinendi, locò verò amoris, quem Deo exhibere non potest, offerat omnia amoris obsequia in Christo, â Christo, & per Christum. 3. Magna crux est; quando amanti videtur, quòd ab amato non ampliùs ametur, quod jam sit derelictus â Deo, quod in nullâ re ampliùs exaudiatur, non ampliùs respiciatur, sed tanquam vas perditum odio habeatur ab ipso. Jam in hac afflictione, sui ipsius totus oblitus cogitet

asceta, Deum esse summum bonum, ex se omni amore dignissimum, etiamsi nos indignos non amet. Oportet quippe per similes cruces plenè tandem purificari amoris affectus, ut fiant puri ac sani ab omni maligno proprii amoris humore. 4. Continuâ & cruce maximâ cruciatur spiritus amoris per tot peccata, quibus quotidie Deus offenditur, per tot mala, quæ fiunt in mundo, per tot afflictiones Matris Ecclesiæ; verus quippe Ecclesiæ filius suæ matris afflictiones reputat suas, & suæ matris vulnera sentit ut propria, nihilque magis lenit dolorem filii, quàm locò matris sufferre dolorem. Ut proinde hæc crux ascetæ fiat toleratu facilior, frequenter se offerat ad cruces locò omnium ferendas, dicat frequenter ex humilitatis abysso ad Dominum; Domine in me sint offensæ, quibus offenderis; patiar ego dolores instar parturientis, ut potiatur pace, & fiat adhuc fæcundior gratis Deo prolibus Ecclesia Christi. 5. Deum amanti omnium afflictionum facilè maxima est, quando omnes preces, omnia desideria, omnes conatus & labores pro gloria Dei videntur in irritum cadere, atque ab illis impediri, qui deberent promovere, quando videtur ipsi Deus quasi suam gloriam negligere, & quasi nolle amari â creaturis

turis ; hæc crux supra modum adaugetur, si accesserint blasphemæ cogitationes, & tentationes ad aversionem concipiendam contra ipsum Deum. Sanè homines carnales nec quidem sciunt, quid sit crux & afflictio spiritûs ; ipsi enim seipsos affligunt propter res levissimas, & ab homine illuminato jure merito instar luti despiciendas ac ridendas, homines autem spirituales cruciantur propter res summi momenti, propter gloriam Dei, propter rem, cui comparati mille mundi sunt pulvis exiguus. O quanta crux! Si neque Deus videtur ampliùs suum zelari honorem, suum curare amorem! quò jam te vertes afflicta anima? nimirum hoc tibi mente volvendum est: Nonnè Deo pleno cordis affectu consentires, & consentire deberes, si omnia opera manuum suarum denuò in nihilum redigere vellet? quantò magis plenâ veneratione adorandum est sanctissimum beneplacitum Dei, volentis, nostros aliorumque conatus suis destitui effectibus, quoniam bonorum nostrorum non indiget, in tantùm enim, & non ampliùs, est aliquid appetibile, in quantum Deo placet. Amanti id satis est, quod placet amato, illudque nunquam non bonum est, quod acceptum est in oculis summi boni, ad cujus sempiternam glo-

gloriam hæc ſcripta ſint, & practicentur ab omni humano, præcipuè Religioſo corde usque ad conſummationis finem.

Ut in omnibus glorificetur Deus S. Regula cap. 57.

Proximè, dante Deo, ſequetur vox ſanguinis.



IN-



INDEX
Rerum & Materiarum præcipuarum.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G. Gar-

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

R.

S.

T.

Tri-

U.

Z.

FINIS.

ERRATA.

PAg. 1. lin. 11. Guilielmus. legatur Guilielmos. p. 2. lin. 6. Petrem Plennequin. l. Petrum Plennequin. It. p. 2. lin. 9. colloquium. l. eloquium. Iterum pag. 2. lin. 15. ſum tibi. l. ſum tui. p. 6. lin. 13. hoc. l. hæc. p. 8. lin. 9. venit. l. veniet. p. 23. lin. 7. poſt ergo. adde eſt. p. 34. lin. 9. minam. l. mnam. p. 40. l. 28. intellectu. l. intellectui. p. 45. lin. 8. Sermone. l. Sermonem. p. 49. lin. 3. conata. l. conatæ. It. p. 49. lin. 4. ſæpe. l. ſape. p. 58. lin. 19. Elimaco. l. Climaco. p. 65. lin. 17. poſt rem. deleatur ad. p. 67. lin. 15. ait Jacob & Paulus. ſic emendetur. ait Job & Paulus. p. 72. lin. 22. illis antepone erant. p. 78. lin. 15. amare, & quod amavit opere exercere &c. ita emendetur. amare, quod amavit, & opere exercere, &c. p. 88. lin. 3. commilitionem. l. commilitonem. it. p. 88. lin. 13. ante eo. pone in. p. 92. lin. 3. ignomiam. l. ignominiam. p. 93. lin. 25. adducit. l. adducet. p. 96. l. 1. confuſſionem. l. confuſionem. p. 99. lin. 15. reverentius. l. reverentiæ. p. 100. lin. 11. præferre. l. præſcferre. p. 105. lin. 22. diſtinguere. l. diſtingere. p. 106. in Margine Cæſaria. l. Cæſarius. p. 117. lin. 6. conſiderate. l. conſiderare. p. 118. lin. 19. neſcerit. l. noſceret. p. 119. l 10. Antonius. l. Antoninus. p. 124. lin. 13. furor. l. fruor. p. 126. lin. 11. perfectiones. l. imperfectiones. p. 127. lin. 4. & l. ut. pag. 136. lin. 21. incedere. l. ingredere. p. 139. lin. 13. ut ultrà, & ultrà. p. 145. lin. 5. & verberibus denique cœſi: ita emendetur: ut verberibus denique cæſæ. p. 174. lin. 14. offeretur. l. offerretur. p. 186. lin. 7. hæreſium. l. hæreſum. p. 182. lin. 1. poſt domum adde ſuam. pag. 188. lin. 24. poſt variarum: addatur cogitationum. p. 211. lin. 12. poſt iniquitatem addatur meam. p. 212. lin. 4. ſic. litteris minuſculis ponantur ipſa: *nos in imis inferni pœnis ſuppliciisque preſſiſſet.* it. p. 212. lin. 16. Lanicius. l. Lancicius. p. 221. lin. 6. transvectandum. l. transfretandum. p. 232. l. 3. Albertus. l. Aibertus. p. 237. lin. 21. præcipi. l. præripi. p. 239. l. 1. cæterasqúe. l. cæteróſque. p. 243. lin. 14. Apocalyptius. l. Apocalypticus. p. 244. lin. 19. laſciviendo. antepone quam. p. 254. lin. 2. ſatietur. l. ſalietur. p. 269. lin. 2. erit. antepone ſeu præmitte quis. p. 289. lin. 5. mercatur. l. mercator. pag. 290. lin. 24. accutior. l. acutior. p. 298. lin. 16. exactis emenda. ex actis. p. 299. lin. 15. multis præmitte in. p. 304. lin. 28. hujusque. l. hucusque. p. 170. lin. 22. adverſabor. l. averſabor. p. 208. lin. 26. tentationem. l. tentationum. p. 324. lin. 14. exprobanda. l. exprobranda.

p. 325.

p. 325. ſpoſpondiſtis. l. ſpopondiſtis. p. 329. lin. 12. ſuperſtioſum. l. ſuperſtitioſum. p. 332. lin. 21. ponantur minuſculis litteris: *quàm prudentia*. p. 342. lin. 26. ſapientis. l. ſapientes p. 346. lin. 1. modicà. l. modicè. p. 357. lin. 23. Gerſon. l. Gerſe. p. 363. lin. 26. obſervationibus. l. obſecrationibus. p. 364. lin. 1. obſervationibus. l. obſecrationibus. p. 369. lin. 28. debitum. l. divitum. p. 273. lin. ultima quondam. l. quodam. p. 377. ad lin. 10. pone in Marg. Pſal. 146. p. 383. lin. 23. tuas. l. tuos. p. 389. lin. 1. poſt deſiderat & comma, iterum repetatur deſiderat. p. 391. lin. 19. affectus divinis. l. effectus Divini. p. 408. lin. 6. infinitum præmitte in. p. 415. lin. 7. injuria. l. incuria. p. 419. lin. 22. calefacti. præmitte eſtis. p. 430. lin. ult. maximum. emendetur Maximum. p. 450. lin. 14. perfectione l. imperfectione. p. 451. lin. 25. anima. l. animæ. p. 453. lin. 25. curamus. l. curramus. p. 460. lin. 3. poſt explicitè. addatur neque implicitè. p. 499. lin. 13. artibus. l. actibus. p. 504. lin. 24. perſecutionem. l. proſecutionem. p. 505. lin. 3. Dominium. l. Dominum. p. 506. lin. 21. evadant. l. evadunt. p. 511. lin. 17. occurrerent. l. occurrerint. p. 440. lin. 10. guſto. l. guſta. p. 442. lin. 1. toto l. tota. p. 444. lin. 13. verum. l. rerum. p. 446. in Margine Lanicius. l. Lancicius. p. 524. lin. 28. proferendas l. proferendos. p. 526. lin. 25. pone ſic modo in his, modo in illis. p. 538. beneplacito. leg. beneplicití. p. 539. lin. 18. poſt preces addito commate, ante exercitium promitte ad. p. 544. lin. 15. exiſtimentur. l. exiſtimantur. It. Multa ponuntur in contextu, quæ fuiſſent ponenda ab initio. Sic ab initio ponenda ſunt. p. 24. lin. 15. cauſa ſecunda. p. 34. lin. 20. Tertia cauſa. p. 428. lin. 7. Primum. p. 431. lin. 15. alterum. p. 369. lin. 1. rurſus alterum. p. 305. lin. 14. Primum. p. 315. lin. 15. Secundum. p. 278. lin. penult. primum. & alibi crebriùs. It. plurimi irrepſerunt Errores quoad accentus. uti p. 40. lin. 5. & 21. cum, ubi debet eſſe cùm. p. 41. lin. 9. patentius. ubi ſic ponendum eſt patentiùs. p. 275. lin. 22. & ibi ſæpiùs ſuper qua pone accentum ſic. quà. pag. 340. lin. 14. 15. & ibi frequentius ſuper modo ſemper ponatur accentus ſic: modò. p. 383. lin. 20. ſuper minus & caute: ponatur accentus ſic minùs, cautè. p. 513. ſuper adverbium loco ibi ſæpiùs poſitum ſemper ponatur, accentus ſic: locò. p. 149. 25. generoſe. p. 539. ordinarie & in multis aliis locis ſimilia adverbia ſemper ponantur cum accentu gravi. Nec minùs quandoque Errores irrepſerê quod interpunctiones; quemadmodum ſtatim p. 3. lin. 19. quid fiet. Ubi locò puncti ponendum eſt punctum interrogationis ſic: quid fiet.

